ACTA

SANCTAE SEDIS

IN COMPENDIUM OPPORTUNE REDACTA ET ILLUSTRATA

STUDIO KT CURA

IOSEPHI PENNACCHI ET VICTORE PIAZZESI

SEU

Acta iuridica et solemniora ex Supremo Romano Pontifice immediate dimanantia: acta inter ea quae publici fieri possunt iuris, sive sint Decreta, sive Instructiones, sive Responsa, et alia huiusmodi;. praesertim vero Causarum expositiones et resolutiones ex variis EE. Cardinalium Sacris Congregationibus, ad ecclesiastici iuris accuratam intelligentiam et observantiam conferentes, in compendium diligenti studio redactae: alia denique iuridica, quibus opportune illustrantur quae in expositis actis vel difficultatem parere possint, vel ad vigentis iuris notitiam ulterius conducant: in utilitatem eorum qui in Ecclesiae legibus studiose dignoscendis, et in regimine christiani gregis, vel in colenda Domini vinea sedulo adlaborant.

Volumen XIV.

ROMAE

TYPIS POLYGLOTTA K OFFICINAE

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCLXXXI.

Reprinted with the permission of Libreria Editrice Vaticana

JOHNSON REPRINT CORPORATION
Ili Fifth Avenue, New York, N. Y. 10003

JOHNSON REPRINT COMPANY LTD.
Berkeley Square House, London, W. 1

First reprinting, 1968, Johnson Reprint Corporation
Printed in the United States of America

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

L E O N I S

DIVINA. PROVIDENTIA.

IE? _tr' JtLÌ IX! I l i

EPISTOLA ENCYCLICA

AD PATRIARCHAS PRIMATBS
ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS UNIVERSOS CATHOLICI ORBIS
GRATIAM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES

Yenerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis universis catholici Orbis gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentibus.

LEO PP. XIII.

Venerabiles Fratres Salutem et Apostolicam Benedictionem-

Diuturnum illud teterrimumque bellum, adversus divinam Ecclesiae auctoritatem susceptum, illuc, quo proclive erat, evasit, videlicet in commune periculum societatis humanae , ac nominatim civilis principatus, in quo salus publica maxime nititur. — Quod hac potissimum aetate nostra factum esse apparet. Cupiditates enim populares quamlibet imperii vim audacius hodie recusant , quam antea: et tanta est passim licentia, tam crebrae seditiones ac turbae, ut iis qui res publicas gerunt non solum denegata saepe obtemperatio , sed ne satis quidem tutum incolumitatis praesidium relictum esse videatur. Diu quidem data est opera, ut illi in contemptum atque odium venirent multitudini; conceptaeque flammis invidiae iam erumpentibus, satis exiguo intervallo summorum principum vita pluries est aut occultis insidiis aut apertis latrociniis ad internecionem expetita, öohorruit tota nuper Europa ad potentissimi Imperatoris infandam necem : attonitisque adhuc prae sceleris magnitudine animis, non verentur perditi homines in cetero» Europae principes minas terroresque vulgo iactare.

Saec, quae sunt ante oculos , communium rerum discriminagravi Nos sollicitudine afficiunt, cum securitatem principum , et

tranquillitatem imperiorum una cum populorum salute propemodum in singulas horas periclitantem intueamur. — Atqui tamen religionis christianae divina virtus stabilitatis atque ordinis egregia firmamenta reipublicae peperit, simul ac in mores et instituta civitatum penetravit. Cuius virtutis non exiguus neque postremus fructus est aequa et sapiens in principibus et populis temperatio iurium atque oinciorum. Nam in Christi Domini praeceptis atque exemplis mira vis est ad continendos tam qui parent , quam qui imperant in officio, tuendamque inter ipsos eam, quae maxime secundum naturam est, conspirationem et quasi concentum voluntatum, unde gignitur tranquillus atque omni perturbatione carens rerum publicarum cursus. — Quapropter cum regendae Ecclesiae catholicae, doctrinarum Christi custodi et interpreti, Dei beneficio praepositi simus, auctoritatis Nostrae esse iudicamus, Venerabiles Eratres, publice commemorare quid a quoquam in hoc genere officii catholica veritas exigat; unde illud etiam emerget, qua via et qua ratione sit in tam formidoloso rerum statu saluti publice consulendum.

Etsi homo arrogantia quadam et contumacia incitatus frenos imperii depellere saepe contendit , numquam tamen assequi potuit ut nemini pareret. Praeesse aliquos in omni consociatione hominum et communitate cogit ipsa necessitas: ne principio vel capite , quo regatur, destituta societas dilabatur et finem consequi prohibeatur, cuius gratia nata et constituta est. Verum si fieri non potuit, ut e mediis civitatibus politica potestas tolleretur, certe libuit omnes artes adhibere ad vim eius ele van dam, maiestatemque minuendam: idque maxime saeculo XVI, cum infesta opinionum novitas complures infatuavit. Post illud tempus non solum ministrari sibi libertatem largius, quam par esset multitudo contendit; sed etiam originem constitutionemque civilis hominum societatis visum est pro arbitrio confingere. Immo recentiores perplures, eorum vestigiis ingredientes qui sibi superiore saeculo philosophorum nomen inscripserunt, omnem inquiunt potestatem a populo esse; quare qui eam in civitate gerunt, ab iis non uti suam geri, sed ut a populo sibi mandatam, et hac quidem lege, ut populi ipsius voluntate , a quo mandata est, revocari possit. Ab his vero dissentiunt catholici homines, qui ius imperandi a Deo repetunt, velut a naturali necessarioque principio.

Interest autem attendere hoc loco, eos, qui reipublicae praefuturi sint, posse in quibusdam caussis voluntate iudicioque deligi

multitudinis, non adversante neque repugnante doctrina catholica. Quo sane delectu designatur princeps, non conferuntur iura principatus: neque mandatur imperium, sed statuitur a quo sit gerendum. — Neque hic quaeritur de rerum publicarum modis : nihil enim est, cur non Ecclesiae probetur aut unius aut plurium principatus , si modo iustus sit, et in communem utilitatem intentus. Quamobrem, salva iustitia, non prohibentur populi illud sibi genus comparare reipublicae, quod aut ipsorum ingenio, aut maiorum institutis moribusque magis apte conveniat.

Ceterum ad politicum imperium quod attinet, illud a Deo proficisci recte docet Ecclesia; id enim ipsa reperit sacris Litteris et monumentis christianae vetustatis aperte testatum ; neque praeterea ulla potest doctrina cogitari, quae sit magis aut rationi con^ veniens, aut principum et populorum saluti consentanea.

Revera humani potentatus in Deo esse fontem, libri Veteris testamenti pluribus locis praeclare confirmant. ***Per me reges regnant,... per me principes imperant, et potentes decernunt iustitiam*** (1). Atque alibi : ***Praebete aures vos qui continetis nationes,... quoniam data est a Deo potestas vobis, et virtus ab Altissimo*** (2). Quod libro Ecclesiastici idem continetur : ***In unamquamque gentem Deus praeposuit rectorem*** (3). — Ista tamen, quae Deo auctore didicerant, paullatim homines ab ethnica superstitione dedocti sunt ; quae sicut veras rerum species et notiones complures, ita etiam principatus germanam formam pulchritudinemque corrupit. Postmodo, ubi Evangelium christianum afíulsit, veritati vanitas cessit, rursumque illud dilucere coepit, unde omnis auctoritas manat, nobilissimum di vinumque principium. — Prae se ferenti atque ostentanti Praesidi romano absolvendi condemnandi potestatem, Christus Dominus, ***non haberes,*** respondit, ***potestatem adversus me ullam, nisi tibi datum esset desuper*** (4). Quem locum s. Augustinus explanans, ***Discamus,*** inquit, ***quod, dixit, quod*** *et* ***per Apostolum docuit, quia non est potestas nisi a Deo*** (o). Doctrinae enim praeceptisque Iesu Christi Apostolorum incorrupta vox resonavit tamquam imago. Ad Romanos, principum Ethnicorum. imperio subiectos, Pauli est excelsa et plena gravitatis sententia :

(1) Prov. VIII, 15-16.
(2) Sap. VI, 3-4.
(3) Eccl. XVII, 14.
(4) Ioan. XIX, 11.
(5) Tract. CXVI in Ioan. n. 6.

Non est potestas nisi a Deo ; ex quo tamquam ex caussa illud concludit: ***Princeps Dei minister est*** (1).

Ecclesiae Patres hanc ipsam, ad quam fuerant instituti, doctrinam profiteri ac propagare diligenter studuerunt. ***Non tribuamus,*** s. Augustinus ait, ***dandi regni atque imperii potestatem, nisi vero Deo*** (2). In eamdem sententiam s. Ioannes Chrysostomus : ***Quod principatus sint,*** inquit, ***et quod alii imperent, alii subiecti sint, neque omnia casu et temere ferantur,... divinae esse sapientiae dico.*** (3) Id ipsum s. Gregorius Magnus testatus est inquiens: ***Potestatem Imperatoribas ac regibus caclitiis datam fatemur*** (4). Immo sancti Doctores haec eadem praecepta etiam naturali rationis lumine illustranda susceperunt, ut vel iis, qui rationem solam ducem sequuntur , omnino videri recta et vera debeant. — Et sane homines in civili societate vivere natura iubet seu verius auctor naturae Deus: quod perspicue demonstrant et maxima societatis conciliatrix loquendi facultas et innatae appetitiones animi perplures, et res necessariae multae ac magni momenti, quas solitarii assequi homines non possunt, iuncti et consociati cum alteris assequuntur. Nunc vero neque existere neque intelligi societas potest, in qua non aliquis temperet singulorum voluntates ut velut unum fiat ex pluribus , easque ad commune bonum recte atque ordine impellat ; voluit igitur Deus ut in civili societate essent , qui multitudini imperarent. — Atque illud etiam magnopere valet, quod ii, quorum auctoritate respublica administratur, debent cives ita posse cogere ad parendum, ut his plane peccatum sit non parere. Nemo autem hominum habet in se aut ex se , unde possit huiusmodi imperii vinculis liberam ceterorum voluntatem constringere. Unice rerum omnium procreatori et legislatori Deo ea potestas est : quam qui exercent , tamquam a Deo secum communicatam exerceant necesse est. ***Unus est legislator et iudex, qui potest perdere et liberare*** (5). Quod perspicitur idem in omni genere potestatis. Eam, quae in sacerdotibus est, proficisci a Deo tam est cognitum, ut ii apud omnes populos ministri et habeantur et appellentur Dei. Similiter potestas patremfamilias expressam retinet quamdam effigiem ac formam auctoritatis, quae est in Deo, ***a quo omnis paternitas***

(1) Ad *Rom.* XIII, 1, 4.
(2) De Civ. Dei, lib. V, cap. 2r
(3) In epist, ad Koro, homil. XXIII, n. 1.
(4) Epist. lib. II, epist. 61.
15) Iacob. IV, 12.

in caelis et in terra nominat ar (1). Isto autem modo diversa genera potestatis miras inter se habent similitudines, cum quidquid uspiam est imperii et auctoritatis , eius ab uno eodemque mundi opifice et domino, qui Deus est, origo ducatur.

Qui civilem societatem a libero hominum consensu natam volunt , ipsius imperii ortum ex eodem fonte petentes , de iure suo inquiunt aliquid unumquemque cessisse , et voluntate singulos in eius se contulisse potestatem, ad quem summa illorum iurium pervenisset. Sed magnus est error noii videre, id quod manifestum est, homines, cum non sint solivagum genus, citra liberam ipsorum voluntatem ad naturalem communitatem esse natos: ac praeterea pactum, quod praedicant, est aperte commentitium et fictum, neque ad impertiendam valet politicae potestati tantum virium, dignitatis, firmitudinis , quantum tutela reipublicae et communes civium utilitates requirunt. Ea autem decora et praesidia universa tunc solum est habiturus principatus, si a Deo, augusto sanctissimoque fonte, manare intelligatur.

Qua sententia non modo verior, sed ne utilior quidem reperiri ulla potest. Etenim potestas rectorum civitatis, si-quaedam est divinae potestatis communicatio, ob hanc ipsam caussam continuo adipiscitur dignitatem humana maiorem: non illam quidem impiam et perabsurdam, imperatoribus ethnicis divinos honores affeetantibus aliquando expetitam: sed veram et solidam , eamque dono quodam acceptam beneficioque divino. Ex quo subesse cives et dicto audientes esse principibus, uti Deo, oportebit non tam poenarum formidine, quam verecundia maiestatis, neque assentationis caussa , sed conscientia officii. Qua re stabit in suo gradu longe firmius collocatum imperium. Etenim istius vim officii sentientes cives, fugiant necesse est improbitatem et contumaciam, quia sibi persuasum esse debet, qui politicae potestati résistant, hos divinae voluntati resistere, qui honorem recusent principibus, ipsi Deo recusare.

Ad hanc disciplinam Paulus Apostolus Romanos nominatim erudiit: ad quos de adhibenda summis principibus reverentia scripsit tanta cum auctoritate et pondere , ut nihil gravius praecipi posse videatur. ***Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo: quae. autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati. Dei ordinatione, resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt....***

(1) Ad Ephes, III, Hi

Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam (1). Et consentiens est Principis Apostolorum Petri in eodem genere praeclara sententia : ***Sab iecit estote omni humanae creaturae propter Deum, sive regi quasi praecellenti, sive ducibus tamquam a Deo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas Dei*** (2).

Una illa hominibus caussa est non parendi , si quid ab iis postuletur quod cum naturali aut divino iure aperte repugnet: omnia enim, in quibus naturae lex vel Dei voluntas violatur, aeque nefas est imperare et facere. Si cui igitur usuveniat, ut alterutrum malle cogatur, scilicet aut Dei aut principum iussa negligere, Iesu Christo parendum est reddere iubenti ***quae sunt Caesaris Caesari , quae sunt Dei Deo*** (3), atque ad exemplum Apostolorum animose respondendum: ***obedire, oportet Deo magis quam hominibus*** (4). Neque tamen est, cur abiecisse obedientiam, qui ita se gerant, arguantur; etenim si principum voluntas cum Dei pugnat voluntate et legibus, ipsi potestatis suae modum excedunt, iustitiamque pervertunt: neque eorum tunc valere potest auctoritas, quae, ubi iustitia non est, nulla est.

Ut autem iustitia retineatur in imperio, illud magnopere interest, eos qui civitates administrant intelligere, non privati cuiusquam commodo politicam potestatem esse natam: procurationemque reipublicae ad utilitatem eorum qui commissi sunt, non ad eorum quibus commissa est, geri oportere. Principes a Deo optimo maximo, unde sibi auctoritas data, exempla sumant : eiusque imaginem sibi in administranda republica proponentes, populo praesint cum aequitate et fide, et ad eam, quae necessaria est, severitatem paternam caritatem adhibeant. Huius rei caussa sacrarum Litterarum oraculis monentur, sibimetipsis Regi regum et Domino dominantium aliquando rationem esse reddendam; si officium deseruerint, fieri non posse, ut Dei severitatem ulla ratione effugiant. ***Altissimus interrogabit opera vestra et cogitationes scrutabitur. Quoniam cum essetis ministri i-egni illius, non recte iudicastis,... horrende et cito apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his qui praesunt fiet.... Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam, quoniam pusillum et magnum***

(1) Ad Rom. XIII, 1, 2, "5.
(2) I Petr. II, 13-15.
(3) Matth. XXII, 21.
(4) Actor.. V, 29.

ipse fecit, et aequaliter cura est illi de omnibus. Fortior ¿bus autem fortior instat cruciat io (1).

Quibus praeceptis rempublicam tuentibus, omnis seditionum vel caussa vel libido tollitur : in tuto futura sunt honos et securitas principum, quies et salus civitatum. Dignitati quoque civium optime consulitur: quibus in obedientia ipsa concessum est decus illud retinere, quod est hominis excellentiae consentaneum. Intelligunt enim, Dei iudicio non esse servum neque liberum; unum esse dominum omnium, divitem ***in omnes cjui invocant illum*** (2): se autem idcirco subesse et obtemperare principibus, quod imaginem quodammodo referant Dei, ***cui servire regnare est.***

Hoc vero semper egit Ecclesia, ut christiana ista civilis potestatis forma non mentibus solum inhaeresceret , sed etiam publica populorum vita moribusque exprimeretur. Quamdiu ad gubernacula rei publicae imperatores ethnici sederunt, qui assurgere ad eam imperii formam , quam adumbravimus, superstitione prohibebantur, instillare illam studuit mentibus populorum, qui simul ac christiana instituta susciperent, ad haec ipsa exigere vitam suam velle debebant. Itaque pastores animarum , exempla Pauli Apostoli renovantes, cura et diligentia summa populis praecipere consueverunt, ***principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire*** (3) : item orare Deum pro cunctis hominibus, sed nominatim ***pro Ì'egibus et omnibus qui in sublimitate sunt: hoc enim acceptum est conam Salvatore nostro Deo*** (4). Atque ad hanc rem omnino praeclara documenta christiani veteres reliquerunt: qui cum ab imperatoribus ethnicis iniustissime et crudelissime vexarentur, numquam tamen praetermiserunt gerere se obedienter et submisse, plane ut illi crudelitate, isti obsequio certare viderentur. Tanta autem modestia, tam certa parendi voluntas plus erat cognita , quam ut obscurari per calumniam malitiamque inimicorum posset. Quamobrem qui pro christiano nomine essent apud imperatores publice caussam dicturi, ii hoc potissimum argumento iniquum esse convincebant in christianos animadvertere legibus quod in oculis omnium convenienter legibus in exemplum viverent. Marcum Aurelium Antoninum et Lucium Aurelium Commodum filium eius sic Athenagoras confidenter alloquebatur: ***Sinitis nos, qui niJiil mali patramus , im-***

(1) Sap. VI, 4, 5, 6, 8.
(2) Rum. X, 12.
(3) Ad Tit. III, 1.
(4) I Timoth II, 1 3.

mo omnium. . . . .piissime iustissimeque eum erga Deum, tum erga imperium vestrum nos gerimus , cxagitari, rapi, fugar i (1). Pari modo Tertullianus laudi christianis aperte dabat, quod amici essent Imperio optimi et cèrtissimi ex omnibus : ***Christianus nullius est hostis, nedum Imperatoris, quem sciens a Deo suo constitui, necesse est ut ipsum diligat et revereatur et honorée, et salvum velit cum toto romano imperio*** (2). Neque dubitabat affirmare , in imperii finibus tanto magis numerum minui inimicorum consuevisse , quanto cresceret christianorum : ***Nunc pauciores hostes habetis prae multitudine christianorum, pene omnium civitatum pene omnes cives christianos habendo*** (3). Praeclarum est quoque de eadem re testimonium in ***Epistola ad Diognetum,*** quae confirmat, solitos eo tempore christianos fuisse Lon solum inservire legibus , sed in omni officio plus etiam ac perfectius sua sponte facere, quam cogerentur facere legibus: ***Christiani obsequantur legibus , quae sancitae sunt, et suae vitae genere leges supersunt.***

Alia sane tum caussa erat, cum a fide christiana , aut quoquo modo ab officio deficere Imperatorum edictis ac Praetorum minis iuberentur: quibus temporibus profecto displicere hominibus quam Deo maluerunt. Sed in iis ipsis rerum adiunctis tantum aberat ut quicquam seditiose facerent maiestatemve imperatoriam contemnerent, ut hoc unum sibi sumerent, sese profiteri et christianos esse et nolle mutare fidem ullo modo. Ceterum nihil de resistendo cogitabant; sed placide atque hilare sic ibant ad tortoris equuleum, ut magnitudini animi cruciatuum magnitudo concederet. — Neque absimili ratione per eadem tempora christianorum vis institutorum spectata est in militia. Erat enim militis christiani, summam fortitudinem cum summo studio coniungere disciplinae militaris: animique excelsitatem immobili erga principem fide cumulare. Quod si aliquid rogaretur quod non esset honestum, uti Dei iura violare aut in insontes Christi discipulos ferrum convertere, tunc quidem imperata facere recusabat, ita tamen ut discedere ab armis atque emori pro religione mallet, quam per seditionem et turbas auctoritati publicae repugnare.

Postea vero quam respublicae principes christianos habuerunt, multo magis Ecclesia testificari ac praedicere instituit, quantum in

(1) Legat pro Christian.
(2) Apolog. n. 35
(3) Apolog. n. 37.

auctoritate imperantium inesset sanctitatis : ex quo futurum erat, **ut** populis, cum de principatu cogitarent, sacrae cuiusdam maiestatis species occurreret, quae ad maiorem principum cum verecundiam tum amorem impellerei. Atque huius rei caussa sapienter providit **ut** reges sacrorum solemnibus initiarentur, quod erat in Testamento **Yeteri** Dei auctoritate constitutum. — Quo autem tempore civilis hominum societas, tamquam e ruinis excitata imperii romani , **in** spem christianae magnitudinis revixit, Pontifices Romani, instituto ***imperio sacro*** . politicam potestatem singulari ratione consecraverunt. Maxima quidem ea fuit nobilitatis ad principatum accessio : neque dubitandum quin magnopere illud institutum et religiosae **et** civili societati semper fuisset profuturum, si quod Ecclesia spectabat , idem principes et populi semper speetavissent. — Et sane quietae res et satis prosperae permanserunt quamdiu inter utramque potestatem concors amicitia permansit. Si quid tumultuando peccarent populi, praesto erat conciliatrix tranquillitatis Ecclesia, quae singulos ad officium vocaret, vehementioresque cupiditates partim lenitate, partim auctoritate compesceret. Similiter si quid in gubernando peccarent principes, tum ipsa ad principes adire* et populorum iura, necessitates, recta desideria commemorando, aequitatem, clementiam , benignitatem suadere. Qua ratione pluries est impetratum, ut tumultuum et bellorum civilium pericula prohiber/en tur.

Contra inventae a recentioribus de potestate politica doctrinae magnas iam acerbitates hominibus attulerunt, metuendumque **ne** extrema malorum afferant in posterum. Etenim ius imperandi nolle ad Deum referre auctorem, nihil est aliud quam politicae potestatis et pulcherrimum splendorem velle deletum et nervos incisos. Quod autem inquiunt ex arbitrio illam pendere multitudinis, primum opinione falluntur, deinde nimium levi ac flexibili fundamento statuunt principatum. His enim opinionibus quasi stimulis incitatae populares cupiditates sese efferent insolentius , magnaque cum pernicie reipublicae ad caecos motus, ad apertas seditiones prodivi cursu et facile delabentur. Revera illam, quam ***Reformationem*** vocant, cuius adiutores et duces sacram civilemque potestatem novis doctrinis funditus oppugnaverunt, repentini tumultus et audacissimae rebelliones, praesertim in Germania, consecutae sunt ; idque tanta cum domestici deflagratone belli et caede , ut nullus pene locus expers turbarum et cruoris videretur. — Ex illa haeresi ortum duxit saeculo superiore falsi nominis philosophia, et ius quod

appellant ***novam,*** et imperium populare, et modum nesciens licentia, quam plurimi solam libertatem putant. Ex liis ad finitimae pestes ventum est, scilicet ad ***Communismum,*** ad ***Socialismum,*** ad ***Nihilismum,*** civilis nominum societatis teterrima portenta ac pene funera. Atqui tamen fautorum malorum vim nimis multi dilatare conantur, ac per speciem iuvandae multitudinis non exigua iam miseriarum incendia excitaverunt. Quae hic modo recordamur, ea nec ignota sunt nec valde longinqua.

Hoc vero est etiam gravius, quod non habent principes in tantis periculis remedia ad restituendam publicam disciplinam pacandosque animos satis idonea. Instruunt se auctoritate legum, eosque, qui rempublicam commovent, severitate poenarum coercendos putant. Recte quidem: sed tamen serio considerandum est, vim nullam poenarum futuram tantam , quae conservare res publicas sola possit. Metus enim, ut praeclare docet sanctus Thomas, ***est debile fundamentum; nam qui timore subduntur, sc occurrat occasio qua possint impunitatem sperare, contra praesidentes insurgunt eo ardentius, quo magis contra, voluntatem ex solo timore cohibebantur.*** Ac praeterea ***ex nimio timore plerique in desperationem incidunt: desperatio autem audacter ad quaelibet attentanda praecipiat*** (1). Quae quam vera sint, satis experiendo perspeximus. Itaque obediendi altiorem et efficaciorem caussam adhibere necesse est, atque omnino statuere, nec legum esse posse fructuosam severitatem, nisi homines impellantur officio, salutarique metu Dei permoveantur. Id autem impetrare ab iis maxime religio potest, quae sua vi in animos influit, ipsasque hominum flectit voluntates , ut eis, a quibus ipsi reguntur, non obsequio solum, sed etiam benevolentia et caritate adhaerescant ; quae est in omni hominum coetu optima custos incolumitatis.

Quamobrem egregie Pontifices Romani communi utilitati servisse iudicandi sunt, quod ***Novatorum*** frangendos semper curaverunt túmidos inquietosque spiritus; ac persaepe monuerunt, quantum ii sint civili etiam societati periculosi. Ad hanc rem digna, quae commemoretur , Clementis VII sententia est ad .Ferdinanduni Bphemiae et Hungariae regem : ***In hac fidei caussa tua etiam et ceterorum principum dignitas et utilitas inclusa est, cum non piossit illa convelli, quin vestrarum etiam rerum labefactationem secum trahat; quod clarissime in locis istis aliquot perspectum sit.*** — At-

(1) De Regim. Prineip. lib. I, cap. 10.

que in eodem genere summa providentia et fortitudo enituit Decessorum Nostrorum, praesertim autem Clementis XII, Benedicti XIV, Leonis XII, qui cum consequentibus temporibus pravarum doctrinarum pestis latius serperet, ***se<;f,arumque*** audacia invalescere^, opposita auctoritatis suae aditum illis intercludere conati sunt. Nos ipsi pluries denunciavimus (piam gravia pericula impendeant , simulque indicavimus, quae sit coram propulsandorum latio optima. Principibus, ceterisque rerum publicarum moderatoribus praesidium religionis obtulimus, populosque hortati sumus, ut summorum bonorum copia, (piam Ecclesia suppeditat, maxime uterentur. Id nunc agimus, ut ipsum illud praesidium, quo nihil est validius, sibi rursus oblatum principes intelligant : eosque vehementer in Domino hortamur, ut religionem tueantur, et, quod interest etiam reipublicae, ea Ecclesiam libertate frui posse sinant, qua sine iniuria et communi pomicio privari non potest. Proiecto Ecclesia Christi neque principibus potest esse suspecta,, neque populis invisa. Principes quidem ipsa monet sequi iustitiam, nullaque in re ab officio declinare: at simul eorum roborat multisque rationibus adiuvat auctoritatem. Quae in genere rerum civilium versantur, ea in potestate suprcmoque imperio eorum esse agnoscit et declarat : in iis, quorum iudicium, diversam licet ob caussam, ad sacram civilemque pertinet potestatem, vult existere inter utramque concordiam, cuius beneficio funestae utrique contentiones devitentur. Ad populos quod spectat, est Ecclesia saluii cunctorum hominum nata, eosque semper dilexit uti parens. Ea quippe est, (piae caritate praeeunte mansuetudinem animis impertiit, humanitatem moribus, aequitatem legibus : atque honestae libertati nuspiam inimica tyrannioum dominatum semper detestari consuevit. Hanc, (piae insita in Ecclesia est, bene merendi consuetudinem paucis praeclare expressit sanctus Augustinus: ***Docet*** (Ecclesia) ***renes jirosjiicere />o/mUs, omnes pópalos se su Iniere regibus: ostendens quemadmodum et non omnibus omnia, et omnibus caritas, et nulli debetur iniuria*** (1).

His de caussis opera vestra, Venerabiles Fratres, valde utilis ac plane salutaris futura est, si industriam atque opes omnes, quae Dei munere in vestra sunt potestate, ad deprecan da societatis humanae vel pericula vel incommoda Nobiscum contuleritis. Curate ac providete ut, quae de imperio deque obediendi officio ab Ecclesia catholica praecipiuntur, ea homines et plane perspecta habeant, et

(1) Do morib. Eccl. lib. 1, cap. 30.

ad vitam agendam diligenter utantur. Vobis auctoribus et magistris saepe populi moneantur fugere vetitas sectas, a coniurationibus abborrere, nihil seditiose agere: iidemque intelligant, qui Dei caussa parent imperantibus, eorum esse ***rationabile obsequium,*** generosam obedientiam. Quoniam vero Deus est ***qui dat salutem regibus*** (1), et concedit populis conquiescere ***in pulchritudine pacis et in tabernaculis fiduciae et in requie opulenta*** (2). Ipsum necesse est orare atque obsecrare , ut omnium mentes ad honestatem veritatemque flectat, iras compescat, optatam diu pacem tranquillitatemque orbi terrarum restituat.

Quo autem spes firmior sit impetrandi, deprecatores defensoresque salutis adhibeamus, Mariam Virginem magnam Dei parentem, auxilium christianorum, tutelam generis humani: s. Iosephum castissimum sponsum eius, cuius patrocinio plurimum universa Ecclesia confidit: Petrum et Paulum principes apostolorum, custodes et vindices nominis christiani.

Interea divinorum munerum auspicem Vobis omnibus, Venerabiles Fratres , Clero et populo fidei Vestrae commisso Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud s. Petrum die xxix Iunii A. MDCCOLXXXI, Pontificatus Nostri anno quarto.

LEO PP. XIII.

(1) Psal. CXLIII, 11
(2) Isai. XXXII, 18.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

Pii RELICTI

Die 29 Maii 18S0.

C**ompendium facti**. P**lus** vir Simeon anno 1861 postremo quo decessit elogio, inier cetera disposuit: relinquo summam octocento florenoruin, ut ex fructibus huius summae, celebrentur quotannis et in perpetuum duodecim anniversaria, in suffragium animae meae, uxoris filiorumque meorum, onerans de his anniversariis D. Lucam G. et post eius mortem, iuniorem Capituli sacerdotem. Post obitum testatoris, Rmus Episcopus supradictum pium relictum, ratum habuit, ad rem misso epistolio ad Capitulum Cathedralis dato die 1 Ianuarii 1862.

E vivis sublato Canonico G. pium relictum, sede vacante, per decretum Vicarii Capitularis diei 29 Augusti 1873, collatum fuit Ioanni B. qui, licet natu minimus esset, novissime canonicatum obtinuerat, quique illud perpetuo retinuit. Vita functo Ioanne B', per decretum Ordinarii de die 30 Iulii anni 1877 idem collatum fuit actuali possessori canonico Iosepho B. qui postremo loco inter canonicos connumeratus fuerat, licet omnium natu maior esset.

Verumtamen cum de mense februario anni 1878 inter canonicos Cathedralis cooptatus fuisset D. Ioannes V. hic quatenus iunior Capituli canonicus a Rmo Ordinario petiit: an ad se pertineret anniversariorum celebratio, atque usufructus relictae sortis. Ordinarius petenti respondit: sese putare, legatum pium, de quo est sermo, naturam induisse be-

neficii simplicis, post Ordinarii acceptationem; ita ut iuxta fundatoris voluntatem, semel collàto, dum investitus vivat, fruendi hoc legato ius possideat. Tunc Orator ad S. C. Congregationem recurrens, dubiorum in calce exscriptorum petiit solutionem.

Disceptatio §yno|>tâca.

Simplex beneficium haud esse videtur. Ad primum dubium quod spectat, ambigendum non videtur pium relictum Simeonis inter Beneficia ecclesiastica adnumerari non posse. Sane ad constituendum verum Beneficium sex potissimum requiruntur , ad tradita per *Ferraris verbo Beneficium art. 1 n. 8 et seqq.* cum communi canonistarum, uti videre est in causa *Volaterranae diei 20 Martii 1880 §. Ad primum dubium;* nempe: 1. Quod Beneficium Ecclesiasticum Episcopi auctoritate fuerit erectum; 2. Quod habeat aliquid spiritualitatis adnexum ; 3. Quod conferatur a persona ecclesiastica; 4. Quod conferatur Clerico, scilicet saltem tonsura initiato; 5. Quod sit perpetuum; 6. Quod sibi non possit retineri, sed necessario sit conferendum alteri.

Iamvero in pio relicto Simeonis deficit primum requisitum, quod nempe Episcopi auctoritate in titulum fuerit erectum: ergo concludendum videtur non esse verum Beneficium ecclesiasticum: et supervacaneum est de aliis requisitis inquirere, quia Beneficium esse non potest, nisi canonice erectum fuerit, ad tradita per *Rotam decis. 8 n. 7 coram Malvasia.*

Fortius hoc tenendum, si prae oculis habeatur Decretum Episcopi diei 4 Ianuarii 1862, quo edicitur pium testatorem, summam florenorum 800 reliquisse titulo legati et quo facultas conceditur pro acceptatione dicti legati. Accedit in instrumento seu actu fundationis, neque verbum neque vola occurrere de erectione pii relicti in titulum Beneficii; passim vero nomen *legati* usurpari, ac canonicum G. eiusque

successores ad pium relictum legatariorum nomine donari. Ex quo concludendum videtur, pium relictum Simeonis inter legata pia recensendum esse.

Peior autem evaderet conditio Canonici B. in hypothesi quod hoc pium relictum verum Beneficium dicendum esset. Cum enim ipse iam possideat canonicatum in Ecclesia Cathedrali, simulque aliud simplex Beneficium in Dioecesi, nec non perpetuo gaudeat legato Scozzi; tertium Beneficium incompatibile esset, ad tradita per *Conc. Tridentinum Sess.24 c. 17 de reform.*

Ad secundum dubium quod attinet, notandum venit, quod si verba *iunior sacerdos Capituli* sensu litterali ac naturali accipiantur, interpretanda videntur de canonico sacerdote , natu minimo, non vero de sacerdote ultimo loco inter Canonicos cooptato. Sane testator non dixit *ultimus canonicus Capituli:* quae quidem verba Canonicum postremo loco nominatum significarent ; sed honoravit *iuniorem sacerdotem Capituli;* nemo autem non videt hanc locutionem a priori longe differre, ac testatorem ad aetatem honorati respexisse. Cum autem in facto constet canonicum V. inter illos Capitulares natu minimum et novissimum esse, concludendum videtur, pium relictum ipsi conferendum esse.

Neque qui semel illud obtinuit, eodem perpetuo gaudere debere videtur, prout proponitur in tertio dubio, sed solummodo quoad usque iunior perseveret, inter capitulares sive quoad aetatem, sive quoad tempus nominationis ad Canonicatum; vix ac enim novus canonicus nominatur aliis iunior, pro eodem conditio impletur, a testatore volita, ad assecutionem pii relicti, simulque deficit pro illo qui antea obtinebat, quia iunior inter canonicos amplius non est.

Ad quartum dubium quod spectat, locum esse videtur repetitioni redituum pii relicti, favore Canonici V. a die quo hic in possessionem canonicatus immissus fuit. Sane cum canonicum B. non lateret, sacerdotem V. iuniorem inter Capitulares esse, aperte liquet ipsum ab ea die usque in praesens in mala fide constitutum fuisse, ideoque fructus pii le-

gaii non fecisse suos, ad eosque restituendos compellendum esse; nihil enim certius quam quod a possessore malae fidei fructus restitui debeant usque ab initio, *I. Certum 22. ff. de rei vindic, L Sed etsi 25 ff. de petit, haer ed., Rota coram Crescentio decis. 23 num. 4,* et in *Romana seu Bergomen. Primogeniturae 15 Iunii 1789 coram Cesarei.*

Quintum denique dubium affirmativo responso dimittendum videretur favore Canonici V. vel Capituli, remanente penes Episcopum iure visitationis quoad eiusdem legati adimplementum. Cum enim testator edixerit: *relinquo sortem 800 florenorum, onerans de his duodecim anniversariis iuniorem sacerdotem Capituli,* ad iuniorem Capituli sacerdotem pertinere videtur legatum eiusque administratio; legatum enim ad eos pertinet, quibus legati verba conveniunt: *Rota decis. 270 n. 7 cor. Malvasia; Mans, consult. 25 n. 12, Caren. resolut, fovens. 45 n. 4, Rota in recent, decis. 302 n. 15 part. 18, in Romana pecuniaria 12 Martii 1759 §. 3 cor. Elephantutio.* Praeterea cum Episcopus Capitulo facultatem concesserit acceptationis legati, implicite recognovisse videtur ad Capitulum ipsum pertinere eiusdem administrationem et collationem. Quod et actualis Antistes probasse dicendus videtur, quum de anno 1877 Capitulo mandavit, ut sors legati ipsius in capitulari arca asservantur. Ergo concludendum videtur al) administratione et collatione pii relicti esse arcendum Episcopum.

SIMPLEX BENEFICIUM ESSE VIDETUR. EX altera vero parte animadvertendum occurrit, quod sive spectetur* legati indoles et munia , sive conferendi modus, et personae quibus et a quibus confertur, dubitari non posse videtur quin pium relictum Simeonis, inter Beneficia vel Capellanías Ecclesiasticas sit adnumerandum. Sane cum testator reliquerit florónos 800 ad hoc, ut ex eorum fructibus duodecim anniversaria quotannis in perpetuo celebrarentur, fundasse dicendus videtur ecclesiasticam Capellaniam, quin opus esset decreto -erectionis ex parte Ordinarii-: quia ut erigantur Capellaniae sufficere fructus assignatos respon-

dit S. C. C. in *Savonen. 4 Augusti 1725.* Quod fortius tenendum, si prae oculis habeatur, testatorem voluisse supradicta anniversaria celebranda esse « *a iuniore Sacerdote Capituli* », quae verba Ordinem presbyteralem in Capellano, actu requirere videntur, subindeque nil magis eiusdem voluntati consonum est, quam ut Capellania ecclesiastica dicatur, ceu perpendit S. O. in *Firmana Capell. 29 Augusti 1722 §. 7,* quaeque in omnibus beneficio ecclesiastico aequiparatur S. C. in *Viterbien. Capellaniae IO Iunii 1876 §. Posita.* Concludendum igitur videtur, pium relictum, de quo est sermo, Beneficium ecclesiasticum vel ecclesiasticam Capellaniam dicendum esse.

Quae quidem Capellania Canonico postremo nominato conferenda videtur, licet natu minimus non sit. Hanc enim fuisse mentem fundatoris uno ore tenent Rmus Episcopus et Canonici Ecclesiae Cathedralis. Iamvero in omnium oculos insilit, magni ponderis esse huiusmodi testimonium, eique fidem adiungendam esse; testimonia enim eorum qui praeseferunt scientiae causam, familiaritatem vel consuetudinem cum testatore, graviora haberi debent si cum testamenti litera et testatoris voluntate consentiant, ad firmata per *Rotam decis. 146 n. 15 coram Malvasia; Gabriel, conclus. 3 n. 3, Menoch. de coniect. ult. volunt. Hh. 5 num. 15¿ et Rot. in rec. decis. 260 num. 13 part. 9> coram. Canili, dec. 260 num. 3.*

Hanc autem interpretationem, de facto recepisse voluntatem testatoris firmat observantia; pium relictum enim anteactis retro temporibus collatum semper fuit Canonico iunior!, seu postremo nominato. Ex quo concludendum videtur ad hunc pertinere ex voluntate fundatoris, non vero ad natu minimum.

Qui autem semel illud obtinuit, quoad vixerit eodem gaudere debere videtur, prout in tertio dubio proponitur, ac per consequens canonicum B. non teneri ad illud dimittendum favore canonici V. Hanc fuisse testatoris mentem, erui posse videtur ex eo quod expresse disposuit , quod canoni-

cus Gr. eodem perfrueretur usque ad vitae exitum; nec non ex eo quod canonicus B. qui pium relictum post primum obtinuit, usque ad mortem et ipse illud retinuit. Iamvero nihil tutius afferri potest ad voluntatem testatoris interpretandam, quam consuetudo illorum qui antea successerunt, ad tradita per *Rotam in recent, decis. 254 num. 6 part. 15[, in nuperrim. decis. 28 num. 4 tom. 6 coram Ansaldo; decis. 706 n. 8, et in Ariminen. Immissionis 5 Iulii 1772 §. final, coram Origo , et decis. 129 n. 7 coram Malvasia.*

Ex quo sponte veluti.sua fluit, canonicum V. quavis ratione destitutum esse ad perceptis fructus repetendos. Dato, atvero minime concesso, quod ipse pium relictum possidere debeat quousque iunior perseveret, haud melior actoris hac in parte causa evadit. Quandoquidem videtur locum non esse repetitioni redituum pii relicti favore Canonici V. nisi a die 27 Maii 1879, qua per recursum eiusdem Canonici ad S. C. C. in dubium revocatum fuit ius Canonici B. in eoque desiit bona fides. Sane neminem latet fructus ex eo die restituendos esse, quo per interpellationem in possessore desiit bona fides. *Rota decis. 132 num. 2 coram Malvasia,* et in *Asculana fideicommissi 2 Iunii 1777 §. 11 cor. Muto,* et in *Firmana immissionis in specie super fructibus 4 Iulii 1791 §. 2 coram eod. Malvasia.*

Ex superius dictis prono veluti alveo fluere videtur, ius collationis in themate ad Episcopum pertinere; ad tramites enim sacrorum canonum, Episcopus est ordinarius collator Beneficiorum suae dioecesis, sive agatur de Beneficiis liberae collationis, sive de Beneficiis iuripatronatus obnoxiis. Facta vero collatione, veluti consectarium sequitur ad eum pertinere administrationem, cuius favore ipsa collatio facta fuit.

Quin ad obtinendam in themate administrationem, Capitulum subsidium captare valeat ex eo quod sors pii relicti deposita fuit in arca capitulari; id enim ad cautelam, et quo tutius custodiretur factum est, ceu Episcopus in sua informatione testatur. Ex quo concludendum videtur ius collatio-

nis ad Episcopum, administrationem ad Canonicum B. pertinere.

Hisce utrinque perpensis, remissum fuit EE. PP. sapientiae ac iuris peritiae, quonam responso dirimenda essent

Dubia.

I. *An pium relictum Simeonis beneficium ecclesiasticum, vel potius legatum pium dicendum sit in casu.*

II. *An idem relictum canonico natu minimo, vel potius postremo nominato, conferendum sit in casu.*

III. *An qui semel obtinuit, perpetuo, vel potius quoad usque iunior perseveret, eodem gaudere debeat in casu.*

Et quatenus negative ad primam partem, affirmative ad secundam

IV. *An et a quo tempore sit locus repetitioni redituum pii relicti favore canonici V. in casu.*

V. *An et cui competat ipsius relicti administratio et ius collationis in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re cognita, sub die **29** Maii 1880, respondendum censuit:

Ad I. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ad IL *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ad III. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ad IV. *Provisum in praecedenti.*

Ad V. *Ius conferendi spectare ad Episcopum, administrationem spectare ad Canonicum legatarium, firma tamen remanente custodia titulorum reditus publici in capsa capitulari.*

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. In quamplurimis differre ecclesiastica beneficia a legatis piis et a capellanis laicalibus.

II. Substantiale tamen discrimen inter beneficia ecclesiastica et alia pia relicta, in hoc praecipue consistere quod in beneficiis et capellaniis ecclesiasticis fundandis, decretum erectionis, et in eorumdem collatione canonica institutio omnino requirantur; quae non requiruntur pro piis legatis aut laicalibus capellaniis.

III. Capellanías laicales et legata pia parum inter se differre; hinc illae ceu legata pia considerari solent.

IV. Pium relictum in themate accensendum esse legatis piis; quod ex voluntate testatoris obtineri nequit, nisi a canonico, cui,, ab Episcopo conferendum est, qui ex iure est collator ordinarius beneficiorum suae dioecesis.

V. Beneficia et legata pia praesumi perpetua, nisi contrarium clare demonstretur ex voluntate testatorum, vel quia Summus Pontifex perpetuitatem abstulerit, et invexerit manualitatem.

VI. Hinc legatum pium in themate semel collatum postremo ad canonicatum evecto , ab isto retineri potest donec inter vivos agat.

DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE

Die 29 Maii 1880.

Per summaria precum

COMPENDIUM FACTI. Episcopus U. sacratissimo Principe commendavit pro dispensatione ab irregularitate ex defectu corporis, quemdam Salvatorem qui Ecclesiasticae militiae nomen dare vehementer exoptabat. Porro defectum, quo laborat, refert Episcopus in eo esse quod ex male *reducta luccatione* brachium sinistrum ad cubitum nullatenus flectat, sed maneat extensum. Ex quo fit:

« 1. Quod albam, ut commodius fìat, ab eodem sinistro » brachio induere incipiat ;

« 2. Quod manus nequeat sursum elatas ante pectus » habere, sed eas sive iunctis, sive non, una cum brachiis, » laeso conformando sanum, ne indecore discordent, pene » recta parallella ad planum linea teneat extensas;

« 3. Quod in osculando Altari idem brachium versus po- » steriorem Mensae partem debeat producere, ne ulla eveniat » incongrua corporis contorsio;

» 4. Quod in sumptione s. Hostiae patenam eidem sup- » ponat pene Corporali adhaerentem, ac eodem modo habeat » Purifìcatorium ad communionem Calicis;

» 5. Demum quod in danda populo benedictione laesum » brachium suo inhaerens lateri teneat extensum, ne in- » convenientius illud per obliquimi versum inguen dexterum » ducere cogatur.

« Quum autem nec brachium ad numerum, nec manus » ac digiti ullo vitio afficiantur, aut vel laevissima a suis » actibus et motibus impediantur difficultate, omnia quae » respiciunt sacramenti elevationem, sacrae Hostiae fractio- » nem atque purificationem vasorum, rite persolvit. Insuper » in iis etiam quae notata fuere, nil videtur in operante » adeo indecens occurrere quod adstantium vel moveat risum » vel pietatem offendat. »

GRATIA DENEGANDA VIDETUR. Omnes corpore vitiatos esse arcendos a ss. Ordinibus, ne scandalum aut saltem populi admirationem causent in sacro litando, eruitur ex *Can. Il- li iter at os dist. 36* - ibi - « *Illitteratos aut aliqua corporis parte vitiatos vel imminutos, nullus praesumat ad cleri- catus ordines promovere.* Cui concinit *Cap. Presbyterum de Cleric. aegrot.* in quo Eugenius Papa sacerdoti non per- mittit missam celebrare quia, ut Pontifex ait,- *nec secure propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformità-*

tem membri hoc fieri posse con fidimus. Id ipsum tandem statuitur in *tit. XIX Lib. i Decret, de corpore vitiatis ordin. vel. non.* Cum itaque in facto consistat, quod vitium quo in themate orator laborat, huiusmodi sit, ut neque secure propter debilitatem, nec sine scandalo, aut saltem sine populi admiratione, ipse Missam celebrare queat; sponte veluti sua sequitur, eumdem ad ecclesiasticam militiam et ordines suscipiendos admitti non posse. Quinimo cum agatur de promovendo, non autem de promoto ad sacros ordines, ratio suppetit qua a sacra militia facilius repellendus sit clericus iste, ceu ex thesauro resolutionum s. C. C. eruere est.

GRATIA CONCEDENDA VIDERETUR. Verumtamen ex alia parte animadvertendum occurrit, superallatam brachii rigiditatem huiusmodi haud esse, quae irregularitatem ob corporis defectum in *Can. Mit. dist. 26* et in *Cap. Presbyterum de Cleric. aegrot.* vel in *Cap. 1. et 6 de corpore vitiatis ordin, vel non* eomminatam inducat. Ex factorum siquidem historia, quam superius innuimus, nobis scire datum est, quod vitium, quo Salvator V. laborat, neque sacrarum rubricarum, quae pro sacro litando praescribuntur, observantiam impedit, neque scandalum seu admirationem populi Missae sacrifìcio adstantis causât.

Verumtamen admissa etiam hypothesi, in themate agi de corporis defectu, qui irregularitatem inducit, nonnullae tamen suppetunt causae, quae dispensationem ab huiusmodi irregularitate concedere suadent. Adest praeprimis Episcopi votum : ast quanti Episcopi votum faciendum sit, ex eo colligitur quod Summus Pontifex solet in hisce negotiis rem totam iudicio Episcopi committere, veluti Reiffenst. tradit *tit. 20 num. 37 de corpore vitiatis etc. citans Rebuffum in praxi beneficiorum §. de dispensatione cum corpore vitiatis num.* 7-ibi - «Non solet Papa cum corpore vitiatis directe
» dispensare ; sed rescribit potius ordinario loci, ut si ex
» inspectione oculari cognoverit non adesse tantam deformi-
» tatem, ut exinde possit in populo scandalum oriri, nec
» ullus Canonum obsistat, ipse dispenset. »

Adest secundo loco praeclarum Salvatoris ingenium, et iuvenibus erudiendis. peritia cum probata dispositione animi ad clericalem militiam, illiusque candidi mores, et prae his etiam omnibus grave iudicium Episcopi super praecisa necessitate Sacerdotum in sua dioecesi. Hisce praenotatis quaesitum est quomodo essent dimittendae preces clerici Salvatoris.

RESOLUTIO. Sacra Concilii Congr. sub die 29 Maii 1880 respondit:

Arbitrio et conscientiae Episcopi, facto verbo cum SSmo.

ERECTIONIS HOSPITALIS

Die 26 Iunii et 24 Iulii 1880.

COMPENDIUM FACTI. Canonicus Antonius Maestri, suis extremis tabulis testamentariis, reliquit, titulo legati, scuta 4000 parvamque domum, eum in finem ut Hospitale, ad sublevandam inopiam infirmitate laborantium, aedificaretur. Cum autem ad hoc laudabile opus aggrediendum tale legatum satis non esse videretur, praestolari piae voluntatis executores optimo consilio statuerunt, ut sors fructibus augeretur. Aliquos vero post annos ex pia largitione Octavii Mazzoni Maestri, ad eundem finem, alia summa accessit; tantaque pecuniae copia subinde in praesentiarum habetur quantam opus postulare existimatur.

'Verum legata domus ex peritorum iudicio haud apta est; nec propter angustiam loci et aeris insalubritatem alibi erigi Hospitale non valet nisi in Ecclesia SSmae Virgini de Pace dicata, quae extra oppidum sita est. Architectus cui

mandatum fuit, ut lineis describeret aedificii erigendi ichnographiam, diligenti studio omnibus bene perpensis renunciavit, quod Hospitale occuparet partem Ecclesiae posteriorem, cum parva adiacenti platea, sa cristiani et duo altaria. Pars autem anterior ecclesiae eiusdem, restaurata cultui omnino restitueretur. Cum autem haec Ecclesia ad Collegiatae Capitulum spectet, hinc de compensatione largienda actum fuit, atque altero audito viro, in arte perito, hac super secunda quaestione, constitutae fuerunt mille libellae, impendendae Fabricae Ecclesiae Collegiatae, ad quam etiam conservatio pertinet praedictae Ecclesiae.

Qua de re supplex oblatus fuit libellus, ut s. Sedes permitteret occupationem partis praedictae Ecclesiae, solutis mille libellis, pro Hospitalis erectione. Episcopus de informatione rogatus, votum emisit favorabile; proposuitque ut mille libellae adhiberentur in restauratione Collegiatae, potius quam investirentur.

SSiseegtäatio syaiopiic».

QUAE SUPPLICI LIBELLO ADVERSANTUR. Conservationem imo et restaurationem fatiscentem Ecclesiarum quantopere commendarunt Tridentini Patres ut deprehendatur, satis est in *cap. 7 sess. 21 de Reform,* oculos iniicere; et ad huius praecepti tramites sacra haec Congregatio saepe Ecclesiarum demolitioni obstitit, uti in *Ravennaten. 29 Iulii 1775* et in *Aesina Demolitionis 26 Augusti 1780.* Quod si facultas haec aliquando indulta fuit, gravibus de causis contigit, et praesertim ob irreverentiae ac profanationis periculum, cui aliqua Ecclesia obnoxia erat, quod abest in themate.

At maiora urgent, quandoquidem in themate agitur de alienatione Ecclesiae. Sciunt autem et qui nihil sciunt, Ecclesias utpote res sacras Deoque dicatas, extra humanum commercium positas esse, subindeque earumdem alienationem prohiberi utrumque ius amico foedere praedicat. *L. si in emptione 34 §. Omnium ff. De contr. empt., L. 2 et 9*

Cod. De religiosis et sumpt. f nn., Can. Si quis obiecerit 1 q. 3 et Cap. Querelam 14 De Simon.

Quin adiutorium quaeratur in conversione Ecclesiae ad Hospitale, et necessitate ob deficientiam alterius aptioris loci. Facile enim id credi non potest. Non agitur enim de insula undique domibus instructa, sed de parvo pago, cuius fines ampliari valent. Insuper animadvertendum agi de re extra commercium posita, eo quia Deo dicata, subindeque ad nullum usum, licet pium, converti nequit ceu ex sententia D. Thomae docet *Card. Capisuccus Controv. II. De vot. sol. quaest, un.* §. *2 vers. Contra haec* - ibi - « S.Tho- » mas cum dicit res divinas non esse convertendas in usum » humanum, loquitur de usu humano generalissimo; nec li- » mutationem ullam apposuit, ut intelligatur se loqui de usu » humano non solum profano, ad quem nulli dubium est, » res divinas non posse converti, sed etiam pio, qui simul » est usus humanus, unde consulto s. Doctor utitur illa voce » de usu humano, absque ulla limitatione, ut omnem huma- » num usum comprehenderet. »

QUAE SUPPLICI LIBELLO FAVENT. Contra sed vero perpendas novum haud esse in Ecclesia, quae recte vocatur vera mater pauperum, ut ipsius bona, imo vasa sacra uti calices et res pretiosiores vendi possint ad exercenda opera pietatis, puta ad redimendos captivos, ad egenorum inopiam calamitatemque sublevandam, ut habetur in *Can. Aurum 12 quaest. 2.* Inter haec autem pietatis opera maximo favore semper Hospitalia gaudere videntur, cum sint manentia et continuata caritatis opera: ac proinde nil mirum si nostro in casu Ecclesia concurrat in illius Hospitalis aedificationem, etiam partem Ecclesiae de Pace cedendo, quod demum nihil aliud esset, nisi rem sacram ad usum aeque pium concedere.

Haec insuper concessio totum utilitatis et nil detrimenti affert, nam cum Ecclesiae de Pace, in qua parum sacra peraguntur, restauratio graves postulet quotannis impensas, facile eveniret quod lapsu temporis, deficientibus nummis, in squalidiorem statum reduceretur , et fortasse necesse foret

eam propter indecentiam claudere: hinc melius esse videtur parvam habere, sed ornatam Ecclesiam, quam magnam, squalore sordibusque horrentem.

Neque difficultas ex. populi admiratione, scandalo, vel ex venditione exurgere potest. Populi enim admirationem et scandalum, ex hospitii aedificatione, valde optata a plebe, procul esse testatur Episcopus. Venditionem autem haud a iure ita reprobari, ut nullatenus permitti possit. Prostant enim exempla, quae contrarium suadent. Ita in *Spoletana Capellae 9 Sept. 1730 dub. 1 confir. 17 Nov. 1731 et 12 Febr. 1735* exposuit Seminarium, se in solo Lateranensi duas dirutas possidere Ecclesias, una cum nonnullis bonis in castro Vallis sitas, ideoque supplicavit pro opportuna abalienendi venia, et impetravit. Monasterio Vallis viridis ob motum terrae diruto, moniales migrarunt ad castrum vetus, novumque ibi monasterium construxerunt. Ut autem monasterii clausura conficeretur, postularunt parvam ac depressam Ecclesiam monasterio proximam dirui, Ecclesiae diruendae pretium patronis exolvere vel aliam in situ ipsis accepto reaedificas paratae. Voti compotes factae sunt moniales, sed pro exequutione remissa res fuit ad Cardinalem Praefectum ad mentem: *Hieracen. Exempt. 6 Dee. 1760 dub. 2.* Nec, ceteris missis, desunt exempla in hac ipsa alma Urbe, in qua concessa fuit faciliti)s destruendi Ecclesias atque in profanos usus convertendi, quemadmodum accidit triginta ferme abhinc annis de Ecclesia s. Stephani, quae prospiciebat Ecclesiam s. Luciae vulgo *del Gonfalone* , in qua modo domus extructa manet: necnon de alia Ecclesia *s. Mariae ad Spolia Christi* nuncupata, in qua pariter domus viginti ferme abhinc annis extructa fuit.

tlisce igitur utrinque breviter delibatis, remissum fuit EE. PP. iudicio sequens enucleare

Dubium.

An et quomodo annuendum sit precibus oratoris in casu.

RESOLUTIO. S. Concilii Cong. re cognita sub die **24** Iulii **1880** respondere censuit: *Affirmative iuxta votum Episcopi, facto verbo cum SSffao.*

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Ecclesiam rite vocari pauperum matrem ; cum saepe saepius induisent sacras res pretiosiores venundari ad exercenda pietatis opera: puta ad redimendos captivos, ad egenorum inopiam et calamitatem sublevandam.

II. *Aurum Ecclesia habet, non ut servet,, sed ut eroget, et subveniat in necessitatibus. Quid, opus est custodire quod nihil adiuvat? Nonne dicturus est Dominus: cur passus es tot inopes fame emori? et certe habebas aurum* ***j,*** *unde ministrasse.^ alimoniam; * (Can. Aurum 12 quaest. 2-)*

III. Ideo mirum haud esse, ([nod etiam in themate induisent Apostolica Sedes, ut pars ecclesiae, pretio modico, cederetur in aedificationem Hospitalis , in quo continuata charitatis opera exhibentur, erga inopes, morbo laborantes.

EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARUM

REDUCTIONIS PENSIONIS

Diebus 28 Iunii Í878 et 17 Decembris 1880.

COMPENDIUM FACTI. Archiepiscopus Dioecesis O. Antonius S. mense Martii **1876** S. Sedi exponebat ex decreto Pii VI felicis recordat. edito die **9** Martii **1803** Mensae suae onus erga Episcopalem B. fuisse impositum, pensionem solvendi annuam in libellis **4800.** Huiusmodi oneri satis fieri potuis-

se absque gravi incommodo, tempore quo praeter libellas centummille annui reditus Archiepiscopalis Mensa O. possidebat « sed praesenti hoc tempore, post bonorum Ecclesia-
» sticorum Usurpationen!, non plus quam decem et octo mille
» libras pro annuo reditu a publico aerario adsignatas ha-
» bet, idque cum onere quorumdam debitorum : (tributo-
» rum a Gubernio impositorum). Quaerit igitur ipse Archie-
y> piscopus Orator (ita preces prosequebantur) an teneatur
» ex isto reditu pensionem illam, vel aliquam eius partem
» Episcopali Mensae B. persolvere, vel an queat se ab hoc
» onere, stantibus extraordinariis rerum mutationibus, to-
» taliter absolutum putare. Quod probe iure necessarium
» omnino est, tum ne B. Mensa, iure suo, si adhuc extat,
» iniuste fraudetur , tum ne in casu contrario indefinitum
» onus Mensae imprudenter impositum in futurum relin-
» quatur. »

Cum ex parte Episcopi fe. obsisteretur, et servandam esse pensionem demonstraretur, res coram plena Congregatione disputanda demandata est.

ARGUMENTA ARCHIEPISCOPI O. Rationibus introitus et exitus suae Mensae ad acta exhibitis Archiepiscopus Antonius S. ostendebat: reditum oneribus obrutum ad praesens haberi in libellis 21361:25. Oneribus vero detractis in libellis 7080:98, superesse libellas 14280: 67 dum e contra eo tempore quo pensio imposita est, inter 100,000 et 120,000 libellas reditus nutare consueverat. Enormem differentiam causam habere ab decimarum absolutione: seque reapse tenuisse, cessante decimarum exactione, pensionem quoque cessare debuisse. Id facto fuisse confirmatum: nam quindecim abhinc annis Episcopus B. nihil de huiusmodi pensione obmussitavit.

EPISCOPI B. **DEDUCTIONES**. Ante omnia monebat non agi in casu de vera pensione, titulo lucrativo imposita, sed de

responsione, oneroso titulo constituta, pro dotatione in compensationem fundorum rusticorum, qui a Mensa B. avulsi, Sedi O, adsignati fuerunt a Summo Pontifice Pio VII die 9 Martii 1803: ope Bullae Apostolicae quae ita se habet: « Ad » Mensae B. dotationem , pensionem annuam ab omni et » quocumque onere liberam, immunem et exemptam per- » petuis futuris temporibus duraturam, bismille et quingen- » tarum libellarum similium, super Mensae Archiepiscopa- » lis O. fructibus, reditibus, et proventibus, per praesentes » reservamus, et ad illam ex nunc modernum et pro tem- » pore existentem Episcopum B. illiusque Mensam Episco- » palem nominamus » Huius vero summae solutionem locum habuisse usque ad annum 1852.

Contendebat secundo loco Mensam O. 18,000 annuas libellas percipere: Mensam vero B. vix .1436: 16. Nec expensas pro concionatone quadragesimali tempore , neque alias huiusmodi sibi opponi posse, pro reditu debitricis Mensae minuendo. Se concipere nequire qua ratione per decimarum abolitionem cessasse pensionem ipse censeat, qui alias pensiones absque ulla exceptione persolvit. Ceterum decimarum abolitionem sibi opponi nequire alia etiam de causa: quia nempe Bulla Piana Mensae B. donationem super reditibus in genere Archiepiscopalis Sedis imposuit, non super uno vel altero reditu taxative designato.

Addit ideo pensionem ab anno 1852 exactam amplius non fuisse, quia Mensa B. vacabat, et vacante anno 1860 etiam Archiepiscopali Sede O. regium Aerarium omnia sua fecisse utriusque Mensae bona. Archiepiscopum Antonium S. sibi imputare debere, quod tributa Mensae imposita fuerint absque detractione pensionis de qua quaestio est, quam denunciare noluit.

Tandem, eo quod Bulla Piana declaravit Mensae B. assignari « pensionem annuam, ab omni et quocumque onere » liberam, perpetuis futuris temporibus, » teneri merito posse, vectigalia omnia ab Archiepiscopali Mensa O. esse substinenda. Tamen se consensum praestare pro pensionis dimi-

nutione, habita tributorum ratione, ad libellas 3000, a die 18 Iunii 1874, qua Archiepiscopus reditus percipere cepit: immo quoad transactum tempus , se alicui[7] condonationi paratum exhibere. Haec vero omnia servaturum se polliceri, dummodo *brevi manu* solutio pensionis locum haberet, ne Gubernium vectigalia pensionis iterum peteret.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. Sedulo esse investigandum Consultor aiebat, an vera pensio, vel potius dotatio in casu existeret: ex hoc enim pendere applicationem decreti *Cum nuperrimis.* Pensionis naturam excludere videri notam perpetuitatis: nam pensio definitur a *Gigante dépens. 1 n. î certa pars fructuum, ad tempus, non in perpetuum separata.* Ex perpetuitate Canonistas distinctionem inter beneficium et pensionem mutuari ceu ait *Fagnan. in cap. ad audientiam de rescr. n. 98 Beneficium Ecclesiasticum eco sui natura debet esse perpetuum , pensio' autem non est perpetua, sed temporalis.*

Attamen non esse praetereunda illa decreti *Cum nuperrimis verba* quae habent: *nullo facto inter ipsamet beneficia ipsasque pensiones discrimine.* Hoc sub respectu forsan aliquam admitti posse reductionem. Immo s. Congregationem capita reductioni subiecta indicasse in *Romana seu Firmana Reductionis pensionis diei 5 Aprilis 1878.* Reductionem in casu fortius locum habere posse, si ob solutionem *brevi manu* peragendam, pensionatus vectigal nullum persolvat.

Hisce disputatis Emis Patribus propositum fuit dirimendum

Dubium.

An, quomodo, a qua die et in qua summa applicandum sit decretum Cum nuperrimis *relate ad pensionem mensae Episcopalis B. in casu.*

Et in generalibus comitiis diei **20** Iunii 1878 responsum prodiit:

Ad mentem: mens est ut Mensa O. super propriis reditibus per solvat libellas 3000 deductis expensis, brevi manu, libertate relicta Episcopo B. tramigendi super pensionibus in antecessum haud solutis.

CAUSAE PROSEQUUTIO

Biennio ab hac resolutione transacto, ad s. Sedem recursum habuit novus Archiepiscopus **O.** Bonfilius M., qui defuncto Antonio S. successerat. Hic adducens indefenso Archiepiscopo Antonio S. resolutionem diei 28 Iunii 1878 editam fuisse, quasi per restitutionem in integrum, emissae decisionis revisionem expostulabat. Narrabat enim « pensionem » Episcopo B. concessam in libellis 3000, ita Mensam O. » obruere, ut Titulari impossibile sit proprio decori pro- » videre, nec non officialium ac familiarium suorum merce- » dibus satisfacere, Mensae onera sustinere, pauperum ne- » cessitatibus occurrere, Seminarii manutentioni providere » aliasque expensas inevitabiles quam plurimas obire. »

Precibus ad S. **O.** Ep. et Reg. a Pontifice ablegatis, eiusdem S. **C.** Moderatores causam reproponi mandarunt: haud remota interim, editae resolutionis exequutione, rescribentes sub die 12 Augusti 1880: *Reproponatur in plenario Auditorio s. Ordinis, praemonitis partibus, non retardata interim solutione libellarum 3000, iuxta resolutionem S. C. die 28 Iunii 1878.*

Novi **ARCHIEPISCOPI NOVAE DEDUCTIONES**. Facti circumstantias recolebat ille, quibus stantibus Pius VII Mensae B. pensionem libellarum 4800 constituit, ut ostenderet totum eo tempore Archiepiscopo **O.** onus impositum fuisse, ac pensionem veram esse eam, de qua agitur. Etenim verbum *pensio* quod in Pontificia Bulla existit, rem a pensione diversam significare nequire, prouti est, non dotationem. Insuper Bullae contextu inspecto, expressum in ea haberi «' cum vero » nuper expressi reditus, infra clarius explicandi ad mensae » Episcopalis B. dotationem non satis esse videantur, *-pen.-*

» sionem annuam etc. » Haec autem secumferre non dotationem, sed existentis iam dotationis supplementum, favore Episcopi B. Pontificia voluntate concessum, quod pensionis essentiam non destruit.

Hisce in facto praeiactis, duas iuris quaestiones proponebat. 1. An obligatio pensionem solvendi duraverit usque adhuc 2. quatenus affirmative, an pensionis diminutio locum habeat ad normam decreti *Cum nuperrimis.*

Quoad primum quaesitum, ostendens Mensae O. conditionem funditus esse immutatam, cum nec decimae nec bona stabilia, neque aliud caput quodcumque impositae pensionis tempore existens in praesenti supererit, contendebat pensionem in vanas auras abiisse, deficiente eiusdem fundamento. Neque respondendum esse, loco bonorum stabilium vel capitum mobilium, haberi reditum a Gubernii aerario solvendum. Hunc namque esse mere personalem , a Gubernii arbitrio dependentem, a dotationis natura penitus diversum, cumque ea nunquam confundendum.

Quoad secundum iterum demonstrata verae pensionis indole, mordicus insistebat pro eius diminutione vel etiam extinctione. Cum enim pensio sit certa pars fructuum alicuius beneficii, eius sortem sequi deberet. Mensam O. 100,000 annuas libellas iam possedisse: in praesenti vix 13712: 38 servare, hoc est vix sextam antiqui reditus partem. Proportione eadem, quoad pensionem instituta, erui: de libellis 4800 vix 415:20 Episcopo B. deberi. Ex his detracto tributo triginta libellarum pro quolibet centenario, manere libellas 293: 26.

Ceterum mensam B. satis locupletem factam fuisse anno 1803, cum loco sex oppidorum Dioecesi A. assignatorum, sex habuit oppida florentissima a Dioecesi O. avulsa: quibus nonnisi ad abundantiam pensio addita est. Verum esse in praesenti, reditum ex publico Aerario tantum in libellis 743 Episcopo B. fuisse constitutum: ast illum aliunde habere, unde defectui amplissime suppleat.

EPISCOPI B. **RESPONSIONES. EX** Bullae verbis, ac ex ipsis

adversis argumentationibus (ita ipse) planum fit pensionem in dotationis supplementum concessam fuisse Mensae B. in perpetuum. Quoties vero pensio perpetua est, *concidit cum* censu, et *non videtur differre a censu novo* ceu uno ore tradunt canonistae ac praecipue *Card. Be Luca et Pikier.* Nec verum est anno 1803 locupletiores factam fuisse Mensae B. conditionem, nam loco sex oppidorum quorum populus animarum 11,168 constabat, sex oppida recepit animarum numero 4860. Cum vero ex hac mutatione Mensae dotatio detrimentum persentiret, aequum fuit, pensione perpetua eius damno providere. Ergo pensio, tum causa inspecta ob quam concessa est, tum eius perpetuitate, verae dotationis indolem sumpsit, nullo modo cum pensione, qua tali, confundendam.

Haec non ad mei ipsius commodum, sed ut Mensae mihi traditae iura sarta tectaque sint. Transeunt Episcopi, mensa autem manet: quae nisi pensionem exigeret, nec *congruam attingeret* (1). Etenim dum Archiepiscopus O. 18,000 libellas ex traditis sibi publici reditus titulis exigit, Episcopus B. libellas tantum 743 ex iisdem titulis habet. Cetera incerta omnino sunt, et a Gubernii Moderatorum voluntate omnino dependentia.

Monstruosa est proportio ex adverso instituta pro pensionis diminutione adstruenda. Ponit enim antiquum reditum in libellis 100,000, nulla onerum (quae gravia erant) habita ratione: novum reditum, oneribus cuiusque generis subductis, indicat. Ex libellis 418,20 tributum triginta libellarum pro unoquoque centenario, iam detractum cum suum reditum ad minimum cohibuit, iterum subducit, cum manifesta invocatae proportionis laesione et computationis errore. Quo super capite satis iam largitum est, cum loco libellarum 4800, tantum 3000 Mensae B. de bono et aequo adsignatae sunt.

His aliisque amplissime disputatis **propositum** est

(1) Confer deductiones quae prostant in Vol. VII, pag. 327.

llubium

An et quomodo recedendum sit a resolutione edita in generalibus comitiis diei 28 Iunii 1878 in casu.

Et in Congregatione generali habita sub die 17 Decembris 1880 Emi Patres responsum dederunt:

In decisis et amplius.

Ex HIS OMNIBUS COLLIGES:

I. Pensionem perpetuam quae in supplementum dotationis Beneficii seu Mensae conceditur, caput mobile conficere beneficii proprium, atque a vero censu non differre.

II. Ad normam decreti *Cum nuperrimis,* reductionem proportionalem pensionum instituendam esse post congruae conciliaris praelevationem.

III. Concurrentibus circumstantiis prouti in casu, satis aequitati consultum fuisse, cum ratione habita diminutionis redituum pensionati, tributa fere omnia ipsius pensioni propria pensionarius in se sumpsit.

IV. Gravibus de causis,' praesertim cum a personis in Ecclesiae Hyerarchia eminentibus gravamina afferuntur, quasi *per restitutionem in integrum* alicuius supremae decisionis revisionem quandoque concedi.

V. Id fieri ob aequitatem illam quae in Ecclesiae iudiciis suprema lex est, ne ob accuratae indaginis defectum, cuiusque negotia, ac praesertim iustitia , detrimentum patiantur.

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM

Feria II die 20 Iunii 1881

e

^Jacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAP A XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio apostolico vaticano die 20 et 27 Iunii 1881 damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscriptam Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera.

Sac. **C.** M. **CURCI**. La Nuova Italia e i Vecchi Zelanti. Studii utili ancora all'ordinamento dei partiti parlamentari. Firenze, Fratelli Bencini editori, **1881.** ***Decr. S. Off. Fer. IV. die 15 lumi 1881. Auctor laudabiliter se subiecit et opus reprobavit.***

BURWOUF EMILE. Le Catholicisme contemporain. Paris, Calman Lévy éditeur, **1879.** ***Decr. 14 Februarii 1881.***

Auctor (Placido Casangian etc.) ***operis cui titulus:*** Risposta finale degli Orientali agli Occidentali: prohib. ***Decr S. Off. 12 Martii 1873 laudabiliter se subiecit et opus reprobavit.***

Feria II die *21* Iunii 1881

BURNOUF EMILE. La science des Religions. Paris, Maisonneuve e C, **1876.**

RENAN ERNEST membre de l'Institut. L'Antéchrist. Paris, Michel Lévy frères éditeurs. **1873.**

— L'Eglise Chrétienne. Paris, Calman Lévy éditeur. **1879.**

JACOLLIOT LOUIS. Les Fils de Dieu. Paris, **1875.**

— Le Pariah dans l'humanité. **1876.**

— Genèse de l'humanité , Fétichisme , Polithéisme , Monothéisme. Paris, **1876.**

— Histoire des Vierges. **1879.**

GrREGOROvius FERDINANDO. Le tombe dei Papi. Prima traduzione ita liana rivista ed accresciuta dall'autore. Un volume. Roma," fratelli Bocca e Comp. lib. edit., **1879.**

— Urbano VIII e la sua opposizione alla Spagna ed all'Imperatore. Episodio della guerra dei trent'anni. Un volume. Roma, fratelli Bocca etc., **1879.**

CASALIS BERNARDO Avvocato. Libro di lettura per il popolo italiano. Saluzzo, tipografia fratelli Lobetti-Bodoni, **1880.**

MARSELLI NICCOLA. Le origini dell'Umanità. Torino e Roma, Ermanno Loescher, **1879.**

— Le grandi razze dell'Umanità. Torino, etc., **1880.**

Auctor (Migorel curé de Malètable) ***operis cui titulus:*** La semaine ou le 3"commandement de Dieu, cum praefatione ms. et numismate panni coloris rubri in quo haec verba leguntur « Dieu le veut et N. D. de la Salette » prohib. ***Decr. 6 Decembris 1875, laudabiliter se subiecit et opus reprobava.***

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probabit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 20 Iunii et 16 Iulii 1881.

FR. THOMAS M\ CARD. MARTINELLI Praefectus.

Fr. Hieronymus Pius Saccheii Ord. Praed.
S. Ind. Congreg, a Secretis.

Loco Sigilli.

Die 21 Iunii et 16 Iulii 1881 ego infrascriptus Cursor testor supradicta Decreta affixa et publicata fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia Curs. Apost.

EX AEDIBUS VICARIATOS

LITTERAE Emi. Cardinalis Vicarii de mandate SSmi. D. N. Leonis XIII ad Episcopos datae, quoad sacrilegum commercium falsarum reliquiarum.

Illme ac Revme Domine

Vigesimus iam. i ere annus est, ex quo nullum beatorum martyrum corpus e coemeteriis romanis , quae Catacumbae dicuntur, in lucem extractum, piae fidelium venerationi , legitima auctoritate, propositum est. Quapropter, licet petentibus multis, ut sibi aliqua martyrum corpora concederentur, nullo modo piis eorum desideriis satisfieri potuit. Sed proximis his praeteritis annis, eiectis e suis aedibus cum viris religiosis , tum virginibus sacris , effectum est, ut plures ecclesiae diruerentur vel publicarentur, et Sanctorum reliquiae, quae iamdiu e coemeteriis extractae et arcatis ligneis reconditae intra monasteriorum claustra vel sub altaribus delitescebant, una cum reliqua ecclesiarum supellectile per Italiam publice venumdarentur. Non defuerunt homines a fide alieni, et vel ipsis infidelibus christiani homines peiores , qui spe, lucri eas emerent, earumque veluti monopolium constituere adniterentur.

Quod exsecrabile commercium statim ac innotuit Sanctissimo Domino Nostro Leoni XIII, Pontifici Maximo , venditores pariter atque emptores ab incoepto deterruit eo decreto , quod eius iussu sacra Congregatio Indulgentiis et sacris Reliquiis praeposita edidit die 21 Decembris anno 1878 (1). Attamen, quae temporum perversitas est, homines pecuniae tantum inhiantes animaeque negligentes, cum non amplius in Pontifice Maximo eam potestatem revereantur, qua a re tam nefaria coerceri potuissent, occulte ac maiori studio ab incoepto opere minime destiterunt.

(1) Habes hoc decretum Vol. XI pag. 365.

Interim vero plures Christifideles, ignorantia huius decreti, Dei et religionis amore ducti, recte se agere putantes si ex infidelium manibus reliquias martyrum redimerent, arculas ligneas quibus illae continebantur, ingenti etiam pretio, sibi comparaverunt, easque ad lipsanothecam urbanam, ut probarentur, detulerunt. Earum igitur nonnullae veteres litteras authenticas secum afferebant, aliae autem iis prorsus carebant; omnes cum signis, tum ceteris indiciis antiquitatis speciem praeseferebant. Instituto examine retentisque arculis, quae dubiae fidei visae sunt, quidquid iis continebantur in subterranea coemeteria delatum est. Ac dolendum profecto plures huiusmodi reliquias Romae emptas , quin ad iudicium deferrentur Cardinalis in Urbe Vicarii (qui solus de Reliquiis in suburbanis hypogaeis veterum christianorum repertis, rite ac legitime iudicare potest), in dissitas terras perla tas fuisse, ea forte spe ut ab exterarum regionum Episcopis probarentur.

Quum vero perditi homines ex hoc sacrilego commercii genere, non modica lucra assequerentur, novam fraudem moliri coeperunt. Etenim arculas ad instar veterum et legitimarum, cum ossibus suppostitias, cum signis ex antiquis expressis, ita composuerunt, ut legitimis similes essent; neque veriti sunt ipsas authenticas litteras eadem fraude et arte confingere, quo pacto plures in dolum induxerunt. Has insidias et fraudes non semper licuit detegere , imo timendum est ne ipsi sacrae lipsanothecae ministri , dolis irretiti, in falsariorum fallacias quandoque inciderint. Quapropter diligenti investigatione nunc acta coniiciuntur, quibus inquiritur, qui sceleris auctores et qui illis adiutores fuerint. Interim ab ipso Pontifice Maximo munus mihi demandatum est monendi Episcopos, ut martyrum corpora, quae e romanis veterum Christianorum coemeteriis prodiisse dicuntur, quaeque utcumque recognita Ecclesiarum praesulibus nunc exhibentur, generatim suspecta habeant, neque fidelium cultui proponi permittant, donec novis litteris moneantur qua ratione circa ea se gerere debeant.

Quae res cum magni momenti sit commendatur prudentiae Amplitudinis Tuae, cui fausta omnia ac felicia precor a Domino.

Datum Romae ex aedibus Vicariatus, XVI kalend. Februarii 1881.

Addictissimus servus verus

R. **CARD. VICARIUS**

APPENDIX I.

IN QUA PLURA REFERUNTUR DECRETA S. RITUUM CONGREGATIONIS

OYETEN.

Rmus D. Benedictus Sans y Fores Episcopus Oveten. ut circa liturgiam omnia recte atque ordinate procedant, insequentia Dubia Sacrorum Rituum Congregationi solvenda proposuit, videlicet:

P. 1.

Dubia circa recitationem Officii.

DUBIUM I. Ad Officium Titularis Ecclesiae Parochialis sub ritu duplici primae classis cum Octava tenentur tantum Parochi seu Viee-Parochi, an etiam Coadiutores ad nutum eis ab Ordinario dati, ut in administratione Sacramentorum aliisque Parochialis Officii ministeriis iisdem inserviant?

DUBIUM II. Statutum fuit de communi consensu inter Apostolicae Sedis Nuncium in Hispania et civilem potestatem ut Coadiutoriae iuxta novissimam conventionem instituendae sint perpetuae, collativae, veraque ecclesiastica beneficia: quod tamen numquam fit ob rerum perturbationem, quae executionem illius Conventionis impediunt. Si negative ad primum Dubium, quaeritur: tenebunturne post executionem praedictae Conventionis tamquam Beneficiarii atque adscripti stricte ?

DUBIUM III. Ex Coadiutoribus nonnulli ab Ordinario adscribuntur servitio Parochorum, qui praeter Ecclesiam Parochialem aliam filialem habent, ut ibi residentes omnia vel nonnulla Sacramenta, Viaticum et Extremam Unctionem saltem Fidelibus ministrent a Parocho dependentes, tenentur Coadiutores ad Officium Titularis illius Ecclesiae vel tenetur Parochus tantum vel ambo?

DUBIUM IV. Qui titulo Patrimonii ordinantur, statim alicui Ecclesiae adscribuntur ut in ea Missam celebrent et Parochis inserviant, non tamen tamquam proprie Coadiutores. In his Ecclesiis Officium choraliter non recitatur. De iure videtur non habere nec posse Officium Titularis recitare sub ritu duplici primae classis; nonnulli tamen teneri se iudicant ex titulo adscriptionis, et de facto recitant. Sustinerine potest et ad omnes haec praxis extendi?

DUBIUM V. Maxima Paroeciarum pars huius Dioeceseos ex variis oppidulis seu pagis efformantur: nonnullae ex uno tantum. Ab immemorabili Titularis Ecclesiae Pa-

rochialis tamquam Patronus loci seu locorum eiusdem Paroeciae colitur, eiusque dies a fidelibus uti Festus habetur sub utroque praecepto. Iis in Paroeciis tenenturne omnes clerici ad Officium Titularis, tamquam Patroni loci seu locorum?

DUBIUM VI. Titulo Capellaniae collativae sacros Ordines susceperunt non pauci. Hae Capellaniae non tantum in Altaribus seu Capellis Ecclesiarum parochialium fundatae fuere sed etiam in parvis Sacellis intra Nobilium domus et in pagis aedificatis cum onere celebrandi Missam et populum docendi sive omnibus Dominicis sive aliquando iuxta fundationem. Ex bis Cappellanis sunt qui ad Titularis suae Capellae, ab Ecclesia parochiali separatae, Officium sub ritu duplici primae classis cum Octava existimant se teneri et de facto recitant, etiamsi postea Parochiam titulo proprio vel in oeconomatu teneant, et onera Missarum locatim adimpleant per alium in Capella. Alii minime se obligatos censent. Tenentur ad recitationem Officii Titularis Capellarum separatim a Parochiali templo extructarum?

DUBIUM VII. Ex Parochis sunt nonnulli, qui aliam Ecclesiam seu Sacellum habent praeter parochiale non tamen stricte filiale declaratum, sed ex antiquo annuente Ordinario pro commoditate Fidelium longe a Parochia degentium, ibidem per se vel per alium Missam celebrant et in nonnullis Sacramenta, praeter Baptismum, administrant. Tenenturne ad Officium Titularis praefatae Ecclesiae recitandum?

P. 2.

Dubia, circa Officia Titularium,

DUBIUM I. Nonnullae ex Paroeciis titulo ss. Iusti et Pastoris et ss. Cosmae et Damiani fuerunt erectae. Una invenitur titulo s. Iusti tantum, alia titulo s. Cosmae, tertia denique s. Hemeterii, cui in Kalendario Hispaniae coniunctim cum eius fratre s. Celidonio eodem die officium assignatur. Die IX Augusti s. Iustus, qui cum fratre Pastore celebratur in Hispania. Die XXVII Septembris s. Cosma cum Damiano Fratre officium habente.Die XXVIII Novembris s. Acischis, cui cum Sorore Victoria officium datur in Hispania. Hi omnes in lectionibus secundi Nocturni ita copulantur, ut separari non possint, praesertim cum iisdem loco, tempore et tormentis Martyrium consummaverit. Merati in additione ad Gavantii Commentaria Tom. II. sect. III. cap. X. De occurrentia Officii- divini seu de Translat. Festor. §. VIII ait: « Non esse dividendos eos sanctos, qui iuncti sunt per se, et quasi ex natura rei, cum videlicet aliqua inter eos consanguinitas vel affinitas intersit: ss. igitur Marcus et Mârcellianus qui erant fratres ideo non sunt dividendi, licet in praedicta Ecclesia reperiatur Reliquia insignis tantum de s. Marcelliano. Qui non sunt pariter dividendi etiamsi unus eorum esset Patronus vel Titularis. » In Decreto tamen Sacrae Rituum Congregationis diei 2 Maii 1801 legitur: « Si Officium celebrandum sit sub ritu inferiori, non esse separandum Fe-

stum sanctorum Septem Fratrum, sed de omnibus Officium coniunctim peragendum. » Quatenus sequi non liceat Merati doctrinam, quomodo ordinandum erit Officium in praefatis diebus ? Quomodo et quando de Sanctis separandis et transferendis, cum intra Octavam s. Titularis nulla sit dies libera? Notandum est quod ss. Hermeterius et Celidonius orationem et hymnos habent proprios et quod ss. Iustus et Pastor non tantum orationes et hymnos, sed antiphonas, responsoria, lectiones in tertio Nocturno, et Missam.

DUBIUM II. Inter Titulares invenitur etiam s. Fructuosus Ep. Mart. de quo in Breviario Hispano agitur die XXI Ianuarii simul cum ss. Augurio et Eulogio Diaconis eiusdem, pro separatione eorum potestne sequi regula a sacra Rituum Congregatione tradita die IV Septembris 1745 ïn Aquén, pro separatione s. Dionysii et eius in martyrio Sociorum tam in oratione, quae propria est et unicuique accommodata, quam in reliquis?

DUBIUM III. Titulares sunt s. Georgius M. die XXIII Aprilis s. Felix Africanus die I Augusti, s. Mammas die VII Augusti, s. Rosa Viterbiensis die IY Septembris, s. Aemilianus Conf. XII Novembris et s. Saturninus Ep. M. XXIX Novembris, et quibus in aliis Dioecesibus Hispaniae Officium celebratur cum lectionibus pro secundo Nocturno approbatis , et in Officio s. Mammetis etiam pro tertio Nocturno. Postulat Orator extensionem earum Lectionum pro Ecclesiis Dioecesis, in quibus Titulares sunt praefati Sancti cum decem sint Paroeciae s. Felicis, et sic de s. Mammete etc.

DUBIUM IV. Inter s. Felicis Ecclesias una est perantiqua, in qua ab immemorabili Officium celebratur non die I Augusti sed XXI Februarii, et populus festum in utroque foro servat. In illa etiam imago s. Felicis duobus abhinc seculis sculpta mitra et baculo est insignita. In antiquis et recentioribus Ecclesiae scriptis Parochia s. Felicis M. tantum nuncupatur, sicut reliquae Dioeceses quae eumdem habent Titularem, et s. Felicem Africanum die I Augusti venerantur. Ratio celebrandi Officium die XIX Februarii alia esse nequit nisi quod in antiquo Breviario Ovetensi hac die de eo fiebat. Legitur enim: « XIX Februarii ss. Felicis et Machabeorum MM. (fuit I Augusti). » Hinc eruitur s. Felicem Africanum esse huius Ecclesiae Patronum. Relinquendum est ne Officium in die XIX Februarii vel potius in die I Augusti reponendum ? Quid de praecepto audiendi sacrum et abstinendi a servilibus usque nunc a populo servato, si ad I Augusti transferatur Officium? Eritne conveniens festum pro foro externo in eadem die relinquere ad evitanda scandala Fidelium, qui in sua rusticitate de his discernere nequeunt?

DUBIUM V. Dies in Martyrologio s. Christophoro assignata est XXV Iulii, in quo celebratur Festum s. Iacobi Apostoli Hispaniae Patroni : s. Christophorus ergo transferri debet. In citato Breviario Ovetensi de illo fiebat die XXYII eiusdem mensis, et in una

saltem ex paroeciis illius Sancti in hac ipsa die ex tunc celebratur ut Titularis, translato s. Pantaleone, qui ritu seraiduplici in Hispania celebratur. Poteritne aliis haec ipsa dies perpetuo tamquam propria assignari iuxta antiquum Breviarium, ab illa Octavam incipiendo, ne nimium retardetur Officium s. Titularis, cum nulla dies vacua inveniatur usque ad XXVI Augusti ?

DUBIUM VI. S. Adrianus Martyr trium Parochiarum Titularis est. Ex his in una numquam de eo fiebat Officium, in aliis die VIII Septembris, translato Officio Nativitatis B. M. V.: in antiquo Breviario OfScium s. Adriani in Dioecesi celebrabatur dieVII eiusdem Septembris ne festum Nativitatis transferretur. Potestne in posterum ita fieri recitando Officium Titularis die VII Septembris vel die IX sicut in Dioecesi Salmatieen., in qua sub ritu semiduplici ab omnibus celebratur?

DUBIUM VII. Festum Ssmi Nominis Iesu , in secunda Dominica post Epiphaniam celebrandum, occurrere potest cum s. Antonio Abbate Titulari, vel cum ss. Fabiano et Sebastiano etiam Titularibus nonnullarum Ecclesiarum. Dies XXVIII Ianuarii, ad quam transferendum est illud Festum iuxta Rubricas, impedita est Festo s. Iuliani Ep. Conf. sub ritu duplici secundae classis in hac Dioecesi sine Octava. Alia dies ante Quadragesimali libera fortasse non erit cum prima sit XXI Februarii, et in Ecclesia s. Fabiani et similiter in Ecclesia s. Sebastiani XXI, cum dies XX assignetur tamquam sedes propria s. Martyris a Socio Titulari separati. In Decreto sacrae Rituum Congregationis diei II Septembris 1790 pro Hispania legitur: « Officium Ssmi Nominis reponendum esse ab Episcopo in aliam diem infra eamdem (octavam s. Iuliani) translato quocumque alio Festo, nisi sit altioris ritus. » Cum vero in hac Dioecesi ex Decreto 21 Iulii 1870 Festum s. Iuliani sine Octava celebretur, quaeritur, quomodo facienda sit praedicta translatio Ssmi Nominis Iesu ? Sequenda estne regula in Decreto stabilita, etiamsi s. Iulianus non habeat Octavam?

DUBIUM VIII. S. Romanus Abbas Titularis est unius ex Ecclesiis Parochialibus. Eius festum celebratur die XXVIII Februarii etiam in anno bisextili iuxta Decreta sacrae Rituum Congregationis die 7 Septembris 1680 et 1 Martii 1681. In illo enim declaratur Officium particulare assignatum pro die XXV Februarii, nisi sit Titularis aut Pa troni, transferendum esse ad primam diem Officium novem lectionum non impeditam; in hoc respondit sacra Congregatio idem intelligendum esse de aliis Officiis occurrentibus in sequentibus diebus Februarii. Cum ergo s. Romanus sit Titularis Ecclesiae et Patronus loci suam sedem retinet in anno bissextili, ideoque die XXVIII celebratur. Eius Octava fere numquam terminatur propter Quadragesimam. Usque ad finem huius saeculi semel tantum integram habebit octavam. Tam propter hoc, tam propter frequentem diei octavae frequentiam, quae in anno communi erit VII Martii, in bissextili vero die VI, non

mutatur in perpetuum officium s.Thomae Aquinatis die VII occurrens, sed transfertur tamquam accidentaliter impeditum, si integra celebratur Octava s. Romani in anno communi, recte ne agitur ?

DUBIUM IX Die XXXI Decembris in aliquibus Paroeciis celebratur Officium s. Columbae V. M. titularis eorumdem , ideoque perpetuo impeditur Officium s. Silvestri P. C. Quaeritur ergo an reducendum sit semper ad ritum simplicem vel potius ad V Ianuarii transferendum , sicut ex constitutione Gregorii Papae XIII transfererebatur in Hispania Officium s. Thomae Cantuariensis occurrens in Dominica infra Octavam Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi, eo quod impedita esset dies XXX propter festum Translationis s. Iacobi Apostoli.

Sacra porro eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis ac consideratis, rescribendum censuit:

1. Quoad Dubia circa recitationem Officii:

Ad I. Ad Officium Titularis Ecclesiae teneri quoque Coadiutores in casu.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Negative ad primam partem, seu teneri Parochum tantum.

Ad IV. Negative iuxta Decretum in una Mechlinien. Diei 7 Decembris 1844.

Ad V. Affirmative.

Ad VI. Negative.

Ad VII. Negative.

2. Quoad vero Dubia circa officia Titularium:

Ad I. Praedictos Sanctos per se et ex natura rei coniunctos in Kalendario descriptos, quorum vel alter est Titularis Ecclesiae, vel alterius insignis Reliquia asservatur in Ecclesia, non esse separandos.^

Ad II. Affirmative iuxta schema propositum.

Ad III. Pro gratia iuxta petita.

Ad IV. Nihil innovandum.

Ad V. In praefatis Ecclesiis tantum hanc consuetudinem tolerari posse.

Ad VI. Die octava Septembris colebrandum esse Festum s. Adriani Titularis Ecclesiae, translato in diem primam liberam Officio Nativitatis B. M. V. iuxta Rubricas.

Ad VII. Festum Ssmi Nominis Iesu in primam diem liberam esse transferendum, iuxta Decretum in una Mechlinien, diei 22 Maii 1841 ad 3 in casu.

Ad VIII. Inductam consuetudinem servandam esse.

Ad IX. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Atque ita rescripsit indulsit et servari mandavit die 11 Aug. 1877.

SENEN.

Director Kalendarii pro divino Officio recitando sacroque peragendo in Archidioecesi Senensi sequentia Dubia sacrae Rituum Congregationi pro opportuna resolutione subiecit, nimirum:

DUBIUM I. An in Secreta Missae Festi Septem Dolorum B. M. V. legi debeat *suo suorumque* vel *suae suorumque* prouti in nonnul-

lis recentioribus Missalis Romani editionibus invenitur?

DUBIUM II. Quoties tempore paschali administrandum est Ssmum Eucharistiae Sacramentum ante ac post Missam deRequie, debetne dici oratio de tempore atque addi *alleluia* in versiculis?

DUBIUM III. Quando Feria VI in Parasceve detegitur Crux, Rubrica Missalis praecipit pro secunda actione ut discooperiatur brachium dexterum Crucis, sed in Caeremoniale Episcoporum" praescribitur ut etiam detegatur caput Crucifixi. Quaeritur an observandum sit praescriptum Caeremoniale Episcoporum ?

DUBIUM IV. Quum nonnullae appareant discrepantiae inter Ritus Generales Missalis et Rubricas Ordinis Missae, quaeritur an hisce vel illis standum sit ; et nominatim 1. utrum observandum sit quod habetur in Ritu celebrationis Missae tit. IV. n. 3. scilicet « dicto Evangelio versus crucem elevans et extendens manus» quod ex ordine Missali .sic legitur, « Deinde... extendens, elevans, iungens; » 2. An efformanda sit crux super oblata quando statuitur in Ritu celebrandi Missam N. 1. hoc modo « Hoc sanctum sacrificium » vel sicuti ponitur in Canone nempe « Hoc sanctum »; 3. An servanda sint adamussim quae continentur in 4. et 5. tit. X post verba « Deinde dispositi» etc. usque ad verba <c Calicem salutaris, » quae omnia in Canone non eodem ordine sunt disposita?

DUBIUM Y. An patena debeat esse eiusdem materiae ac cuppa calicis; et an planetae ex lana confectae permittantur ?

DUBIUM VI. In una Pisarum diei 15 Maii 1819 decretum fuit quod ubi festum s. Urbani Pont. Mart. celebrandum sit sub ritu duplici, recolatur die 25 Maii, translato festo s. Gregorii VII P. C: quaeritur an standum omnino sit huic decreto vel potius dispositioni Kalendarii pro Clero Romano, in quo festum s. Gregorii VII fixe assignatum est die 25 Maii, translato illo s. Urbani ad diem 28 eiusdem mensis?

DUBIUM VII. An ubique tenendum sit quod resolutum fuit in una Ordinis Minorum s. Francisci diei 8 Augusti 1835, ut nimirum versiculis primi nocturni in officio Translationis almae Domus Lauretanae sit iste *Hic domus Dei est et jporta coeli ?*

DUBIUM YIII. An possit Sacerdos Missam celebrare sine ministro quotiescumque deficiat, vel non sit idoneus, neque adsit gravis necessitas celebrandi ?

Sacra vero Rituum Congregatio, postquam alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris votum exquisierit, ad relationem subscripti Secretarii enunciatis Dubiis accurate perpensis sic rescribere rata est:

Ad I. Detur Decretum in una Ratisbonen, die 25 Maii anni huius (1).

Ad II. Dilata, et exquiratur votum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris.

Ad III. Standum est in casu Episcoporum Caeremoniali utpote clariori.

Ad IV. Orator consulat probatos auctores.

(1) Vide decretum eiusmodi Vol. XIII, pag. 273.

Ad V. Quoad primam partem, detur Decretum in una s. Hippolyti diei 31 Augusti 1867 ad Dubium IV; (1) quoad secundam partem, usus Ecclesiarum laneas casulas non admittit.

Ad VI. Affirmative iuxta Decretum in una Pisauren. diei 15 Maii 1819.

Ad YII. Standum Decreto 8 Augusti 1835.

Ad VIII. Orator consulat probatos auctores. Atque ita rescripsit die 18 Decembris 1877.

SUPPLEMENTUM

DECRETA GENERALIA CAUSAS SERVORUM DEI RESPICIENTIA

In Generalibus Decretis a S. M. Urbano PP. VIII editis super moderatione cultus Dei famulis praestandi omnino praecipitur ut sive Causa procedat per viam non cultus, sive per viam casus excepti, particularis processus praecedere debeat una cum subsequenti pronuntiatione Ordinarii, seu Iudicis ab Apostolica Sede delegati, vel super cultu non exhibito vel super casu axcepto. Quibus Decretis diu conformis extitit Sacrae Rituum Congregationis praxis uti patet ex eiusdem Congregationis Actis. Quin etiam, prouti testatur S. M. Benedictus PP. XIV in suo opere de Canonizatione Sanctorum Lib. 11. Cap. 23 N. 10 inductum fuit ad normam eorumdem Decretorum ut per particularem processum nedum probaretur cultus initium, seu fundamentum casus excepti, verum etiam cultus eiusdem iugis continuatio, usque ad sententiam hac de re editam sive ab Ordinario, sive a Iudice ab Apostolica Sede delegato subinde tamen accedente expresso vel tacito S. Sedis consensu, iudicialis illa ac legitima inquisitio intermitti coepit , et per extraiudiciales probationes deventum est ad declarationem casus excepti. Verum cum Emi Patres sacris tuendis Ritibus Praepositi particularis processus confectione valde conferre animadverterint accuratiori causarum examini, re mature perpensa, auditoque s. Fidei Promotore hodiernis Comitiis ad Vaticanum habitis, Generalium Decretorum tenorem ac veterem S. Congregationis praxim districtius in posterum observari iusserunt. Proinde statuere ut deinceps ad approbationem cuiuslibet ex casibus exceptis non deveniatur, nisi praecesserit particularis Processus tam super cultus initio, seu super fundamento casus excepti, quam super cultu continuatione usque ad sententiam ab Ordinario, seu ab Iudice ab Aposto-

(1) Habes hoc decret. Vol. XII, pag. 33.

liea Sede delegato emananda, qua declaretur casum de quo agitur comprehendi inter exceptos a memoratis Decretis S. M. Urbani PP.. VIII- si Ssmo Domino Nostro placuerit. Die 5 Decembris 1868.

Facta autem per subscriptum Secretarium Ssmo Domino Nostro Pio Papae IX relatione, Sanctitas Sua Decretum Sacrae Congregationis approbavit, ac confirmavit, typisque editum publicari praecepit die 10 eiusdem mensis et anni.

II.

Sacra Rituum Congregatio expendens Processus sive Ordinaria sive Apostolica auctoritate pro Servorum Dei Beatificatione et Canonizatione extra Urbem confectos gravem quandoque irregularitatem adnotare debuit in eo sitam, quod personis certum officium in processu instruendo gerentibus, postquam illo fungi coeperunt, venia data fuerit perdurante adhuc sive Ordinaria sive etiam Apostolica eiusdem Causae inquisitione, officio primo dimisso, aliud diversae indolis assumendi et exercendi. Haec autem officiorum permutatio cum Iuris regulis minime consona videatur, eadem Sacra Congregatio in Ordinariis huius diei Comitiis ad Vaticanum habitis ad praedictum removendum abusum et suspicionem quamlibet etiam levem in re tam gravis momenti prorsus eliminandam,« censuit prohibendum, si Ssmo placuerit, ne deinceps in condendis quibusvis Processibus tam Ordinariis, quam Apostolicis, ad eiusdem Servi Dei Causam pertinentibus, eadem persona diversis officiis ne successive quidem, utcumque priori expleto et dimisso, fungi possit sub poena nullitatis. » Die 10 Decembris 1870.

Factaque de praemissis per subscriptum Secretarium Ssmo Domino Nostro Pio Papae IX fideli relatione, Sanctitas Sua praefatam Sacrae Congregationis decisionem ratam habuit et confirmavit, eamque praesenti generali Decreto promulgari et ab omnibus servari mandant. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 23 eiusdem mensis et anni (1).

(1) Explicit appendix quarta Decretorum S. C. Rituum, adiicienda collectioni Gardellini. Quae appendix continet decreta ab anno 1867 ad annum 1877.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

De Consistorio secreto habito die 4 Augusti 1881.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

L E O N I S

DIVINA PROVIDENTIA

IP ~P _A. IS XIII

ALLOCUTIO

HABITA DIE IV AUGUSTI MDCCCLXXXI AD S. R. E. CARDINALES
IN AEDIBUS VATICANIS

Venerabiles Fratres

Convocare ad Nos maturavimus amplissimum Collegium Vestrum, ut de creandis Episcopis acturi, oblata opportunitate uteremur ad significandum Vobis animum Nostrum doloremque impertiendum, haud multis ante diebus susceptum ob res atrociter nefarieque in Urbe aetas, cum Pii IX f. r. Decessoris Nostri cineres efferrentur. Be quo quidem facto inopinato et indigno dilectum Filium Nostrum Cardinalem a negotiis publicis ad Europae principes referre imperavimus , re recenti. Nihilominus allata magno Decessori Nostro iniuria et pontificia violata dignitas, Nos hodierna die vocem promere omnino iubent, ut animi Nostri sensa a Nobismetipsis publice confirmentur, intelligantque catholicae gentes omni, qua possumus, ratione et memoriam viri sanctissimi vindicatam , et maiestatem Pontificis maximi per Nos esse defensam.

Pius IX, ut probe nostis, Venerabiles Fratres, corpus suum in Basilica Laurentiana extra pomarium condi iussit. Itaque cum supremam eius voluntatem hac in re perfici oporteret, monitis iis qui securitatem publicam tueri debent, constitutum fuerat, ut ex Basi-

lica Vaticana corpus aveheretur silentio noctis, eoque tempore quod esse solet maxime quietum. Item ducendum funus esse placuit non eo apparatu qui pontificiae dignitati Ecclesiaeque institutis conveniret , sed quem praesens romanae urbis conditio sineret. Verum eius rei vulgatur repente fama Urbe tota: quare populus romanus beneficiorum ac virtutum tanti Pontificis memor, sponte demonstrat velle se parenti publico obsequium pietatemque supremam testificari. Quod quidem grati et amantis animi testimonium plane futurum erat populi romani gravitate et religione dignum, cum nihil aliud esset propositum quam aut funus decenter prosequi, aut, qua incederet, frequentes ac venerabundos adesse.

Ad constitutam diem horamque pompa funebris **e** templo Vaticano processit, ingenti multitudine ex omni civium ordine per compita perque vias circumfusa. Magnus piorum hominum numerus circa feretrum , maior pone comitabatur, incessu pacatu et gravi. Ab his quidem aptas tempori preces fundentibus nec vox nec significatio ulla extitit, quae lacessere quemquam , aut turbas quoquo modo ciere posse videretur. Sed ecce vel a principio non ignota flagitiosorum manus incompositis clamoribus lugubre officium perturbare. Mox aucto numero et audacia, ingeminare terrores ac tumultus, rebus sanctissimis maledicere, spectatissimos viros sibilis conviciisque accipere : vultuque et voce et ira minaces circumvenire hostiliter lugubrem comitatum, et verberibus saxisque certatim petere. Immo , quod nulla barbaria tentavisset , ne reliquiis quidem Pontificis sanctissimi pepercerunt. Non modo enim nomen Pii IX contumeliose appellatum, sed in currum quadrigarum, quo reliquiae verebantur, coniecti lapides , pluriesque inclamatum, proiiciendos inhumatos cineres. Continuatumque longo viarum tractu, duarum horarum spatio, turpe spectaculum. Quod si non ad extrema ventum est, moderationi eorum tribuatur, qui quamvis omni vi petulantiaque lacessiti iniurias patienter ferre maluerunt, quam ullo modo sinere ut inter illud **pietatis** officium funestiora contingeret.

Haec facta nota omnibus et publicis confirmata monumentis dissimulare aut denegare **ii,** quorum interest, nequicquam conantur: eadem, quocumque fama nuntiavit, non modo catholicarum gentium animos moerore compleverunt, sed Uberrimam indignationem cunctorum hominum moverunt, apud quos valet humanitatis nomen. Undique commeant ad Nos quotidie litterae labem dedecoris et **im**manitatera sceleris exsecrantium.

Sed maximam sollicitudinem animique angorem Nobis ante alios attulit casus nefarius et gravis. Quoniam autem officio impellimur, ut maiestatem Pontificatus romani verendamque Decessorum Nostrorum memoriam tueamur, idcirco teterrimum facinus in conspectu Vestro, Venerabiles Fratres, conquerimur et deploramus, illatamque expostulamus iniuriam, cuius ad eos culpa pertinet, qui nec iura religionis nec civium libertatem adversas impiorum hominum furorem defenderunt. Atque ex hoc ipso perspiciat catholicus orbis quanta Nobis in Urbe securitas relinquatur. — Cognitum perspectumqne erat, coactos Nos esse ad asperam multisque de caussis non ferendam conditionem: hanc tamen recens eventus, de quo loquimur, magis patefecit ac illustravit, simulque ostendit, si acerbus Nobis est rerum praesentium status, acerbiorem esse expectationem reliquarum. — Quod si evectos per Urbem Pii IX cineres indignissimae perturbationes maximique tumultus consecuti sunt, quis praestare queat, non eamdem improborum futuram audaciam, si Nos incedere convenienter dignitati Nostrae per Urbem spectarent? Praesertim si datam sibi caussam putarent, quod Nos officium coegisset aut latas in Urbe leges non iustas damnare, aut quicquam aliud publice non iure gestum reprehendere. Quapropter magis magisque intelligitur, non alio modo Nos Romae nunc posse consistere quam in aedibus Vaticanis captivos. Immo si quis attente certe indicia consideret, quae passim erumpunt, simulque cogitet, aperte coniuravisse sectas in excidium catholici nominis, non sine caussa affirmari potest, adversus Ecclesiam Christi et Pontificem maximum, fidemque avitam Italorum perniciosiora consilia maturari.

Nos quidem ad istos ingravescentis certaminis gradus diligenter, uti debemus, attendimus: eodemque tempore quid Nobis ad defensionem maxime expediat ponderamus. Spe omni in Deo posita, dimicare summa contentione certum est pro incolumitate Ecclesiae, pro libertate Pontificis, pro iuribus et maiestate Sedis Apostolicae: in eoque certamine nec labores fugere, nec difficultates reformidare. Neque propugnatur! soli sumus, quoniam virtuti constantiaeque Vestrae, Venerabiles Fratres, plurimum in omnes partes confidimus. Ac non levi etiam vel solatio vel adiumento est voluntas et religio 'Romanorum, qui multis insidiis circumventi atque omnibus artibus sollicitati, tamen in obsequio Ecclesiae, in fide Pontificis maximi singulari fortitudine perseverant, nullumque locum praetermittunt demonstrandi quam alte eas virtutes insculptas animo retineant.

De Hierarchia ecclesiastica instituta in Bosnia et Erzegovina.

Interea vero, quamquam in summis iis, quas diximus, et temporum et rerum difficultatibus versemur, tamen muneris Apostolici memores, operam Nostram in re catholica vigilanter administranda collocare, quantum licet, non praetermittimus; atque adiuvante studium Nostrum summa Dei benignitate, christianarum gentium utilitati servire pergimus. — Quam ad rem libentes commemoramus hoc loco collatas nuper in Bosniam et Erzegovinam curas. Cum enim valde cuperemus rem sacram in iis regionibus melius ordinare firmiusque stabilire , communicatis cum carissimo in Christo Filio Nostro Francisco Iosepho Austriae Imperatore et Hungariae rege apostolico consiliis, hierarchiam ecclesiasticam in iis provinciis constituendam curavimus. Huius rei caussa sedem urbis Seráiensis, quae Bosniensium urbium princeps habetur, Archiepiscopali et Metropolitana dignitate auximus , ac Verhbosnensem appellari iussimus: eidemque sedes episcopales tres, nempe Banialucensem, Mandetriensem seu Dumniensem, Mercanensem et Tribuniensem Kagugusini Episcopi administrationi concreditam, tamquam provinciales adsignavimus et addiximus, earumque sedium Episcopos Archiepiscopi Verhbosnensis suffraganeos futuros decrevimus.— Mandavimus porro, Venerabiles Fratres, ut exemplaria Apostolicarum Litterarum, quas de ecclesiastica hierarchia in memoratis regionibus constituta in luce edi iussimus, Vobis tradantur, ut ex iis varias rerum sacrarum in iis locis vices, et totam rei a Nobis gestae rationem intelligatis.

Hanc providentiae rationem a Nobis initam eo certe valituram confidimus, ut inter Slavorum populos, qui lucem diligunt, gloriosis eorum Apostolis et Patronis caelestibus suffragantibus, Christi religio ampliora incrementa suscipiat, ac tamquam ex fecundo semine laeta salutis seges, Dei gratia fovente, succrescat ac floreat.

Confirmatio electionis Patriarchae Ciliciensis Armeniorum.

Nunc pergratum est referre ad Vos, Venerabiles Fratres, de recenti cooptatione Patriarchae Ciliciensis Armeniorum. Etenim luctuoso illo, quod nostis, fere sublato dissidio, patriarchali se digni-

tate sponte abdicavit Venerabilis Frater Antonius Hassun, cui ob laborum ac virtutum merita romanae purpurae honorem deferendum censuimus. Quamobrem providimus, ut Venerabiles Fratres Episcopi Armenii in Synodum congregati novum Patriarcham eligerent seu postularent. Coortis ex inopinato difficultatibus, rem distulerunt; sed tandem synodali conventu habito in aede honori sancti Nominis Deiparae sacra, die sexta superioris mensis, Venerabilem Fratrem Stephanum Azarian, Archiepiscopum Nicosiensem, ***in partibus infidelium,*** Patriarcham Ciliciensem, Petri X nomine appellantes, maiore suffragiorum parte renunciarunt. Iidem deinde Episcopi litteris die octava superioris mensis ad Nos datis, suae observantiae testibus, omnia a se in hac electione gesta Nobis significarunt; atque intelligentes Patriarchalem dignitatem, omnem vim et firmitatem suam a beato Petro Apostolorum Principe accipere, qui divina ordinatione agnis et ovibus praepositus ***claves regni caelorum communicandas ceteris solus accepit*** (1), a Nobis, ut par erat, per preces postularunt, ut Synodalem electionem Apostolica Nostra auctoritate confirmare vellemus. Id pariter suppliciter Nos rogavit Venerabilis Frater Stephanus Azarian Patriarcha electus seu postulatus, qui epistola ad Nos missa die octava superioris mensis, una cum formula professionis fidei a se subscripta, quam ad formam ab Urbano VIII propositam coram Synodo edidit, obsequii et devotionis sensus erga hanc Apostolicam Sedem luculenter exposuit, et in eius fide et auctoritate se perpetuo futurum declaravit. Firma itaque fiducia est Nobis, Venerabiles Fratres, eumdem Patriarcham electum seu postulatum, qui in varietate munerum quae gessit, observantiae erga Romanam Ecclesiam, peritiae in rebus agendis, constantiae in catholica unitate tuenda perspicua argumenta semper exhibuit, omnem operam daturum, ut in eo amplissimo gradu quem obtinet, omnibus boni Pastoris partibus tum verbo, tum exemplo, tum studio in animarum salute quaerenda, fideliter satisfaciat. Hac fiducia erecti, de consilio Nostrae Congregationis Fidei Propagandae Orientalium Ecclesiarum negotiis praepositae, precibus eiusdem electi seu postulati Patriarchae et Coepiscoporum eius annuendum censuimus, et eumdem Stephanum Azarian in Patriarcham Ciliciae Armeniorum Apostolica Nostra auctoritate confirmandum et canonice instituendum decrevimus.

Itaque auctoritate Omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum

(1) S. Optat. Milev. I. VIII.

Petri et Pauli ac Nostra confirmamus et approbamus electionem seu postulationem a Venerabilibus Fratribus Episcopis Armeniis Ciliciae factam de persona praedicti Archiepiscopi Stephani Azarian, quem absolvimus a vinculo fquo]tenebatur Ecclesiae Nicosiensi *in* ***partibus infidelium,*** ac transierimus ad Patriarchalem Ecclesiam Ciliciae Armeniorum , praeficientes eum Patriarcham et Pastorem eidem Patriarchali Ecclesiae, prout in Decreto et Schedula consistorialibus exprimetur, contrariis quibuscumque hon obstantibus. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Sanctissimus Pater, habita allocutione, sequentes proposuit Ecclesias:

PATRIARCHALEM ECCLESIAM ARMENIORUM Ciliciae, vacantem per liberam renunciationem a Sanctitate Sua admissam R. P. D. Antonii Petri IX Hassun , qui postea ad Cardinalatus dignitatem evectus est, titulo Vestinae ss. Martyrum Vitalis, Gervasii **et** Protasii; favore Rev. Patris, D. Stephani Azarian Archiepiscopi Nicosiensis i. p. i. qui ab Antistitibus Catholicis Ciliciae rite electus seu postulatus est, assumpto Stephani Petri X nomine.

Ad Ciliciae Patriarchatum pertinent Armenii qui incolunt Ciliciam , Armeniam minorem , Cappadociam et Syriam, insuper et Mesopotamiam , quae tamen Patriarchis in administrationem data fuit ad beneplacitum Sedis Apostolicae. Deinde vero ex eiusdem indulgentia illi etiam accessit universa ecclesiastica provincia Constantinopolitana Armenorum, olim a sa. me. Pio VIII erecta, et a sa. me. Pio PP. IX patriarchatu Ciliciensi perpetuo unita, Apostolicis litteris datis die 12 Iulii an. 1867. Ex quo Patriarcha Cilicien. non in Monte Libano, prout antea, sed in urbe Constantinopolitana residet, ac eamdem Constantinopolitanam Ecclesiam ordinaria iurisdictione moderatur.

Promotus fuit in Patriarcham R. P. D. Stephanus Azarian, qui in Urbe Constantinopolitana natus die 31 Decembris 1826 , in Pontificio Collegio Urbano educatus et sacerdotio auctus, ministerii ecclesiastici muneribus in eadem civitate integre defunctus, Vicariam Patriarchae potestatem, difficillime etiam tempore exercuit, et ad archiepiscopalem Ecclesiam Nicosiensem i. p. i. a sa. **nie.** Pio PP. IX promotus, catholicam unitatem a recentiori Armeniorum schismate discissam strenue defendit, suamque devotionem Apostolicae Sedi compro-

bavit. Fidei professionem a sa. me. Urbano VIII Orientalibus propositam rite emisit in synodo Episcoporum Armenio rum,a quibus electus seu postulatus fuit, eiusque formulam manu sua signatam ad Apostolicam Sedem misit.

METROPOLITANAM ECCLESIAM **CALARITAN**. vacan, per obitum bo. me. Ioannis Antonii Balma, ultimi illius Archipraesulis apud romanam curiam defuncti, favore R,. P. Vincentii Gregorii Berchialla, Presbyteri Congregationis Oblatorum beatae Mariae virginis. Hic ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Albae Pompeiae progenitus, et in quinquagesimo octavo aetatis suae anno constitutus est. Presbyter Congregationis Oblatorum beatae Mariae virginis effectus et in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, suae Congregationis Procuratori s Generalis munere hucusque perfunctus est.

METROPOLITANAM ECCLESIAM **VIENNEN**, favore R. P. D. Caelestini Ganglbour, Ordinis s. Benedicti, Abbatis monasterii Kremsmuster.

METROPOLITANAM ECCLESIAM **GOAN**. in Indiis Orientalibus, vacan, per obitum bo. me. Ayris d'Ornellas de Vasconcellos,ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti; favore R.P. D. Antonii Sebastiani Valente, presbyteri dioeceseos Beiensis, ad praesentationem Serenissimi Portugalliae et Algarbiorum Regis fidelissimi. Antonius Sebastianus Valente ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in Portu s. Mariae, archidioeceseos Hispalensis, fortuito progenitus et in tricesimo sexto aetatis suae anno constitutus , penes Conimbrigensem universitatem theologica in facultate Professoris munere perfunctus est.

ARCHIEPISCOPALEM ECCLESIAM **TYREN**. sub Patriarcha Hierosolymitano in partibus infidelium vacan, per obitum bo. me. Caroli Iosephi Benedicti ab Argentau, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti , favore R. P. D. Dominici Iacobini presbyteri romani. Qui penes Pontificium seminarium Romanum quondam linguae graecae professor , ibique hodiedum studiis Praefectus adlectus, Congregationum ab Indulgentiis ac sacris Reliquiis, supremae Inquisitionis, et ab Ecclesiasticis Negotiis Consultoris munere perfunctus est. Officialem olim in Congregatione de Propaganda, in Brevium secretaria Substitutum, in ecclesiasticis negotiis a Secretis, et hucusque S. R. E. Bibliotbecarii agens vices, inter Sanctitatis Suae domesticos Antistites adscitus , atque ad praesens usque patriarchalis basilicae Vaticanae Canonicus renunciatus est.

CATHEDRALES ECCLESIAS MACERATEN. ac **TOLENTIN.** invicem perpetuo canonice unitas, vacan, per obitum bo. me. Caietani Eranceschini, ultimi illarum Episcopi , extra romanam curiam defuncti; favore R. D. Sebastiani G-aleati presbyteri Imolensis. Sacro Presbyteratus ordine ac in utroque iure dudum doctorali laurea donatus, ad ecclesiasticas peragendas functiones sedulum applicuit" animum. Inter pro-Synodales examinatores , ac seminarii dioecesani Deputatos adscitus, Imolense in Cattedrali canonicus ad praesens usque renunciati est.

CATHEDRALES ECCLESIAS MELPHIEN. et **RAPOLLEN.** invicem perpetuo canonice unitas, vacan, per dimissionem a **R.** P. D. Ignatio Sellitti, ultro libenterque in manibus Sanctitatis Suae peractam ab eademque admissam, favore R. D. Iosephi Camassa presbyteri Lyciensis dioecesis. Qui sacro Presbyteratus ordine dudum auctus, in ecclesiasticis peragendis functionibus sedulo incubuit, et penes Lyciense seminarium sacrae theologiae professor hucusque renunciatus est.

ECCLESIAM CALABOSIEN. seu **DE CALABOZO** in ditione de Benezuela Americae Meridionalis a sa. me. Pio PP. IX per Apostolicas litteras ***a Ad universam agri Dominici 'curam v*** datas nonis Martii **1863** Cathedralitatis honore decora tam et a primaeva erectione sua vacantem ; favore R. D. Sallustiani Crespo presbyteri archidioeceseos Caracensîs, seu s. Iacobi de Benezuela, ad praesentationem, vigore Indulti Apostolici, perillustris Viri reipublicae de Benezuela, vel Caracensis praesidis. Presbyteratus ordine et in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus , in ecclesiasticis obeundis functionibus apprime enituit. Pluribus annis animarum curae addictus in ***Ortiß, Tinaco*** et ***Caracas,*** cuius in seminario vices egit Rectoris , et ecclesiasticae historiae Professor ac ultimo etiam Rector. Caracense in urbe penes illam universitatem sacrae theologiae Professoris, ad s. Annam Curionis, [totiusque archidioecesis Provisoris, Vicarii in spiritualibus Generalis, atque Gubernatoris hucusque perfunctus est muneribus.

EPISCOPALEM ECCLESIAM SAMEN. sub Archiepiscopo Ephesino in partibus infidelium, vacan, per obitum bo. me. Nicolai de Martino, ultimi illius Episcopi extra Romanam curiam defuncti,favore R. D. Benedicti Mariani presbyteri Sublacensis Abbatiae, qui in Suffraganeum Sabinensem deputatus fuit ad pontificalia ceteraque pastoralia munia in civitate ac dioecesi Sabinense obeunda.

Pluribus annis pro dioecesibus Montis Falisci, ac Viterbiensis Vicarii in spiritualibus Ge-

neralis munere successive perfun. ctus , ac postrema illa Sede vacante Vicarius Capitularis, atque nuperrime Sacrosanctae Patriarchalis Archibasilicae Lateranensis Canonicus renunciatus est.

Per Breve autem pontificium sequentes collatae fuerunt Ecclesiae:

ECCLESIA ARCHIEPISCOPALIS ANCYRAN'. in partibus infid. R. P. D. Fideli Suter, translato ex Ecclesia Rosalien. in partibus.

ECCLESIA ARCHIEPISCOPALIS STAUROPOLITAN. in part. infid. R. P. D. Massaia, translato e Cassia in partibus.

ECCLESIA CLTHEDRALIS PORTUS GRATIAE R. D. Reginaldo Mac-Donald Parocho e Pitou, Dioecesis Arichatensis.

ECCLESIA CATHEDRALIS CROSSEN. R. D. Kiliano Flasch, Rectori Seminarii Salesiani apud Milwaukee.

ECCLESIA CATHEDRALIS NOVARIEN. R. D. Winando E. Wigger, Parocho Missionis e Madison.

ECCLESIA CATHEDRALIS DAVENPORTEN. in statibus Americae foedere iunctis, erecta a Sanctitate Sua, R. D. Ioanni Mac-Mullen ex Archidioecesi Chicagien.

ECCLESIA CATHEDRALIS TRENTONEN. erecta a Sanctitate Sua, R.D.Michaeli O'Farrell, Parocho in civitate Neo-Eboraci.

ECCLESIA EPISCOPALIS MARTIANEN. in partibus infidelium R. P. Fr. Vincentio Pesci a Florentia e Minorum Cappuccinorum , deputato Vicario Apostolico Patnensi.

ECCLESIA EPISCOPALIS THENEDEN. in part. infid. R. D. Iosepho Fenouil, alumno Seminarii Parisii pro exteris missionibus, deputato in Vicarium Apostolicum e Yun-Nan.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

MATRIMONII

Die il Septembris 1880, et 29 Ianuarii 1881.

COMPENDIUM FACTI. Caietanum B. aetatis suae vigesimum quartum annum agens et Maria V. annos nata 18, ambo Dioecesis R. in faciem Ecclesiae die 4 Maii 1873 matrimonium rite celebrarent, actu civili penitus praetermisso. Eadem die inceperunt individuam vitae consuetudinem ducere et consummationi matrimonii operam dare; sed per quatuor menses frustra id tenta runt, dum Maria, uti asseritur, ad iura maritalia reddenda, incapax est inventa. Ipsa, ut cognosceret qua ex causa ortum haberet eius impotentia, de consensu mariti, cum Parentibus suis peritum in arte chirurgica consuluerunt ; qui censuit, praevia inspectione, puellam laborare plena *Atresiâ,* et uterum et vaginam deficere omnino. Caietanus id sciens statim ad domum paternam remisit uxorem: **et** privata auctoritate coniuges sese separarunt quoad thorum et quoad habitationem ; (et hanc separationem ratam habuit Rmus Archiepiscopus decreto proprio ad hoc emanato). Die autem 6 Decembris 1873 Caietanus a Rnio Archiepiscopo R. suppliciter petiit, ut nullum declararetur Matrimonium ob impotentiam Mariae ad reddendum debitum coniugale, prout ipse expertus fuerat, et prout Chirurgus iudicaverit; ut aliam mulierem in uxorem ducere posset. Sed ut prudentius in re tanti momenti procederetur, alii duo Medico-Chirurgi, probi ac fide digni, sub vinculo iuramenti, a Curia R **electi**

fuere ad aliam inspectionem corporis puellae, antequam initiare tur formaliter processus. Absoluta inspectione, dicti duo periti in scriptis simul deposuerunt, Mariam impotentem esse ad reddendum debitum coniugale.

Post hanc secundam inspectionem coniuges Caietanus et Maria die 10 Ianuarii 1875 comparuerunt ante Rmum Dnum Vicarium foraneum et unanimiter insteterunt pro declaratione nullitatis eorum matrimonii ; ut ipse Vicarius generalis Uteris datis die 29 eiusdem mensis testatur.

Tunc Archiepiscopus mandavit, ut conficeretur formalis processus ; sed habita ratione ad temporum tristitiam , ad coniugum paupertatem, et ad maximam distantiam coniugum a Curia episcopali, ipsemet Archiepiscopus casum exposuit S. C. C. ac simul petiit, ut in conficiendo processu *pro nullitate* matrimonii, omitti possent examen testium septimae manus, et inspectio corporis mulieris. Cui responsum fuit die 20 Februarii 1876: *Prout exponitur non expedire.* Item sub die 20 Maii eiusdem anni iterum responsum fuit: « *Erfoi Patres s. Congregationis Concilii haud praeteriri posse censuertcntj sive examen testium septimae manus, sive solemnitates, et cautelas iniunctas pro inspectione corporis mulieris, quae substantiam ipsam probationis afficiunt.*

Omnibus igitur apte dispositis, actus processus ad normam Const. Bened. XIV *Dei miseratione* et ad normam Instructionis editae ab S. C. C. 22 Augusti 1840 initiati fuerunt. Caietanus regulariter citatus interrogatusque fuit; sed Maria noluit amplius sese inspectioni formali subiicere, atque ab hac obstinatione removeri omnino non potuit. Dum autem ad formam iuris et responsionis S.C.C.confìciebatur processus, Caietanus matrimonium civile cum alia muliere contraxit.

Sub die autem 8 Novembris 1879 Emus Archiepiscopus transmisit ad S. C. C. actus processus, suppliciter petens, ut Apostolica Sedes dispensare dignaretur super solemnitate processus quoad inspectionem corporis mulieris, ob absolutam reni tentiam, quam ipsa pertinaciter opposuit.

Hisce habitis, et perspecta coniugum paupertate concessum

fuit causam oeconomice proponi cum voto theologi et canonistae et animadversionibus defensoris matrimonialis vinculi ex officio, quorum synopsim damus.

0ig«rei>tatio Sysioptica.

VOTUM THEOLOGI. Inquirendum sibi, ait iste, an ex actis processualibus, aliisque assequi posset certitudinem moralem de inconsummatione matrimonii. Et re quidem vera ex depositione iurata Caietani, et testium septimae manus ab ipso Caietano adductorum constaret, quod matrimonium non solum non fuit consummatum, sed neque consummari potuit ob insuperabilem impotentiam puellae. Ex depositionibus Mariae autem, pariter iuramento firmatis, videretur retinendum, quod matrimonium fuerit revera consummatum. Ast Sánchez *lib. 7 de Impedim. Matrim, disp. 109 n. 9* ait: « Mulieri se cognitam a viro asserenti, est potius cre- » dendum, quam viro neganti... »Verum auctor ipse statim subiungit... « nisi vir convincat, eam per aspectum corporis » esse virginem, tunc enim potius viro est fides habenda. > In themate animadvertendum est,depositiones Caietani semper fuisse concordes inter se et cum depositionibus testium *septimae manus;* nedum illorum testium quos ipse Caietanus adduxit, sed etiam cum depositionibus testium, quos adduxit Maria, dum actum est de facto consummationis. Indicium proinde ex hoc erui posse videtur, veritatem stare ex parte Caietani ; et coniuges inter se non colludere, eoquod etsi a marito separata maneat mulier, tamen non desiderat dissolutionem vinculi matrimonialis. Insuper assertiones et depositiones Mariae haud sibi invicem cohaerent.

Asseruit primo quod menstrua numquam habuit, et quamvis aliquod desiderium amplexuum sessualium in se experta fuerit, ab ipsis postea abhorruit propter vehementem dolorem, quem in tentanda copula patiebatur. Deinde interrogata iudicialiter, ait: se menstrua regulariter habere, neque abhorrere a copula,etiamsi dolorem experta fuerit.Iurata vero peritia Chirurgorum et eorum relatio, licet fuerint extraiudiciales, ta-

men magni ponderis putari debent, quia iudiciali depositioni Matris Mariae conformes fuerunt. Ex. his enim constat Mariam tali laborare incommodo, ob quod matrimonii consummatio impossibilis evadat ; quum asseruerint aliquid vere extraordinarium, quod nempe mulier utero et vagina careat. Loquitur de hoc impedimento Zacchias *lib. 9 Quaestionum Medico-legalium Tom. 2 tit. 3 quaest. 5 n. 3. «* Dico se-
« eundo quod coitus impedimentum consideratum a Canonistis
» in muliere ob uteri clausuram, non semper est ob duritiam
» et crassitiem eius partis quae hymen dicitur____sed aliud
» genus clausurae fit interdum , sed rarius ab alia quadam
» membrana preternaturali, ut etiam medici omnes fatentur
» quae in paucis quidem reperitur, *quia ut dixi res prae-*
» ternaturalis est. » Quae membrana, ait ille, si inveniatur prope externum uteri osculum, ac nullo foramine pervia sit, ut in casu de quo agimus verificatur, impossibilis est matrimonii consummatio. Hinc Maria sola omnino remanet in suis assertioni bus , quae matrimonii consummationem adstruere videntur ; dum tamen contradictionibus implicantur. Quamobrem hic casus reponendus videretur in illorum numero, in quibus vir contra mulierem probat, non esse secutam matrimonii consummationem. Addi etiam potest quod ait Sánchez *lib. 7 de matrim, disp. 107 n. 3.* « Quando
» impotentia iudicio medicorum est evidens, iuramentum
» coniugum non est necessarium. » In casu de quo agitur impotentia mulieris evidens fit ex iudicio medicorum.

Non est autem posthabendum quod multi testes loquuntur de conatibus viri ad copulam; ex quo dubium enasci posset de consummatione sequuta. Ex his depositionibus tamen constat virum fudisse semen, absque tamen debita vasis mulieris penetratione. Quo in casu Theologi communiter cogitant non dari veram matrimonii consummationem; quia ut ait *La Croix lib. 6 part. 3 n. 793...* « talis seminatio non sufficit
> per se, ut tales coniuges, modo naturali censeantur fieri
» una caro____» Et Coscius *de separat. Tori lib. 3 cap. 2* ***n.*** *230.* « Clarissimum est coniuges numquam fieri, nec esse

» posse unam carnem, si cum penetratione carnalis non in-
> terveniat copula. »

Quod autem impedimentum hoc matrimonium praecesserit, ex ipsius Mariae depositionibus eruere datum est. In suis contradictionibus fatetur tamen quod sicut iu ultimis, ita in primis conatibus ad copulam perficiendam, semper eumdem dolorem patiebatur. Stando enim iudicio medicorum agitur de membrana, vaginam occludente ; quae impedimentum constituit naturale et intrinsecum. Nam quando constat de impotentia naturali et intrinseca, praesumitur quod praecesserit; quia quod a natura inest, semper inesse videtur. Confirmatur id a perpetua carentia menstruorum, quam ipsa medicis et uni ex testibus confidentialiter fassa est, quamque eius mater sub iuramento testatur.

Adesse in themate causas graves pro dispensatione matrimonii rati, haud dubitare licet. Adest primo *alienatio animorum;* per quam causam ex theologis dispensatio impetrari potest. Neque reconciliationis spes affulget, ex quo praecipue Caietanus animum et cor ad aliam convertit mulierem. Adest etiam timor scandali : et revera magnum generatur scandalum ex eo quod Caietanus, dum adhuc alligatus remanet Mariae, cum alia muliere maritaliter conversatur, sibique unitam retinet, ex contractu civili, quod matrimonium iniuria vocant.

VOTUM CANONISTAE. De nullitate matrimonii ex capite impotentiae non constare satis, censuit Canonista. Nam Archiepiscopus conficere nequivit, ob Mariae repugnantiam, actus processus. Hinc haberi nequivit, ceu probatio plene concludens de nullitate huius matrimonii, inspectio quam periti extraiudiciales fecerunt. Nam ut inspectio haec, sit legitima probatio huius iudicii, debet confici ad formam iuris; prout «docet Instructio S. C. C. diei 22 Augusti 1840 (1). Atqui inspectioni peritorum multa defuerunt; non fuerunt citatae partes, nempe tam coniuges, quam defensor matrimonii; defuit balneum, per quod meliori modo cognosci posset arcti-

(1} Habes eiusmodi Instructionem Vol. I, 439.

tudinis qualitas; aliaque multa defuerunt. Haec omnia quum sint praescripta ad detegendam veritatem, afficiunt substantiam probationis, ac proinde eius formam substantialem. Et ideo eorum omissio vitiat iustam probationem ac processum ex *P ir in gli tit. 11 de frigid, et male f. n. 33.*

Cum autem dicta inspectio facta non fuerit iuxta Const. *Dei miseratione,* nempe vocando defensorem vinculi, ideo fit nullius vel insufficientis valoris . En constitutionis verba.... « *Quaecumque vero,* eo-(defensore) *non legitime citato aut intimato, in iudicio peracta fuerint, nulla, irrita, cassa declaramus, ac pro nullis, cassis, ac irritis haberi volumus. . . .* » Quoad inconsummationem matrimonii vero censuit Canonista, ex tabulis processualibus constare , matrimonium in casu non fuisse consummatum: idque eruitur, ait iste, ex confessione iurata viri, ex depositione iuramento firmata mulieris, ex testimonio septimae manus, et ex inspectione corporis mulieris facta a tribus peritis. Et quamvis testimonium hoc peritorum non sit plene concludens pro iudicio vero de nullitate matrimonii, multum valet ad comprobandam inconsummationem matrimonii. Quia si probationes extraiudiciales in causis , in quibus stricte observatur ordo iudiciarius valeant pro informatione ac instructione mentis iudicis *De Luca lib. 15 part. 1 de iudiciis disc. 33 n. 9,* multo magis in hac causa valent, in qua post alias iuridicas probationes, et extraiudiciales et suppletivae et adminiculativae admittuntur; non solum pro instructione ac informatione mentis iudicis, sed etiam in aliarum probationum explicationem ac confirmationem; et quia hoc testimonium peritorum exactissime explicat ac confirmat id quod deposuit Maria, quoad suam incapacitatem retinendi semen. Et hic militat *-peritis in arte credendum est ad definiendas quaestiones etiam in iudicio. - L. penal, c. de iud. Cap. Significasti de homicid.* Ad excludendam omnino matrimonii consummationem , haud obliviscendum est, uxorem, vagina et utero carere, iuxta peritorum expositiones: et ideo matrimonium huiusmodi manet tantum ratum.

Ast, prosequitur Canonista, si adfuerint iustae ac urgentes causae, peti potest ab Apostolica Sede dispensatio super matrimonio rato et non consummato. Quas causas adesse in themate non dubitat Canonista, aiens : una ex causis iustis ac urgentibus ad dispensandum super matrimonio rato est - *quando vir, omni conatu, quaerit uxorem repellere, absque sanioris mentis probabili spe, et cum sibi maxime displiceat, maiora scandala secutura timentur.* - Per hanc causam Pontifices reapse dispensasse super matrimonio rato et non consummato, permulti referunt Canonistae. In casu nostro hanc adesse causam dubitare non licet ; nam Caietanus, inito *civili matrimonio* cum alia, demonstrat suam absolutam resolutionem non amplius sese reconciliandi cum uxore, a qua solvi exposcit omni cum anxietate. Alia etiam adest causa in permanenti discordia inter nostros coniuges. Hanc discordiam adesse in themate abunde demonstrant testes: quod antem mutua discordia causa sufficiens sit pro dispensatione concedenda, inter *alios, habet Sánchez lib. 2 disp. 16 num. 4.*

Potissima vero, inter alias causas, quarum intuitu dispensatio conceditur , ait Sánchez *loc. cit. n. 3 est gravis timor scandali futuri, quia id cedit in magnum damnum commune:* et cum 'Sánchez sentiunt doctores. In themate praeterea dispensatio consulit bono ac decori sacramenti matrimonii.Ex relatione enim peritorum eruitur rationabiliter credi posse iu uxore deesse vaginam atque uterum, et per consequens ipsam impotentiam esse perpetuam, et antecedentem.

Hinc concludit Canonista: quamvis in themate deficiat certitudo moralis de nullitate matrimonii, quia defuerunt probationes plene concludentes , ut alias dictum fuit ; tamen maior probabilitas, ex dictis, stat pro nullitate matrimonii quam pro validitate. Neque obstat *cap. licet ex quadam iti fine de testib.* ubi habetur quod in dubio semper iudicandum sit de valore matrimonii; quia huic difficultati respondit Reiffenstuel *lib. 4 tit. de frigid, et male f. n. 28* » Cum » Abate et aliis doctoribus dicens illud procederequando

« matrimonium potest consummari et habere'suum effectum, « bonum videlicet prolis, et remedium concupiscentiae. Non « item si hoc haberi nequit, prout fit existente periculo impotentiae (1).

Ex quibus conclusit Canonista, per hanc dispensationem consuli bono ac decori sacramenti matrimonii, saluti spirituali viri, quieti ac honori mulieris.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS s.**VINCULI**.Praemisit defensor atresiam seu perfectam arctitudinem in mulieribus extraordinariam esse; et monstrum esse uteri et vaginae deficientiam. Quamobrem ab egregiis viris in arte medica, saepe declaratae fuerunt illusiones, illorum medicorum opiniones qui autumarent esse posse mulierem utero et vagina omnino carentem. Quum autem in themate haud constet probationibus concludentibus de uteri et vaginae deficientia, agi nequit de nullitate matrimonii. Neque dicere licet mulier arcta est et ad coitum incapax; èrgo matrimonium, saltem ex hoc capite, nullum est. Nam mulieris arctitudo impedimentum dirimens utique constituit si naturalis sit, antecedens et perpetua Sánchez *lib. 7 disp. 93 de matrim, qu. 2* (2).

Periti in arte medica, in themate de qualitate arctitudinis nullum proferunt iudicium, cum toti sint in deneganda uteri et vaginae existentia. Ex eorum tamen silentio eruere possumus, quod Maria, absque mortis periculo, incisionem pati queat.Nam membrana quae in illa inferius reperta est, praeternaturalis esse videtur, non admodum dura, sed mollis

(1) Etiam Coscius de *separat, tor. lib. 3. c. 2. n. 36. et seq.* aliam adducit rationem ad iustificandum dispensationem dandam in dubio, ceu in themate *u* Tunc etiam, quia agitur de in- « ferenda iniuria et praeiudicio eidem sa- » cramento matrimonii, directa contraria » procedit regula, nimirum quod in du- * bio standum sit pro exclusione matri- » monii: et viva ratione, quia iù foro *n* externo, in quo iudicat Ecclesia, tole- » rabilius et honestius est per canoni- » eas leges et probationes, et iuxta di- » sciplinam Ecclesiae matrimonium dis- » solvere, quam, nomine et iure matri- » monii, occasionem incontinentiae prae- » bere, et continuum confovere peccatum.

(2) Ex. cap. Fraternitatis de frigid^ et malef. deprehenditur qualis arctitudo dici possit perpetua « *Nos tamen perspieaciter attendentes illud non ess perpetuum, quod praeter miraculum, per opus humanum, absque corporali periculo, poterat removeri.*

et prope vaginae osculum posita; ideoque ea esse, ut facile curari possit. Proinde ceu impedimentum haberi nequire pro matrimonio dirimendo, si morbus curabilis sit, etiamsi illa incisionem recuset. Quod si etiam hac super re dubium aliquod oriri possit, haec sententia sustinenda foret ex communi adagio : « *in dubio standum esse pro matrimonio.* »

Neque melioribus auspiciis res definiri potest per dispensationem: nam gravis enascitur difficultas ex actis tam intrinsece , quam extrinsece consideratis. Et ceteris praetermissis, ait Defensor, deest omnino probatio pro non consummatione matrimonii ex corporis mulieris inspectione. Id grave esse docet *Sánchez lib. 2 de matrim, disp. 13 n-. 1, 2,* cum inspectio corporis mulieris necessaria sit, ut credi possit sponsis, se matrimonium non consummasse iurantibus : « *quia agitur de virgine, quae ut talis post aspectum apparere potest.* »

Dici nequit in casu mulierem récusasse inspectionem : eam recusavit tantum ne iterum novis doloribus et molestiis subiiceretur ceu evenit quum chirurgi , per violentos digitorum suorum motus, uterum in ea requirebant. At modo admonita quod inspectio fieret per obstetrices, et quidem per visum et leves tactus , ut unice constaret eam virum non fuisse expertam, certe non recusare!. Et quidquid futurum esset, saltem de inspectionis possibilitate iuridice constaret.

Inspectio a primo perito facta nil prodest, quia caret omnibus requisitis a lege praescriptis ; nam a sponsae parentibus electus fuit et de inspectione facta fidem dedit, nullo iuramento firmatam. Ceteri ab Ordinario deputati absque balneo fecerunt, neque seorsim, sed una simul inspectionem fecerunt. Hinc si, etiam iudicio consultorum, ex hac inspectione concludens probatio haberi nequeat, ex defectu formae, pro definienda matrimonii nullitate, neque habetur pro inconsummatione declaranda, Quae enim per Instructionem S. O. **C.** definita sunt, sive de forma processus, sive de inspectione corporis coniugum, valent, sive agatur de verificanda impotentia, sive de verificanda inconsummatione.

Exclusa vero huiusmodi probatione, nulla alia remanet, nisi quae exurgere posset ex confessione coniugum; quae multum valet si conformis sit, iurata, collusionem excludens. Ast in muliere conformitas deest; ita ut qui inconsummationem defendere vult, accusat de mendacio mulierem; quo tamen iure nescitur, dum puella ab omnibus testibus dicatur honesta atque religiosa. Alii dicunt eam , ingenii defectu, errasse , dum respondit sese credere, iam matrimonium ex commixtione seminum consummatum fuisse. Ex qua confessione potius eruenda est probatio, quod vere matrimonium consummatum fuerit, neque agi queat de dispensatione concedenda. Ait enim S. C. O. *in Valentinen, matrimonii 24 Martii 1764.* « De dispensatione iudiciorum fundamen-
» tum et basis universa est, ut primo et manifeste constet
» de matrimonio non consummato ; aliter in quocumque du-
» bio, tamquam de re interdicta et supra humanam potesta-
» tem posita, canones non loquuntur. »

Quoad existentiam gravis causae loquendum haud est, ait defensor, existente dubio de matrimonii consummatione.Quamobrem conclusit iste: quum nullum matrimonium declarari nequeat ob impotentiam mulieris, de qua satis non constat; et quum dispensatio concedi nequeat, quia de inconsummatione probatio sufficiens non adest, ideo omnis petitio reiicienda est.

Hisce praehabitis, proposita fuere enodanda

Dubia.

I. *An constet de nullitate matrimonii in casu.*

Et quatenus negative.

II. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Congr. re cognita, sub die **11** Septembris **1880** respondere censuit :

Ad **1** *Providebitur in secundo.*

Ad II *Affirmative, vetito mulieri transitu ad alias nuptias, inconsulta s. Congregatione.*

Reproposita, de more, quaestio haec sub dubitandi formula: - *An sit standum vel recedendum a decisis in casu.*

Sacra eadem Cong. Concilii sub die 29 Ianuarii 1881. respondit - *In decisis.* -

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Requiri, praeter alia, seminum commixtionem et copulam aptam ad generationem, ut vir et mulier per unionem carnalem fiant una caro ; et matrimonium consummatum dici queat.

II. Ideo impotentiam censeri, quatenus vir vas femineum penetrare non possit, quamvis in illius introitu semen effuderit.

III. Perpetuam menstruorum carentiam in femina innuere impotentiae impedimentum.

IV. Matrimonium in themate non fuisse consummatum, evinci per confessionem iuratam coniugum, per septimae manus testimonium et per corporis inspectionem, a tribus peritis actam.

V. Per dispensationes ab Apostolica Sede indultas consuli bono ac decori sacramenti matrimonii, saluti spirituali et quieti coniugum; qui nomine et iure matrimonii, existente periculo impotentiae, occasionem haberent incontinentiae, et continuum confoverent peccatum.

VI. Ideo existentibus in casu canonicis causis, dispensationem super matrimonio rato concessam fuisse, sub conditione tamen ne mulier ad alias transeat nuptias, inconsulta s. Congregatione C. quoniam multa adsunt indicia de eiusdem perpetua et insanabili impotentia.

MATRIMONII

Die il Decembris 1880 et 9 Aprilis 1881

COMPENDIUM FACTI. Die **6** Aprilis anni **1870** Princeps Petrus P. annos natus **40** , Lutetiae Parisiorum a sex circiter annis degens, emigrationis causa, et Comitissa Theodora vidua, eiusdem dioecesis, aetatis suae anno **38,** quae dictam urbem paucis antea diebus petierat, ad matrimonium contrahendum, de facto nuptias in privata domo cuiusdam sacerdotis Iosephi H. a quo nuptialem benedictionem recepere, inter se iniverunt. Privatam quoque syngrapham contracti coniugii, suo aliisque duobus nominibus, qua testibus, subsignatam, praedictus Sacerdos Principi tradidit.

At, ad tramites sacrorum canonum ac Tridentini Concilii sanctionum, res processisse non videntur ; siquidem, uti ex actis processualibus in Parisiensi curia exaratis colligitur, neque Sacerdos erat proprius sponsorum parochus, neque delegationem a proprio ipsorum parocho vel Ordinario obtinuerat, neque duo testes in syngrapha subsignata ritui nuptiali adfuisse videntur, sed tantum mulier quaedam, Comitissae cubicularia.

Paucis a sic inito connubio elapsis diebus, coniuges Bruxellas perrexerunt, animo inibi figendi domicilii, ubi degentibus, mulier utero gravis filium enixa est die **17** Februarii anni **1872.**

Verum duos vel tres post anuos a pueri nativitate, de validitate huius matrimonii suspicio exorta est, qua quidem in dies excrescente, Princeps totis viribus adlaboravit, ut coniugem Theodoram ad renovandum consensum coram proprio Parocho et testibus induceret, ipsaque constanter re-

nuente, se ab invicem separarunt, ac separati semper in posterum permanserunt.

Aliquo tandem tempore transacto, Theodora archiepiscopalem Curiam Parisiensem adiit, petens ut matrimonium ab ipsa cum Principe contractum, nullum declararetur; et relatione facta Apostolicae Sedi, die 16 Iunii 1879, Emo Archiepiscopo Parisiensi commissum est, *ut ad tramitem Const. Benedicti XIV - Dei Miseratione - procederet ad instruendam hanc causam matrimonialem, usque ad sententiam definitivam.*

Emus Archiepiscopus iudicem delegavit ac tribunal rite constituit, a quo actis ad exitum perductis, atque vinculi Defensore minime contradicente, definitiva sententia lata est, qua nullitas matrimonii, ob dirimens clandestinitatis impedimentum fuit declarata. Ab hac sententia, protinus appellavit ad S. C. C. vinculi defensor ex officio.

Disceptatio synoptica.

COMITISSAE DEFENSIO. Ac in primis orator qui pro nullitate pugnat, recolit impedimentum clandestinitatis, ad tradita per *Scavini Theol. Mor. tom. 4 pag. 509 edit. Paris.* situm esse in decreto Tridentini Concilii *Sess. 24 cap. 1 de Ref. Matr.* quo praecipitur ut cuncta fidelium matrimonia celebrentur coram proprio Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi aut Ordinarii licentia, et simul coram duobus vel tribus testibus; ac matrimonia aliter contracta, irrita et nulla, coniugesque ad sic contrahendum inhabiles omnino declarantur; ita ut teste s. C. C. penes Fagnanum, huiusmodi clandestina coniugia neque in sponsalia transire possint.

Iamvero, cum agatur in themate de matrimonio contracto in loco ubi Tridentinum promulgatum fuit, cumque defecerint proprius Parochus, sive Sacerdos de Parochi vel Ordinarii licentia, nec non bini saltem testes; ambigendum non esse ait, quin huiusmodi matrimonium nullum et irritum prorsus sit declarandum.

Quod autem de facto, subsumit, haec omnia in casu defecerint, ex iurata coniugum, Sacerdotis qui matrimonio praefuit, ceterorumque testium unanimi depositione, abunde colligi tenet. Iuratam porro coniugum depositionem maximo in pretio habendam esse docet Baldus *in leg, Testium ff. de testih. n. 36;* et sacri canones fidem habendam esse coniugum confessioni, de inconsummatione deponendum praecipiunt, uti patet *ex cap. Propostati 4 de probat.* Consonant resolutiones S. C C . praecipue in *Burdigalen. Dispensationis matrimonii diei 26 Februarii 1825%.In summario.* Quanti vero valeat conformis depositio omnium testium, quavis exceptione maiorum, nemo est qui ignoret, cum duo testes conformes plenam probationem faciant: *L. Ubi numerus ff. de test.; Cap. Super hoc de renunc; Cap. In nostra de test, et attestât.* Quod si accedat ipsius rei iurata confessio, Sacerdotis nempe qui nuptiis benedixit, absque licentia parochi vel Ordinarii, res extra omnem dubitationis aleam certo certius ponitur ; iudicialis enim rei confessio cui testium omnium conformis depositio suffragetur, est regina probationum, facit rem manifestam, inducit notorium iuris, et habet vim sententiae et rei iudicatae : *Fieiffenst. lib. 2 Decret, tit. 18 n. 62 et 64*

Iamvero, prosequitur, ex hac unanimi et conformi iurata depositione coniugum, testium et Sacerdotis qui nuptiis benedixit, viginti desumuntur, quae simul sumpta luce meridiana clarius demonstrant, matrimonium de quo in themate, irritum et nullum prorsus esse ob impedimentum clandestinitatis proprie dictae. Ac 1. constare sustinet mulierem tempore contractus matrimonialis Parisiis domicilium non habuisse. Sane ipsa deposuit, se pridie tantum diei nuptiarum, Parisios ad ventasse, atque ad hoc adamussim ut matrimonium contraheret, et Bruxellas deinde reverteretur, animo inibi figendi domicilii. Consonant depositiones Principis, Sacerdotis aliorumque testium.Ex quo concludit orator, mulierem, tempore quo matrimonium contraxit, domicilium Parisiis non habuisse.

2. Constare mulierem, e Lithuania venientem nulla secum tulisse monumenta, quibus Sacerdos mandatum haberet, adsistendi matrimonio, cui adstipulatur confessio ipsius Sacerdotis, dicentis nullam ad matrimonium contrahendum obtinuisse delegationem.

3. Constare quod Sacerdos H. neque a Curia Archiepiscopali Parisiensi delegationem acceperat.

4. Constare matrimonium hoc, vere fuisse contractum die 6 Aprilis 1870 in aedibus Sacerdotis. Patere ait ex chartula, ab ipso Sacerdote tradita Principi, post initum coniugium et ex depositionibus dicti Sacerdotis, viduae, Principis, nec non ex depositionibus aliorum testium.

5. Constare praefatum Sacerdotem, ad hoc electum fuisse ab uno Principe. Id deducitur ex confessione mulieris, Sacerdotis et Principis ipsius.

6. Constare Sacerdotem H. nullo unquam tempore fuisse proprium Parochum sive Principis, sive viduae, tam in Polonia quam Parisiis. Hoc testantur coniuges et Sacerdos ipse.

7. Constare matrimonium ita secreto fuisse contractum, sive ne prioris viri familia offensionem susciperet, sive ne uxoris bona a Gubernio Russo tribuerentur fìsco: ex eo quod Princeps exui erat, et propter politicas vicissitudines damnatus.

8. Constare ad secretum servandum, neque testes vocatos fuisse, unamque tantum puellam fuisse praesentem. Consonat depositio Sacerdotis aientis se non exegisse praesentiam duorum testium, duoque nomina testium in chartula subsignata, ab ipso conscripta ex arbitrio fuisse. Tandem consonat depositio Principis testantis, praeter puellam S. neque virum, neque servum, nec ancillam matrimonio, qua testes, interfuisse.

9. Constare quod ad servandum secretum, matrimonium hoc in regestis parochialibus transcriptum non fuit, et illius probatio pendebat a chartula,' quam Sacerdos Principi tradiderat. Id eruitur ex depositionibus Sacerdotis ipsius, coniugum et puellae S.

10. Constare coniuges intentionem habuisse serio et libere matrimonium contrahendi.

11. Constare mulierem, quaquaversus, in bona fide extitisse, et retinuisse matrimonium valide fuisse contractum.

12. Constare ex hoc matrimonio natum fuisse infantem mense Februarii anni 1872. Hoc colligitur ex regesto baptizatorum Ecclesiae parochialis s. Bonifacii in Ixelles, suburbio Bruxellensi, nec non ex conformibus depositionibus coniugum et testis D.

13. Constare nonnisi post quatuor vel quinque annorum spatium, dubium serio conceptum fuisse a coniugibus circa matrimonii validitatem. Id deducitur ex depositionibus coniugum et testium, qui testantur nonnisi circa annum 1875 vel .1870 huiusmodi dubium serio enatum fuisse.

14. Constare, mulierem, cognita nullitate matrimonii, statim a Principe recessisse. Hoc probat depositionibus ipsius mulieris aientis, *cohabitationem cessasse ab anno 1875 vel 1876*, et testis D. deponentis eandem cohabitationem cessasse ab anno 1875.

15. Constare coniuges nunquam consensum rénovasse, neque inter se, neque coram proprio Parocho. Id evincere studet ex depositionibus coniugum et testium, qui fere unanimiter testati sunt, Principem omnem dedisse operam, ut mutuus consensus coram proprio Parocho testibusque requisitis renovaretur; sed mulierem constanter renuisse.

16. Constare coniuges numquam sanationem in radice ab Apostolica Sede postulasse.

17. Constare mulierem iudicium instituisse nullitatis matrimonii. Id evidenter probari tenet ex firma voluntate ipsius mulieris petendi declarationem nullitatis, iudici Parisiensi manifestata, nec non ex iudicis ipsius definitiva sententia, qua nullitas matrimonii declaratur.

18. Constare mulierem modo non duci ad postulandam declarationem nullitatis sui matrimonii, eo quod aliud matrimonium contrahere cupiat.

19. Constare coniugum reunionem esse impossibilem. Sane

mulier interrogata de rationibus eam impellentibus ad nullitatem petendam, respondit : defectus totius respectus, minae violentae Principis erga me, meosque filios ; eius afFectata impietas, electio institutoris pro meo filio, ad septam *internationalem* pertinentis, efficiebant ut eius violentiae continuo extimescere deberem. Adiecit etiam: contemptus, quo prosequor principem, propter eius abusum fiduciae meae,numquam sineret ut unio haec apud ecclesiam instauraretur. Quae omnia una ferme echo confirmantur a supradictis testibus, inter quos D. Henszel deposuit se plurimum adlaborasse, ut coniuges ad concordiam et renovationem consensus adduceret; sed incassum, quia mulier constantissime restitit. Non difformi» tandem est depositio Principis.

20. Constare demum non adfuisse collusionem inter coniuges, ad nullitatis sententiam obtinendam. Id deducitur ex unanimi depositione coniugum et testium, qui unanimiter declarant, Principem convalidationem, viduam, e contra, sententiam nullitatis toto corde optare.

Ex iuratis ergo, concludit orator, depositionibus coniugum, Sacerdotis, qui nuptiis benedixit, puellae quae unice matrimonio adstitit, et omnium testium inductorum, luculentissime apparet, matrimonium hoc contractum fuisse absque praesentia proprii Parochi et saltem duorum testium, ideoque de eius nullitate ambigendum non esse. Fortius id tenendum putat, si qualitates quae mulierem bellissime exornant, prae oculis habeantur. Ipsa enim, testibus Iudice Parisiensi et aliis, est mulier christiana, ex. honorabili familia orta, humanissima educatione decorata, aestimatione et veneratione digna, pietati et christianae charitati in pauperes assidue dedita. Iamvero mulieri probatae conscientiae, quae iurat, matrimonium clandestinum bona fide contraxisse, omnem fidem adhibendam esse, praesertim cum alter coniux omnesque inducti testes in idem unanimiter conveniant, una echo docent doctores, tenuitque *S. C. C. in Ianuen. Dispensationis matrimonii, diei 27 Aprilis 1844 §. Frustra.* Matrimonium ergo, de quo in casu, vere et proprie, in sensu Ecclesiae,

clandestinum, fuisse colligit defensor ideoque ipso iure nullum et irritum.

Verumtamen, prosequitur orator, puer natus ex huiusmodi matrimonio, a coniugibus habito tamquam valide inito, dispositione iuris est legitimus. Sane, iuris dispositione, illegitimi dicuntur filii ex copula fornicaria orti; qui vero ex iustis nuptiis, vel ex matrimonio putative iusto orti sunt, concurrente bona fide amborum coniugum, vel etiam unius saltem ex eis, in favorem liberorum, legitimi dicendi sunt. Patet ex *cap. 2 Qui filii sint legitimi,* et docent *Reiffenst. eod. tit. num. 5; Schmalz g. h. tit. num. 16; De Luca de dote disc. 145 num. 113.*

Cum autem in casu coniuges bona fide contraxerint coram Presbytero, qui nomine Ecclesiae eorum matrimonio benedixit, ambigendum non esse, edicit, de legitimitate filii. Principem autem in bona fide fuisse ex eo deducit, quod ipse testatus est *se iudicasse Sacerdotem principalia iuris ecclesiastici fundamenta novisse.*

At quidquid sit de bona fide Principis, dubitandum non est, et nemo umquam dubitavit de bona fide Comitissae: et hoc sufficit omnino, ex dispositione iuris, ad filium legitimum declarandum: secus enim, ad instar monstri, partim legitimus et partim illegitimus esset ; quod concipi nullo modo potest, ad tradita per *Schmalzgr. loc. cit.* Accedit etiam Principem optare filium esse legitimum, atque ob id saepius instetisse, ut mulier consensum renovaret. De legitimitate ergo, concludit orator, huius filii dubium oriri non potest.

DEFENSORIS SACRI VINCULI ANIMADVERSIONES. Conqueritur iste, quod defensor apud Curiam Parisiensem nil egerit pro validitate matrimonii tuenda; et postea tria in capita suas animadversiones dispertitur, in quorum primo de actibus processualibus; in secundo de facti certitudine ; in tertio demum de iuris dispositione certat.

Ad primum igitur orationis caput deveniens, quaedam in actis deesse sustinet, quae ad veritatem adstruendam indubie necessaria esse contendit. Totius revera quaestionis

cardinem reperiri debere tenet in agendi ratione Sacerdotis H. qui vel sacrilegus vel mendax dicendus est. Ipse siquidem matrimonio benedixit, in bona fide coniuges reliquit, et modo matrimonium ipsum, ex defectu iurisdictionis, nullum declarat. Age de praedicti Sacerdotis moribus, de quibus certo certius in tali causa inquisitio erat peragenda, nullum in processu habetur verbum, cum tantum ille perhibeat exulasse a patria atque fixisse Parisiis domicilium, in paroecia s. Philippi. Neque ulterius Archiepiscopum, neque Vicarium generalem, neque Parochum s. Germani, in cuius paroecia morabatur sponsus, interrogato* fuisse constat, de concessa vel non licentia eidem Sacerdoti, quam modo acceptam hic denegat ; neque demum a testibus in processu adductis a muliere, unde hoc scirent, expetitur; cum de facto occulto ageretur quod ex sola Sacerdotis confessione cognosci poterat. Sed prae ceteris graviorem defectum lamentatur vindex in omissione auditionis testium, qui subscripti extant in fide Matrimonii, exarata manu ipsius presbyteri. Omissionem enim huiusmodi nullimode excusari posse tenet; quandoquidem ipse Sacerdos fatetur eosdem defuisse in matrimonii celebratione et dein, ne forte in contradictionem incideret, asserit ipsis patefecisse fraudem, et eos hanc adprobasse. Tandem animadvertit quod mulier epistolam anno 1878 sibi a presbytero H. conscriptam iudici exhibuit, deque hac presbyter inquisitus reposuit «scripseram hanc litteram, ut accusationem averterem, qua dicebatur me spoliare fortunis voluisse Comitissam, favore Principis. Ex hac porro responsione dubium •oriri, urget, quandam collusione m intercessisse inter mulierem et Sacerdotem, vel saltem, intuitu querimoniarum mulieris, eumdem turpiter mentiri. Harum at vero literarum, quae maximam afferre lucem poterant, ne exemplar quidem in actis reperiri queritur. Quare ex iis omissionibus deducit non omnia in luce clarescere; subindeque iudicii comperendinationem ex tot tantisque substantialibus in processu defectibus a S. C. decernendam esse concludit ad hoc ut processuales actus expleantur.

Ad secundum caput deinde progrediens, totus in eo est Matrimonii Defensor ut certitudinem celebrati coniugii asserat, tum ex fide authentica celebrationis, exarata manu Sacerdotis, qui ritus omnes Ecclesiae adhibuit ; tum ex facto coniugum, qui ex die celebratarum nuptiarum iuribus matrimonii operam dederunt, et filium inde ortum, ut legitimum inscribi curarunt in regestis baptizatorum ; tum denique ex facto ipsius Sacerdotis, qui praeter testimonium exhibitum ad famam sponsorum praecavendam, Patrini munus in baptismate pueri explevit. Donec ergo contrarium non evincatur, actus ille pleno in suo robore maneat oportet, iuxta tritam iuris regulam : actus quilibet in sua externa forma legalis est sustinendis, nisi aliter evidentissime demonstretur. Evidentissimas autem probationes in contrarium minime adesse prosequitur. Quandoquidem inverisimile est, sacerdotem ad matrimonii benedictionem processisse absque ulla delegatione, quum scire deberet, matrimonium clandestinum, ubi Tridentinum promulgatum est, nedum illicitum esse, sed etiam nullum et sub gravi prohiberi. Hisce stantibus, iuxta criminalis iuris tractatores, non facile admitti potest quempiam grave patrasse crimen, nisi impulsum a gravi et sufficienti causa; quae quidem cum in Sacerdote adfuerit, dicendum esset eumdem imbecillitate et ignorantia laborare. Sed etiam hoc excluditur ex testimonio Principis qui Sacerdotem declarat aestimatione dignum, et principalia iuris ecclesiastici fundamenta noscere. Cum itaque neque corruptioni, neque metui, neque ignorantiae aut imbecillitati tantum facinus tribui posse constet, inverisimile esse concludit illud perpetratum fuisse a praefato Sacerdote, subindeque adeo labili et levi fundamento adstrui nequit matrimonii nullitas.

Neque ad haec obiici valet ipsius Sacerdotis iurata confessio, se nempe matrimonio interfuisse absque Parochi et Ordinarii licentia. Quum autem adsit causa mentiendi in Sacerdote, pro nihilo habenda est ista confessio - Sacerdos enim novit querimonias mulieris in virum et in seipsam.

Accusabatur Sacerdos quod conciliavisset istud matrimonium in utilitatem viri et in damnum mulieris. Ideo scribens ad mulierem indicavit modum quo libertatem suam recuperaret. Compescuit namque mulieris querimonias, ne sibi damnum inferret, matrimonium contractum nullum fuisse, ex defectu iurisdictionis, ipsi declarando ; dicendum ergo adfuisse causam ád mentiendum, cum prorsus altera non appareat ad matrimonium scienter sacrilege celebrandum. Itaque ut hoc sacrilego reveletur crimine, illud eidem imputandum superest, cuius causa evidens apparuit.

Minusque regerere fas est, sacerdotis assertionem comprobari testium depositionibus, ad quos confugit mulieris defensor. Siquidem ex ipsis plerique se hoc nescire respondent, unus vel alter se hoc credere, duo tantummodo positive denegant, neque nescitur unde hanc cognitionem isti hauserint, cum agatur de facto vel potius de omissione actus, qui uni sacerdoti innotuit, et super quo altum silentium tenuit.

Denique, pergit, veluti ad ultimam naufragii tabulam confugiens mulieris Patronus, concordem coniugum, una cum famula, assertionem evincere matrimonii nullitatem, ex testium defectu in celebratione. Grave hoc esset, inquit matrimonii defensor. Sed quid? cum in syngrapha exarata ipsius Sacerdotis manu, testes nominati et obsignati reperiantur ; neque in contrarium suppetit ratio, eo quia ad deponendum non invitati, cum in vivis adhuc sint. Si sponsi testes haud viderint, poterit hoc ex industria Sacerdotis repeti, ut timori Principis consuleret, ne matrimonium rescíretur: quae hypothesis licet excludi velit ex illorum testimonio : tamen illa posita, *subiective* vera esset coniugum famulaeque assertio, non vera et falsa *obiective.*

Ad tertium denique suae orationis caput descendens breviter Defensor, animadvertit actus sacramentales, ad quos requiritur Ecclesiae iurisdictio, Ecclesiam supplere, si adsit in sponsis bona fides, ut tradit *Pontus de Matrimonio lib. 5 cap. 20:* quam in themate plenius adfuisse, argumentis ex facto deductis, demonstrat.

Tandem animadvertit legem ecclesiasticam admittere epikejam, quam quidem Tridentinum ipsum non excludit, adeo ut quando quis non possit ad proprium parochum accedere , contrahere sufficiat coram duobus testibus et quolibet Sacerdote : quod confirmatur doctrina Gury de *Matr. num. 483,* et s. C. Congregationis responsione *diei 22 Aprilis 1795* a Pio VI adprobata. Autumat autem metum, quo augebatur sponsus, casum constituere, quo recursus ad proprium parochum vetabatur. Quibus semel admissis exulare prorsus cogitur difficultas de deficientia testium ; quia certo certius alter erat coniugum famula, alter vero ipse presbyter, utpote qui munere parochi in casu non amplius fungebatur.

His praemissis propositum fuit diluendum

Dubium.

An sententia Curiae Archiepiscopalis Parisiensis sit confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO.Sacra Cong.Concilii, re discussa sub die **11** Decembris **1880,** respondere censuit :

Firma remanente susceptae prolis legitimitate, sententiam esse confirmandam.

Implorata autem nova audientia per vinculi defensorem, iterum causa discussa fuit, die **9** Aprilis **1881** sub hoc dubio- *An sit standum vel recedendum a decisis in casu.* - Et responsum paruit - *In decisis.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Ubi Tridentinum publicatum fuit, nulla atque irrita declaranda esse matrimonia, quae inita fuerint absque proprio Parocho, sive Sacerdote, de Parochi aut Ordinarii licentia, et absque duobus saltem testibus.

II. Neque proprium Parochum haberi posse, quoties deficiat domicilium, aut quasi domicilium contrahentium.

III. In themate omnia haec defuisse, constare ex iurata et unanimi depositione coniugum, sacerdotis qui matrimonio praefuit, aliorumque testium.

IV. De legitimitate prolis enatae ex matrimonio invalido haud esse dubitandum, quoties in celebratione eiusdem matrimonii bona adfuerit fides, ex parte saltem unius ex contrahentibus (1).

(1) Confer. Vol. XII pag.422.

INTERPRETATIONIS RESCRIPTI (1)

Die 14 Augusti 1880.

COMPENDIUM FACTI. Petrus Nicolaus Canonicus Ecclesiae Cathedralis P. surditate aliisque incommodis, ex aetate prope octogenaria laborans, post laudabile servitium 31 annorum, qua Parochus, et 20 annorum, qua Canonicus, die 20 Maii anni 1879, ultro libenterque assentientibus Rmo Episcopo et Capitulo Ecclesiae Cathedralis, a S. C. Congregatione indultum *dispensationis* a chorali servitio obtinuit, *ad triennium, amissis distributionibus inter praesentes tantum.*

At vero circa huius rescripti interpretationem discrepantia exorta est inter Indultarium et Capitulum, siquidem contendentibus Canonicis, Petrum Nicolaum non obstante indulto, teneri *ad hebdomadas faciendas, nec non ad celebrationem omnium Missarum conventualium, quibus jpro sua vice singuli Capitulares tenentur;* ipse e contra se ab huiusmodi oneribus prorsus exemptum existimat. Qua-

(!) Confer. Vol. VI pag. 414 et 421.append. VIII.

propter controversiam ad S. C. C. detulit petens utrum *cogi possit ad celebrationem per se, vel per alios Missarum conventualium, et aliarum in feriis seti vigiliis celebrandarum, intra praedictum triennium.*

Disceptatio synoptica.

IURA INDULTARII. AC in primis constat, indulta abessendi a chori servitio pro diebus et horis ratione munerum, sive ad certum tempus, infirmitatis causa, passim concedi a S. C. Congregatione. Hoc autem secumfert indultum abessendi, ut eo praeditus omnes fructus capiat., et distributiones ordinarias, ad tradita per *Bonifacium VIII in cap. un. de Cleric. non resident, in* 6; ubi Pontifex post vetitas Clericis residentibus, sed divinis officiis non interessentibus, quotidianas distributiones, illos ab hac censura excipit, *quos infirmitas, seu iusta et rationabilis corporis necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas ecocusaret.* Quae quidem iusta et rationabilis corporis necessitas tum maxime valere debet, cum per supremum s. Sedis iudicium recognita, tamquam causa sufficiens indulto concedendo habita fuerit. Quare nihil mirum, si in hanc sententiam constanter iudicaverit S. C. C. uti in *Viterbien. 26 Augusti 1628, in Romana 13 Maii 1651, in Romana 19 Aprilis 1692, in Leodien. Iurium Parochialium 19 Aprilis 1704, et in Mantuana Iubilationis 16 Martii 1737.*

Inde etiam sequitur ut indultarius percipiat emolumenta anniversariorum quae fiunt in anno, nisi expresse aliter testatores disposuerint, ut in *Novarien. Iubilationis 19 Novembris 1781, et in Lünen. Sarzanen. Iubilationis 30 Aprilis 1684.* Nihilominus immunis est ab omnibus oneribus et functionibus canonicalibus, ita ut nec per se, nec per alium ad eas implendas teneatur, uti praesertim de Missa conventuali respondit s. Congregatio in *Aquipendii, Iubilationis 23 Martii 1697, et in Senen. Celebrationis et Applicationis Missae Conventualis 12 Maii 1759;* imo nec ad residendum

tenetur, ut in *s. Angeli in Vado 15 Aprilis 1690, in Patavina Iubilationis 9 Iunii 1714, et in dubiis iubilationum 17 Decembris 1718 ad V dubium.* Ex quo concludendum, Canonicum Petrum Nicolaum, intra triennium indulti, non teneri ad hebdomadas faciendas, nec ad celebrationem Missarum conventualium, vel de feria aut vigilia, sive per se sive per alium; et nihilominus lucrari distributiones ordinarias.

Neque obstat quod duo Canonici iubilati eiusdem Ecclesiae Cathedralis ab huiusmodi oneribus non eximantur; secus enim de iubilationis, ac de temporaneae exemptionis indulto iudicandum est. De indulto siquidem iubilationis iuxta communes normas; de peculiari autem temporaneae exemptionis gratia iuxta clausulas a S. C. appositas ratio habenda est. Neque consuetudinis vim obiicere licet, cum ea adeo recens sit, ut nonnisi anno 1872 initium sumpserit.

IURA CAPITULI. Ex altera parte Capitulum contendit, Canonicum indultarium durante triennali indulto teneri sive per se, sive per alium, ad hebdomadas faciendas, nec non ad celebrationem Missarum conventualium, de feria et vigilia, quibus pro sua vice singuli Capitulares tenentur; et ab eo lucrandas tantummodo esse distributiones, quae ex propria dotatione seu praebenda deducuntur, non vero eas quae ex ceterorum fallen tus, vel ex anniversariis et aliis fundationibus proveniunt, nisi choro adsit.

Quod ut probet, recolit iubilationem non esse de iure communi, sed introductam ex peculiaribus aliquarum Ecclesiarum statutis, quae testante Benedicto XIV *Inst. Eccl. 107 n. 64,* minime censuit Gregorius XIV improbanda. Iura ergo et onera iubilati ex constitutionibus et consuetudine cuiusque Ecclesiae veniunt dimetienda. Constitutiones Ecclesiae P. licet hac de re nihil decernant, accessit tamen consuetudo, cuius vi duo Canonici, qui iubilationis indultum a Capitulo simul et ab Episcopo assecuti fuerunt, hebdomadis et omnibus Missis conventualibus tenebantur vel per se vel per alios, et tenetur adhuc unus ex eis qui superstes est,

atque in aetate plusquam octogenaria constitutus. Ergo, concludit, etiam Canonicus Petrus iisdem oneribus subiacere debet.

Fortius, subdit, conclusio procedit in themate, cum non agatur de Canonico iubilate), bene vero de simpliciter exempto ad triennium, qui aequiparandi^ videtur infirmis, quique proinde nonnisi de beneficiis eisdem, a iure impertitis gaudere debet. Cum autem infirmus hebdomadis et Missarum celebrationi vel per se vel per alium teneatur,, neque Canonicus Petrus huiusmodi onere levandus videtur.

Quo posito, duo onerum genera Canonicatibus Ecclesiae inhaerentia distinguit: alia quae praebendae fructus directe et per se afficiunt, et a quibus si quis eximatur, non solum labor non exiguus, sed etiam gravamen pecuniarium ceteris Canonicis accrescerei; alia vero qua*} nonnisi levem laborem personalem ipsis imponunt. Priori generi accenset hebdomadas et Missas, quae per turnum celebrantur ab omnibus Canonicis; secundo vero quaedam alia servitia, quae sive a iure, sive a peculiaribus Ecclesiae statutis, Canonicis imponuntur.

Iam vero, licet Canonicus Petrus in vim obtenti rescripti exemptus dici valeat ab oneribus secundi generis; a prioribus tamen solutus non videtur, secus enim ceterorum Canonicorum labor augeretur, et eorum reditus ac proventus imminuerentur. Sciendum enim est in Ecclesia Cathedrali P. nullam esse massam communem, nullos reditus peculiares ex quibus detrahatur stipendium Missarum conventualium et aliarum quae per turnum distribuuntur, sed unumquemque Canonicorum illas celebrare et applicare sumptibus propriis, seu aere proprio. Quapropter si Canonicus Petrus, in vim obtenti indulti exemptus evaderet a supradictis oneribus, et nihilominus distributiones ordinarias perciperet, sequeretur quod ipse nonnisi commodum, ceteri vero nonnisi incommodum persentiant, ad sua enim eiusque onera adimplenda tenerentur. Hinc concludit, privilegium ab Induitario obtentum, utpote odiosum, stricte interpretandum, et Canonicum Petrum ad supradicta onera sive per se sive per alium adimplenda, adigendum esse.

Hisce utrinque perpensis, EE. PP. iudicio remissum fuit decernere quonam responso dimittendum esset

nubium

An Canonicus Petrus, intra triennium indulti, teneatur per se vel per alium ad hebdomadas faciendas, nec non ad celebrationem Missarum conventualium, vel de feria aut vigilia in casu.

RESOLUTIO. Sacra **C. C.** sub die **14** Augusti **1880,** re perpensa, censuit respondendum:

Negative quoad hebdomadas.

Affirmative quoad celebrationem Missarum.

Ex **HIS OMNIBUS COLLIGES:**

I. Erui ex Benedicto XIV *de Synod. Dioec. I. 13 cap. 9 n. 15,* obtinentem iubilationem habere ius ad omnes praebendae fructus, dum non tenetur amplius choro interesse, neque residere in loco ubi obtinuerit chorale beneficium.

II. Indultum iubilationis tamen concedi uti praemium quadragenarii servitii choralis, laudabiliter praestiti: quo cessante, cessat huius remunerationis causa.

III. Eiusmodi indulto donatum, immunem esse ab omnibus oneribus et functionibus canonicalibus : ita ut neque per se, neque per aliam personam his satisfacere teneatur **(1).**

IV. Adiuncta tamen specialia aliquando efficere posse, ut indultum non habeat plenam remunerationis rationem, et aliquas limitationes accipere queat.

V. Ideo in themate dum indultarais eximitur ab hebdomadis, obligatur ad celebrationem Missarum conventualium, de feria et de vigilia, quia cum non adsit Massa communis pro Missarum eleemosynis, quilibet aere proprio applicat.

(I) Sacra C. Congr. in Aquipendii Iubilationis 23 Martii 1696 respondit, inâultarium non teneri ad Missam conTentualem: et in nna Civitatis Castellanae 29 Nov. 1776 censuit, eumdem non teneri ad peragendam hebdomadam, sicut ceteri canonici.

EX 8. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM
EPISCOPORUM ET

SUPER RESERVATIONE PENSIONIS
ET BENEPLACITI APOSTOLICI

Die 17 Decembris 1880

COMPENDIUM FACTI. Anno volvente **1869** paroecias. Michaelis Arcangeli, oppidi R. vacans effecta est. Municipium B. cui ex iuspatronatus parochi nominatio pertinet, concursum indixit: et publico in concursu indicto, monitum voluit parochum eligendum, praeter alia onera, futurum subiectum obligationi solvendi annuas libellas 300, aequas in partes dividendas: et pro una parte, hoc est pro libellis 150, destinanda* manutentioni iuvenis pauperis studiorum causa, pro alia parte> seu pro reliquis libellis 150 assignandis capellanoqui in Ecclesia s. Mariae ab Angelis, festis diebus Missam celebraret.

Hisce constitutis oneribus, sacerdos Ioseph paroeciam obtinuit, qui pensionis solvendae notitiam habuerat, eiusque solutionem Iubens volens pollicitus erat. Cum vero nonnisi intercedente Beneplacito Apostolico huiusmodi onera paroeciis imponi queant. Episcopus E» cui oppidum R. subest, in Bullis canonicae institutionis Iosephi favore expeditis, cavebat expresse — « Nobis curae erit, quandocumque » apud Pontificem, qui privativa pollet potestate, implo- » rare super bona Paroeciae pensionem annuam perpe-

» tuam tercentum libellarum, aeque partiendam, iuxta id
» quod Nobis annuentibus, ac Pontificiam approbationem
» reservantibus, notum factum est publice ab ipso Municipio
» iis omnibus qui ad praefatam paroeciam concurrere existi-
» marunt. »

Num approbationem de qua loquutus est Episcopus, unquam ipse obtinuerit a Pontifice, saltem oretenus, haud constabat, deerant enim in Curia documenta. Constat sed in facto pauperem iuvenem oppidi R ab anno 1870 Seminarium ingressum fuisse; et Parochum Iosephum semestris pensionem die 20 Decembris 1812 rependisse. Insequenti tempore, cum a Seminarii moderatoribus pensio pluries petita esset, opponebat Parochus , modo Beneplaciti Apostolici defectum, modo redituum parochialium tenuitatem, qui nec congruae sui sustentationi satis erant. Quare Seminarii moderatores S. C. Ep. et Reg. supplices adierunt postulantes I° ut *ex pontificia gratia pensio confirmaretur, quam forsan oretenus Sa. Me. Pius IX approbavit;* 2° *decerni: an posito quod a Pontifice gratia concedatur, rebus ita se habentibus,, prouti narratae sunt, pensiones insolutae rependendae sint, et in qua summa solutio locum habere debeat.*

Ordinarii informatione requisita, aliisque omnibus ad exitum perductis, quae moris sunt, causa coram plena Congregatione proposita est.

Disceptatio Synontiea

QUAE SEMINARII MODERATORES ARGUMENTA ADDUCERENT. Indubium esse in facto, aiebant ipsi, parochum Iosephum onus in se suscepisse , cum paroeciam obtinuit, pensionem solvendi annuam libellarum 300. Id enim notum fecit omnibus Municipium R. in ipsamet concursus indictione. Ergo certum pariter esse, Iosephum ad pensionem solvendam teneri, quae onus constituit in continenti ab eo assumptum, eo ipso quod in paroeciae possessionem immissus fuit.

Nec valide ab eo obiici parochialium redituum tenuitatem: misso namque quod nullam reditus diminutionem passus esset

a die quo paroeciam obtinuit, ac ideo rediret ratio assumptae obligationis, constitisse in facto, eius antecessorem, iisdem cum reditibus plura operatum esse, ac non tenue haereditatis compendium reliquisse, cum vita functus est.

Superesse quaestionem iuris circa defectum Beneplaciti Apostolici. Verum circa hanc quaestionem animadverti posse. Beneplaciti concessionem in casu esse praesumendam : cum omnia suadeant Episcopum, qui Beneplaciti necessitatem noverat , quique exequutioni negocium commiserat, cum iuvenem clericum pensione libellarum 150 a parocho solvenda in Seminario posuit alendum, oretenus a Papa Beneplacitum obtinuisse.

Iuxta communem canonistarum sententiam, oracula vivae vocis esse *concessiones privile g ioram seu gratias factas a supremo principe v.g. Summo Pontifice sola, voce, seu oretenus sine scriptura.* Huiusmodi vero oracula in *authentica* et non *authentica* dividi. *Ferraris Biblioth. Canon, verbo oracula N. 3.* Neque ad essentiam et substantiam privilegii requiri scripturam: sed etiam oretenus sive vivae vocis oraculum concessum subsistere. *Cap. si quis cum Cleric. decr. caus. 1 qu. 4 et Extravagans Etsi Dominici de poenit. et remission.*

Verum esse huiusmodi oraculorum efficaciam tantum ad forum internum cohiberi, cum in foro externo saltem testimonialis probatio requiratur, iuxta praescriptionem Iulii III. sa. me. et Reg. 52 Cancellariae. Verum quoque esse Summum Pontificem Gregorium XV in constitutione quae incipit *Romanus Pontifex,* omnes gratias, privilegia,indulta, vivae vocis oraculo concessa revocasse, exceptis concessis *ad supplicationem Regum, nec non illis manu Cardinalium firmatis.* Nihilominus huiusmodi constitutionem ab Urbano VIII in constitutione *Alias felicis recordationis,* officialibus et ministris qui eorum officiorum seu munerum ratione concessionibus et dispositionibus quibuscumque per Pontificem faciendis, seque Pontificiis mandatis et iussionibus exequendis, aliisque negotiis gerendis cum eodem Pontifice tractant, noluit fidem

haberi quoad ea, quae ad cuiuslibet eorum officium seu munus, quo funguntur, pertinent.

Ceterum in casu praesumi nequivisse, Ordinarium res Ecclesiasticas- apprime edoctum, absque Apostolico Beneplacito, cuius necessitatem in ipsa Bulla ipse professus fuerat, exequutioni mandasse reservationem pensionis supra parochiale beneficium, quae in censuras incidisset, ad tradita per illmum ac rmum dominum *Trombetta Praxeos Reg. Cap. V de Benepl. Ap.* iuxta constitutiones *Innoc. XII* 11 Novembris 1692, et Benedict. XIII quae incipit Quanta cura *Be parodi. Eccl. pensionimi onere non gravandis.*

Tametsi, his omnibus admissis, parochum ad pensionis solutionem aeque teneri, quia illam accepto habuit. Valide enim contrahit qui cum reservatione Beneplaciti Apostolici contrahit *Rota coram Olivatio decis. 607 et 49 tit. 6.* Ideo a die quo alumnus in Seminario degere cepit, ipsum teneri annuas libellas 150 persolvere. Attamen *ad cautelam Pontificium Beneplacitum explicitum* implorari posse, quod parochi obligationem in exequutione ponendam esse ferret, a die quo suscepta est.Parochi enim obligationem, secum tulisse ab initio conditionem *si nempe Papa dispensaverit:* conditionis autem eventum retrotrahi ad tempus contractus *Vinn. Instit. Lib. III tit. 16 n. 4. Conditio existens retrotrahitur ad tempus contractus: hoc est, ubi semel existit conditio, perinde habetur ac si ab initio, sine* conditione *obligatio contracta fuisset L. 11 ff. Qui potiores in pignore §. 1. Paulus ad L. S ff. deperic. et commodo rei venditae.* Nec diversimode, Iuris ecclesiastici peritos docere contrahi posse , ac etiam beneficium resignari, sub conditione relata in consensum superioris. *Cap. final, de 'pactis et Cap. Quaesitum de rerum per mut.*

QUAE PAROCHUS IOSEPHUS OPPONERET. Adversarii iter a contrario sensu incipiens parochus, animadvertebam in iure facultatem pensiones imponendi, super beneficiis ecclesiasticis, s. Sedi privative spectare. Ita speciali edicto praescripsisse sa. me. Innocentium III eiusque praescriptiones confir-

masse Benedictum XIV in constitutione quae incipit *Quanta pastoribus.* In facto vero constare Ordinarium diem supremum vidisse, quin Beneplacitum Apostolicum postularet.

Quod quidem factum ostendere, ab impositione pensionis abstinere voluisse illum duabus de causis. **1.** quia Municipium a conventione recedere volebat, **2.** quia ob exactionem pensionis ante *gratiae* concessionem, reservatio nullitate infecta erat. Id erui ex ipsa formula Litterarum Apostolicarum quae habet: *m gore Litterarum Apostolicarum desuper conficiendae" um, nec ante alias praesens reservatio nulla ipso iure.*

Nec esse oggerendum, obligationem parochi firmam manere, quia eam una cum paroecia suscepit. Duo namque, eius obligationem excludere. **1.** error super paroeciae reditibus , quorum tenuitas in posterum eidem apparuit, cum paroeciae possessionem consequutus est. **2.** quia parochus consensum praestitit pro pensione imponenda ad tramites iuris. Iam vero cum impositio ad tramites iuris locum non habuerit, consensus et obligatio inde descendens, evanescunt.

Quoad pensiones insolutas, earum restitutioni mordicus obsistit, immo condictione indebiti, portiones iam solutas se repetere velle protestatur.

His hinc inde deductis, proposita sunt enodanda:

Dubia.

I. *An et quomodo sustineantur pensiones impositae super praebenda parochiali in casu.*

Et quatenus affirmative

II. *An et quomodo sit locus répétition?' pensionum insolutarum in casu.*

RESOLUTIO. Emi et Rmi Patres S. C. Ep. et Reg. constituentes, generali in coetu diei **17** Decembris **1880,** respondendum censuerunt :

Ad I. *Affirmative, facto verbo cum SSmo.*

Ad II. *Affirmative quoad partem pensionis favore Seminarii: quoad aliam vero partem, ex gratia esse remittendam, facto* ***-nerbo*** *cum SSñio.*

Ex **HIS COLLIGES:**

I. Valere obligationem quam parochus in suscipienda paroecia contraxit, cum reservatione Beneplaciti Apostolici.

II Opinionem praevalere] quae tenet, contractus initos cum reservatione Beneplaciti Apostolici esse generatim in se validos, si tamen non sit tradita possessio.

III. Beneplacitum Apostolicum posse etiam oretenus impetrari, et oraculum ita concessum in iure subsistere.

IV. Licet nullum adsit impetrati oraculi testimonium, tamen quandoque, ut in casu, attenta eius qui contractum exequutus est dignitate, ac doctrina, praesumi potest, gratiam quam vivae vocis oraculo se petiturum pollicitus fuerat, impetratami fuisse.

V. Posita autem parochi contrahentis obligatione , ad cautelam petito explicito Pontificis Beneplacito, eum non eximi ab eiusdem obligationis exequutione, a die quo in paroeciae possessionem immissus fuit: cum conditio, si Papa dispensaverit, retrotrahitur ad tempus contractus.

VI. Ideo dum in casu S. O. pensionimi impositiones sustineri decernebat, clausulam adiiciebat facto verbo cum SSmo. Posita vero pensionimi impositione, nonnisi ex gratia, et Iacto verbo cum SSmo, partem insolutarum pensionimi remittendam esse statuebat.

DECRETUM

Quo declaratur ac statuitur, Regulares et Alumnos Congregationum votorum simplicium, e claustris expulsos in Gallia, obedire teneri Ordinariis, in quorum Dioecesi commorantur, etiam in muneribus sacris obeundis, ac praesertim in cura animarum exercenda.

Cum Regulares Ordines ac pia Instituta tantopere de re christiana ac civili Societate benemerita, etiam in Gallia haud levia, luctuosis hisce temporibus, passa fuerint detrimenta, s. haec Congregatio Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, de expressa Apostolica Auctoritate, necessariis et opportunis instructionibus Generales illorum Moderatores munire haud praetermisit. Etenim ad Religiosos eiusdem Regni, vi maiori e claustris electos, quod iam s. Poenitentiaria pro Regularibus Italiae constituit, extendendum ita esse existimavit : *u* Curandum nempe
n esse pro viribus ut Regulares expulsi a propriis conventibus in
n alios Conventus collocentur ac recipiantur. Quatenus vero Regu-
n lares expulsi, praesertim ob defectum domorum, alibi collocari
n nequeant, concurrentibus gravibus iustisque causis, super quibus
➤ conscientia Superioris Generalis graviter onerata remaneat, ipse
n Superior Generalis Apostolica Auctoritate eisdem indulgere po-
n terit, ut manere valeant extra Claustra sub obedientia Ordinarii
» Loci, tamquam saecularizati ad tempus et ad nutum s. Sedis ac
» ipsius Superioris, in habitu Religioso, ac etiam, quatenus ita fe-
n rat necessitas, in habitu Presbyteri saecularis quoad Sacerdotes,
n et in habitu laicali, modesti coloris, quoad Laicos seu Conversos,
n retento tamen interius aliquo signo habitus religiosi, servatis
n quantum NERI potest substantialibus votorum, ac relaxatis regu-
LI lis quae cum novo eorum statu minime fuerint compatibiles ».
Cum vero ex huiusmodi Religiosis extra Claustra commorantibus haud pauci inveniantur, qui adiutricem manum Ordinariis utiliter praebere possunt in animarum salute procuranda, haud abs re visum est, ut ii interim, donec praesentia rerum adiuncta perduraverint, in vinea Domini excolenda mandatis Ordinariorum sub quorum obedientia vivunt obtempèrent cum quoad ea quae sacrum ministerium, tum praecipue quoad ea, quae curam animarum respiciunt.

Quare SSmus Dominus Noster Leo divina providentia PP. XIII, cui relatio de hac re facta est ab infrascripto Secretario praedictae sacrae Congregationis in Audientia diei 29 Iulii curr. anni 1881, perpensa universa rerum ratione, declarandum ac statuendum esse censuit, prout praesentis Decreti tenore declaratur ac statuitur, Regulares in Gallia e claustris expulsos ac sub obedientia Ordinariorum constitutos tamquam saecularizatos ad tramitem suprascriptae Instructionis, durantibus praesentibus rerum adiunctis, eisdem Locorum Ordinariis in quorum dioecesi commorantur, etiam in muneribus sacri ministerii obeundis, ac praesertim in cura animarum exercenda obedire omnino teneri, et idipsum Sanctitas Sua intelligendum esse voluit de Alumnis piorum Institutorum seu Congregationum votorum simplicium, qui suppressionis causa in eadem Regularium conditione versantur. Constitutionibus Apostolicis ac proprii Ordinis vel Instituti aliisque in contrarium facientibus etiam speciali ac individua mentione dignis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem sacrae Congñis die 30 Iulii 1881.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

Decretum quo vetatur suspensio tabellarum votivarum, quae partem corporis minus honestam referant.

VASTEN, SEU THEATINA

Perillustris ei Revme Domine uti frater

Parochus una cum Clero Ecclesiae sub titulo sanctissimi Salvatoris, loci vulgo Casalbordino istius Dioecesis Vasten, exposuit huic s. Rituum Congregationi quod in rurali Ecclesia s. Mariae a miraculis nuncupata, fideles ad eas convenientes in signum gratiarum, quas a Deipara se accepisse tenent, suspendere consueverunt penes eius altare tabelias votivas, ex cera confectas, partem illam humani corporis referentem, cuius sanationem eiusdem Beatae Mariae Virginis ope obtinuerunt.

Quoniam vero Amplitudo Tua nuper mandavit, ut ab altari eae ex huiusmodi votivis tabellis tollerentur, quae partem corporis minus honestam (1) exhibent; idem Parochus- etsi, uti asserit, huic mandato morem gesserit, voluit tamen s. Rituum Congregationi insequentia dubia, italico idiomate expressa, declaranda humillime subiicere, nimirum (2).

L *In moltissime Chiese, non solo di questa, met di altre diocesi si osservano sospesi tali ex-voti in ceree: sono dunque dar itcner si come ornamenti indecenti e sconvenienti nel sacro tempio?*

IL *Nel caso suesposto, vale a dire, emanata dal Vescovo la prescrizione di dovérsi rifiutare, e non più sospendere gli ex-voti in cera, nella parete, dietro Valtare della Vergine, come dovrei regolarsi il Parroco e il Clero per lo scandalo, cd i reclami dei fedeli f*

Sacra porro eadem Congregatio, audita sententia in scriptis alterius ex ipsius consultoribus , re mature perpensa, sic rescribere rata est.

Ad **I.** *Affirmative,*

Ad **II.** *Ad mentem. Mens est ut Parochus ipse edoceat populum de indecentia expositae consuetudinis, morem et Unicorum redolentis, omnique studio adhortetur fideles, ut sapienti Amplitudinis Tuae mandato libenti animo religiosissime pareant.*

Dum autem hanc s. Congregationis resolutionem ac mentem Amplitudini Tuae significo, praefato Parocho authentice significandam, ut ipsa diu felix et incolumis vivat ex animo adprecor

Amplitudinis Tuae

Romae die 23 Martii 1881.

Uti frater addictissimus

D. **CARO. BARTOLINIUS S.** R. C. **PRAEF.**

Placidus Rolli S. R. C. Secretarius'.

Perillustri et Rmo Domino uti Fratri
Archiepiscopo Theatino
Administratori Dioeceseos Vasten.

(1) S. Lig. lib. III n. 423.

(2) Versio latina, duorum dubiorum,
I In quamplurimis Ecclesiis nedum istius, sed et aliarum Dioecesium suspensa inspiciuntur eiusmodi ex-voto in cera;sunt ergo habenda ceu ornamenta indecentia atque inconvenientia in sacro Templo.

II In casu supra exposito, idest ex quo Episcopus iussit ex-voto in cera esse respuenda, neque amplius suspendenda in pariete, post altare virginis, quomodo sese habebit Parochus et Clerus propter scandala et reclamationes fidelium?

DECRETUM

Limana-Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Francisci Camacho Eeligiosi Professi Ordinis Sancti Ioannis de Deo.

SUPERR DUBIO

« An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum et Proximum> nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur ?

Venerabilis Franciscus Camachus Ordinis Sancti Ioannis de Deo, Institutoris eius fidelissimum exemplar, ortus est in oppido Xeres Archidioeceseos Hispalensis anno salutis MDCXXIX ex honestis piisque parentibus agrorum cultui addictis. Ut per aetatem ei licuit, militiae nomen dedit ; ac lubrica vitae castrensis ratione in vitia paullatim deflexit: confectis deinde stipendiis plures Americae regiones orasque pervagatus est, omni penitus abiecta animae cura. Aetatis autem anno trigesimo quarto Limae commorans, audita Venerabilis Francisci de Castillo concione, animo perculsus, facta est super eum manus Domini. ***Dives enim in misericordia Deus mortuum peccatis convivificavit eum in Christo ita supervenientibus saeculis,*** ut scribit Apostolus, ***ostendens abundantes divitias gratiae suae.*** Salutari quippe sacramento animae sordibus extersis, alterum in virum immutatus, in forum prosiliit et coram illudente plebe gladium et alia mundam amictus insignia proiecit: hinc uti demens petulanter iudicatur, saxis et fuste graviter confunditur. Exinde magis magisque caritate in Deum effervescens iuxta hortatum Moderatoris conscientiae suae, ac prodigioso comite Coenobium Sancti Ioannis de Deo deducitur. A fratribus libentissime exceptus solemnia vota nuncupavit an. MDCLXIV. Disciplinam accuratissime servavit ac mira virtutum omnium exercitatione religiosae familiae exemplum praefulsit. Sacramentis ferventi pietate quotidie re-

ficiebatur, noctem fere totam flexis genibus in caelestium contemplatione extrahebat, humi stratus brevissimo indulgebat somno, quippe qui mirabile semper exhibuit excruciandae carnis specimen: ieiunium enim ad mediam servavit, viginti siquidem annis uno sustentatus quotidie pane oleo acetoque carnis consperso, flagellis nec semel in die sese cruenter dilaniabat. Humilitatis studio triginta quinque annis mendicandi vicatim onus sustinuit, ut compendiaria quodammodo caritatis industria omnibus aegrotis , et pauperibus quibusque prodesse valeret. Tanto vero christianae perfectiouis exemplo, supernisque donis , quibus a Deo illustrabatur, publicam adeptus sanctitatis famam ingentes pecuniae summas quaeritando corrogavit, quibus pro Superiorum placito amplissimum valetudinarium templumque aedificaverit, ac ita potuerit et aegrorum curationi opportunius providere, collatisque subsidiis quamplures a peccato vel a peccandi periculo avertere.

Assiduo tandem poenitentiae rigore et laboriosis caritatis operibus penitus attritus, aqua interrate oppressus decubuit, ac ferventi humilitatis et pietatis spiritu Sacramenta iterato suscepit, diuque cum morte luctatus mirabilis patientiae in angoribus morbi documenta edidit, ac dum inter mortuis labiis Crucifixi imaginem deoscularetur, spiritum Deo placidissime reddit anno MDCXVIII, aetatis suae sexagesimo nono. Sanctimoniae autem fama, qua vivens fruebatur, confirmata atque aucta est post eiusdem obitum, instructoque Processu informativo super eius Virtutibus, eoque iuxta morem discusso, sa. me. Benedictus XIV anno MDCCLIII decimotertio Kalendas Octobris Commissionem Causae propria manu signavit. Absoluta deinde omnia acta fuere ad causae progressum iuxta apostolicas constitutiones ; at notissima temporum adiuncta propositioni causae moram fecerunt ad annum usque tricesimum tertium huius saeculi, in quo tandem discussa primo causa in Antepraeparatorio coetu XV Kalendas Octobris. In duabus postea Congregationibus praeparatoriis ex pontificio indulto actum est de Venerabilis Servi Dei Virtutibus, nimirum XVII Kalendas Octobris anno MDCCCXXXIV, secundo VIII Kalendas Maias anno MDCCCLXXVII. Generalia Comitia

habita sunt coram Sanctissimo Domino Nostro LEONE PAPA XIII in Apostolico Vaticano Palatio Kalendis Iulii anni nuper elapsi,, ac Rmus Card. Aloisius Oreglia a Sancto Stephano Causae Relator Dubium proposuit: « ***An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum et Proximum, et nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia, earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur?*** » Tum Rmi Cardinales sacris tuendis Ritibus praepositi, tum Patres Consultores suffragium ex ordine ediderunt. Iisque auditis, Sanctissimus Dominus Noster rei gravitatem anima reputans hortatus est omnes ut Superni consilii spiritum a Patre luminum incessanter implorarent. Iteratis itaque in spiritu humilitatis ad Deum precibus, hisce praesertim diebus, in quibus magnum haereditatis nostrae mysterium perfectum est, consulto sententiam suam aperire decrevit hac solemni die Dominica Circumcisum sacra ac post oblatam placatioiiis hostiam in privato pontificio Sacello, ad nobiliorem aulam pergens, solio sedens, accitis Rmo Cardinali Dominico Bartolini sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, et Rmo Cardinali Aloisio Oreglia a Sancto Stephano Causae Relatore, simulque R. P. Laurentio Salvati s. Fidei Promotore, meque infrascripto Secretario solemniter declaravit: « ***Constare de praedicti Ven. Servi Francisci Camacho Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum et Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Fortitudine et Temperantia earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur. »***

Hoc autem Decretum in Sacrorum Rituum Congregationis Acta referri et evulgari mandavit Kalendas Ianuarii anno MDCCCLXXXI

D. CARD. BARTOLINIUS S. R. C. PRAEFECTUS

Loco gg Sigilli

Placidus Rulli S. R. C. ***Secretarius.***

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS HIERARCHIA EPISCOPALIS IN BOSNIA ET HERZEGOVINA INSTITUITUR

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Ex hac augusta Principis Apostolorum Cathedra, in qua Deo placuit humilitatem Nostram collocare, cunctas orbis regiones Nostri ministerii curis complectentes , adhibendam a Nobis esse omnem operam agnoscimus, ut catholica religio, mater et magistra omnis rectae disciplinae omnisque civilis humanitatis, ubique in dies maiora incrementa suscipiat, ac populi omnes ad humanae et caelestis felicitatis iter tenendum eius ductu ac praesidio adiuventur. Hoc in ministerio, dum animus Noster ex conspectu et gravitate malorum, quae humanam societatem premunt, ex pertinaci bello, quo sancta haec Sedes ab hominibus religioni infensis impetitur, non levi acerbitatis sensu afficitur, Clementissimus Deus opportuna Nobis suae benignitatis solatia deesse non patitur, secundos exitus studiis Nostris pro salute animarum saepe tribuens, ac propitius efficiens, ut catholica fides pluribus in locis graviter concussa et oppugnata, in aliis suam sedem statuat feliciter, suique salutaris regni fines proferat. Huius porro solatii non levem fructum excepimus in iis illustribus filialis animi et devotae voluntatis testimoniis, quae Sla-

vonicae nationis gentes, insignis christianae familiae pars, ob paternum studium, quo ipsarum bonum promovere studemus, Nobis grata dilectionis vice publice exhibuerunt. Ex quibus rebus, quantum salutis eorum desiderium Nos movet, tantum etiam spei magnitudo Nos erigit qua fore non dubitamus, ut eiusdem nationis homines, qui adhuc catholicae unitatis exsortes sunt, post tristes rerum vices quas diu pertulerunt, cogitantes felicitatem dierum quibus maiores eorum, ad christianam et civilem vitam instituti, Apostolicae Sedi adhaerebant, et felicem fratrum conditionem, qui in fide Romanae Ecclesiae manentes, in ea semper tutelam, solatium, praesidium matris amantissimae paratum habuere, in eius gremio fidum perfugium quaerant, et firmo fidei caritatisque vinculo cum ea coniungantur.

In hac autem sollicitudine et dilectione, qua Slavicas gentes omnes complectimur, plurimum gaudemus opportunitatem Nobis oblatam esse, qua spiritualibus necessitatibus et rationibus eorum consulere possemus, qui in provinciis Bosniensi et Herzegovinensi degunt, quae ob temporum vices mutato in iis regionibus reipublicae statu, nunc a carissimo in Christo Filio Nostro Francisco Iosepho Austriae Imperatore et Hungarie Rege Apostolico tenentur et administrantur. Nam cum pro munere Nostro opportunum putaremus, res religionis in iis provinciis ad eam formam adducere, quae novae rerum publicarum conditioni melius responderet, et gentibus illis ad uberius percipienda Ecclesiae adiumenta prodesset, Nos spectatissimi Imperatoris et Regis sincerae religioni et pietati confisi, cum Eo egimus, ut Sua studia Nobiscum coniungeret, et benevola voluntate Nostris desideriis obsecundaret. Spes et vota Nostra optatos exitus habuere: Augustus enim Imperator et Rex, cui cognominis Apostolici, dignitas ad nobiles virtutes Maiorum Suorum ^praesentandas incitamento est, officia et desideria Nostra perhumaniter excepit, Eoque favente Nobis datum est, ut novam ecclesiasticam provinciam constituere possimus in ea Illyrici parte, cuius illustrem memoriam Catholicae Ecclesiae fasti posteris prodiderunt.

Ac sane compertum est certisque testatum historiae monumentis, Illyrici provincias, quae usque ad Istrum flumen pertinebant, evangelica luce ab initio fuisse illustratas Apostoli gentium ministerio, qui ad Romanos scribens ac memorans ea, quae per ipsum Christus operabatur ***verbo et factis in virtute signorum et prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti,*** aiebat se ***ab Hierusalem per***

circuitum usque ad Illyricum replemsse evangelium Christi (1). Scilicet ille ministrum Christi in gentibus se exhibebat ***totum. Illyricum percurrens,*** velut antiqui Patres memoriae tradidere (2); ***ac ubique spargens scintillas fidei, quas auspex Spiritus Sanctus cxcitabat, vivascjue semper servabat.*** Quum itaque Doctor gentium divini verbi semen iis regionibus diffudisset, quas postea discipuli eius et Apostolorum Principis, Lucas (3), Clemens (4) ac Titus (5) sedulo excoluerunt, mirum dictu est quantopere res christiana proiecerit, quantaque habuerit incrementa, ecclesiastica hierarchia constituta, in qua episcopales sedes Thessalonicensis, Salonitana ac Sirmiensis principatum obtinebant, quae merito a duobus Principibus Apostolorum primos Pastores suos accepisse gloriantur. Neque regionibus illis defuit martyrum decus aut doctorum illustrium, in quibus memorare praestat clarissimum illud occidentalis Ecclesiae lumen, ac eximium divinarum litterarum interpretem, Hieronymum, qui apud veteres fines Pannoniorum et Dalmatarum (6) primam lucem hausit.

Romani autem Pontifices Praedecessores Nostri nullam benevolentiae, nullam suarum curarum partem Illyrici provinciis unquam deesse passi sunt;imo in finibus iis, quae orientem magis spectant, quosdam constituerunt sacrorum Antistites, qui vicaria Apostolicae Sedis potestate praeessent, adhibitis nempe Thessaloñicensis Ecclesiae Episcopis, qui hoc ministerio fungerentur. Ita provinciae' illae Romanorum Pontificum non intermissis curis prospere floruerunt, quod magnus Nicolaus I Praedecessor Noster, datis ad Michaelem Imperatorem litteris, declarabat his verbis: ***Illyricana dioecesis Antecessor um Nostrorum temporibus, scilicet Damasi, S'iridi, Innocentii, Bonifacii, Caelestini, Sixti, Leonis, Hilarii, Simplicii, Felicis atque Hormisdae sanctorum Pontificum sacris dispositionibus augebatur'*** (7). Quin etiam hisce litteris antiquiores epistolae alterius magni Praedecessoris Nostri Gregorii I perpetuum atque illustre monumentum exhibent cum supremae auctoritatis,tum praecipuae sollicitudinis et effusae caritatis, qua haec Romana Sedes

(1) Rom. XV. 19.

(2) S. Asierius Episc.Amaseae hom-v. in Princip. Apost. Cf. s. Hieron. ep.LIX. ad Marcellam; s. Greg. Nyssen. orat. de s. Stephano Protoni; Ioana .VIII. ep. CIX ad Petrum Comit; s. Petrus Damian, sermo de ss. Apost.

(3) S. Epiphan. haeres. LI.

(4) Farlat. lllyric. sacr. tom. I. proleg. part. III §. I.

(5) S. Hieron. in cap. IV. epist. II. ad Timoth.

(6) Idem de -viris illustri!», cap. «It.

(7) S. Nicol. I PP. epist. IV ad Mich. Imp.

pro re nata necessitatibus Pastorum ac fidelium regionum earumdem, in aedificationem et augmentum mystici corporis Christi, opitulari consuevit.

At vero fatiscentibus Romani imperii viribus, quum ii, qui suprema potestate pollebant, impares essent cohibendis gentium exterarum copiis irrumpentibus undique et omnia late populantibus, etiam regiones illae florentissimae a G-othis et ab Hunnis primo, mox ab Avaris et a Slavonis occupatae sunt. Quare in ea tristi vice caedium et vastationum, non modo plures ex urbibus vetustate et amplitudine insignibus excisae sunt, sed etiam plures e nobilioribus sedibus episcopalibus omnino defecerunt. Sed neque vis animi, neque studium defecit Romanorum Pontificum, qui curis conlatis ad sarcienda damna, ad ruinas fulciendas, omnem operam dedere partim solandis miseris et iacentibus erigendis, partim instituendis ad christianae vitae mores rudibus illis convenis, ut ex eis tamquam vivos lapides honori spiritualis domus, et nobiles christianae humanitatis alumnos bono civilis societatis conflarent. Et sane saeculo septimo, quum Servii et Croatae e Carpathiis montibus profecti in regionibus Slavoniae, Croatiae, Serviae, Dalmatiae et Istriae sedes suas figèrent, Ioannes IV Pontifex Maximus dum Ecclesiae Romanae fundebat opes in levamen eorum, quos misera servitus premebat, ac sanctorum Martyrum reliquiis tutam quietis sedem parari curabat, sui etiam muneris duxerit novorum convenarum saluti consulere, misso ad eos Martino Abate, viro sanctissimo, qui ipsos ex errorum tenebris ad evangelicae veritatis lucem adduceret **(1).** Neque vero dubitandum est, quin Episcopi et Sacerdotes ex urbe Roma missi ab eodem Pontifice, aliisque proximis eius Successoribus, ad omnia pietatis opera instituerint eos Slavoniae populos, qui meridionales audiunt, illosque lavacro regenerationis expiatos una cum duobus Principibus Porino et Porga, tamquam primitias cognatarum gentium, in ovile Iesu Christi exceperint (2).

Haec porro Praedecessorum Nostrorum sollicitudo insigniter etiam eluxit insequentibus saeculis, quibus studio Romanorum Pontificum Nicolai I, Hadriani II et Ioannis VIII, adiutoribus sanctissimis viris Cyrillo et Methodio germanis fratribus, quorum religionem et cultum magno cum animi Nostri solatio nuper latius praeferendum augendumque censuimus, Slavicae gentes quae ab austro ad boream pertinent, plenius hauserunt evangelicae doctrinae lumen,

(1) Liber Pontif. in Ioan. IV.

(2) Constantin Porphyrogen. de administr. imper. cap. XXX, XXXI, XXXII.

ac per eam ad humanum civilemque cultum deductae, sanctae religionis et iustitiae formam induerunt (1).

Quum igitur Slavonicae gentes mirum in modum ad catholicam veritatem conversae in communionem fidei et caritatis cum Apostolica Sede venissent, arctam cum ea coniunctionem, filialis studii nexibus devinctae, diu retinuerunt, et ex illa, unde unitas sacerdotalis, unde salutis doctrina manat in totum orbem, tamquam e vivo fonte roris caelestis hauserunt ubertatem. Regnis imo ac principatibus Slavici nominis constitutis, positum in more fuit Slavicorum Regum et Principum, ut in fidem et tutelam sese reciperent beatissimi Petri, quem colebant in Ipsius Successoribus, utpote haeredibus potestatis eius, quam Ipse a Pastore aeterno in gregem christianum universum acceperat. Sed enim, postquam nonnullae ex iis gentibus, rebellis sequutae Photii vestigia, e materno complexu recesserunt Catholicae Ecclesiae frustra retinere abeuntes, et devios revocare conantis, quasi palmites e vite abscissi exaruerunt, et e fiorenti statu in eas aerumnas miserosque casus prolapsae sunt, quos suis monumentis historia posteritati tradidit. Quare Nobis, plurium saeculorum experientia edoctis, potiori iure licet eas gentes eompellare et alloqui iis verbis, quibus Ioannes VIII Decessor Noster, quasi rerum futurarum praescius, eas ad unitatem catholicam revocare contendebat. Aiebat enim: ***Reminisci debetis quanta eosdem praedecessores vestros prospera evidentissime comitabantur, quando ad limina Petri Apostoli caelestis regni clavigeri devoto pectore quasi proprii filii confluebant, et quanta postmodum nunc usque sustinetis adversa, cum ab ea Sede*** 6. ***Petri vos quasi alienos separare non dubitastis*** (2).

Variis hisce rerum vicibus obnoxii etiam fuere populi, qui Bosniae et Herzegovinae regiones, ad quas modo convertimus curas Nostras, incoluere. Provinciae enim istae variis Principibus finitimarum gentium, prout quisque viribus magis pollebat, obtemperarunt; modo ab iis qui Serbiae vel Croatiae praeerant, modo ab aliis dominatoribus subactae. Hinc fieri non potuit, ut a funesta errorum lue, quae circa illas serpebat, immunes evaderent. Quum autem saeculo duodecimo in potestatem regum Hungariae, regni Ramae nomine suscepto, devenerunt, ad Ecclesiae communionem reversae, fiorentis denuo religionis fructibus usae sunt. Ast ea res laeta licet, tamen diuturna non fuit: etenim non multo post e vicinis Bulgariae finibus

(1) Ioan. VIII ep. ad Michael. Borisium regem Bulgar.

(2) Epist. CCXXXIV ad Cleric. Salonit.

alia mala labes in eas irrepsit lateque grassata est, priori longo pestilentior ac foedior, ex antiquis Manichaeorum erroribus orta, quae Patarenorum sectae nomen indidit. Ex liae autem tristi colluvie, quae per tria fere saecula regiones illas foedavit, plurima et exitiosa damna in eorum populorum fidem moresque redundarunt. Nihilominus in ea calamitate temporum luculenter enituit Romanorum Pontificum zelus et paterna sollicitudo eo constanter intenta, ut ex agro Domini zizania evelleret, christianae fidei germina tueretur ac aleret, atque ita sincerae pietatis cultum instauraret. Namque, ut alios missos faciamus, praecipuam ac praeclarissimam partem supremi ministerii sui in eam rem contulerunt Innocentius III, Honorius III, Gregorius IX, Innocentius IV. Nicolaus IV, Ioannes XXII", Benedictus XII, Urbanus V, Gregorius XI, Eugenius IV ac Nicolaus V, qui partim crebris legationibus et apostolicis litteris ad Principes ac Praesules missis, partim sacris expeditionibus hominum apostolicorum, qui zelo flagrantes animarum salutem curarent, partim frequentia mansionum pro his passim conditarum, quae futurae erant nobiles religionis et sanctimoniae sedes, illud praestiterunt, ut corruptas hominum mentes, qui errores inter et mala morum inveteraverant, sensim ad suave iugum evangelicae legis subeundum inflecterent. Cuius rei laudem, haud exigua ex parte, sibi vindicant sodales e religiosis familiis sanctorum Francisci et Dominici, ex quibus non pauci, ab haereticis caesi, gloriosam pro Christi nomine mortem oppetierunt.

Nec destitit interim haec Sancta Sedes duas illas provincias aliis atque aliis benef actis afficere, maxime ex eo tempore quo regnum Bosniacum fuit constitutum. Scilicet quum saeculo XIV, concessu Ludovici Regis Hungariae, Stephanus Tuartkus qui Bosniae praeerat, Bannus eorum lingua appellatus, assumpsisset ipse regium nomen et cultum, adiecto ditioni suae principatu Culmiaè in Herzegovinensi tractu, qui s. Sabae ducatus etiam dicebatur, ex eo tempore Romanos Pontifices iugiter appellare opemque rogare consueverunt Bosniae Reges, in maximis ac necessariis rei publicae temporibus, nec illis unquam a Decessoribus Nostris consilia, auxilia, solatia, omnia demum paternae charitatis officia defuerunt. Huius rei insigni documento est Catharina Bosniae Regina illustris, quae patriae excidio impendente, tutum in hac alma Urbe Asylum et a Decessoribus Nostris dignum suo fastigio cultum nacta est, quaeque propterea, morte appetente, in supremis testamenti tabulis, quibus Romanam Sedem Bosniaci regni heredem instituebat, gratiam sibi

praestitam ac munificentiam in se collatam a Summis Pontificibus Pio II et Sixto IV diserte commemorandam censuit (1).

Sed inter sedulas curas, quas Apostolica Sedes in Bosnienses contulit, memoria praecipue dignum est studium illud, quod pluries Romani Pontifices prae tulere, ut in ea regione ecclesiasticam hierarchiam constituerent, augendo nempe tum dioeceses tum sacrorum Antistitum numerum, prout rerum conditio et utilior rei sacrae procuratio apud Bosnienses postulare videbatur. Indubia enim monumenta testantur, postquam Slavicae gentes, quae australem regionis partem incolebant, catholicae pietatis fidem suscepere, res sacras in amplissima illa regione longo temporum cursu unius tantum Episcopi regimine fuisse administratas, qui pro publicis eorum locorum vicibus metropoliticae iurisdictioni modo Salonitanae sedis aut Spalatensis, tum Diocletianae aut Antibarensis, alias etiam Ragusinae et quandoque Colocensis, tamquam suffraganeus obnoxius erat (2). Cum hic esset rei sacrae status in Bosnia, Praedecessor Noster Innocentius III, qui saeculo XIII ineunte studio incensus religionis rebus in eo regno consulendi Iohannem de Casemario suum et Apostolicae Sedis Legatum illuc miserat, ex eius litteris intellexit religionis conditiones in Bosniensium finibus poscere, ut episcopales sedes in iis omnino augerentur. ***Noveritis,*** ita enim Legatus scribebat, ***quod in regno... de Bosna non est nisi unus Episcopatus, et Episcopus modo mortuus est. Si posset fieri quod aliquis Latinus ibi poneretur et aliqui etiam ibi tres vel quatuor crearentur novi, non modicum exinde utilitatis accrescerei ecclesiasticae, quia regnum est ad minus diaetarum decem et plus*** (3). Cum ei* Pontifici datum non fuisset, ut, sicuti optabat, hoc pium et salutare consilium ad exitum adduceret, Gregorius IX, qui ipsi post Honorium III in Pontificatu successit, pro suo fidei conser-. vandae ac propagandae in iis partibus zelo, eius implendi ac perficiendi cura suscepta, anno MCCXXXIII litteras dedit ad Iacobum Cardinalem Episcopum Praenestinum Apostolicae sedis in Pannonia Legatum, eiusque fidei et prudentiae commisit, ut novae in Bosnia episcopales instituerentur sedes, ac Episcopi eligendi solida scientiae et pietatis laude fulgerent (4). Etsi flagrantissimum huius etiam Pontificis studium optatum exitum habere non potuit, operam tamen

(1) Assemanni kal. Eccl. univ. tom. v, part. I cap. III pag. 96.

(2) Pariat Illyr. sac. tom. IV, p. 37 seqq.

(3) Innoc. III lib. VI, ep. CXL Iolian. de Casemario ad Pont.

(4) Regest. Gregor. IX, lib. VII ep. CLXIV.

adhibuit, ut dignior Antistes Bosniensis Ecclesiae sacris praeesset, cuius dignitatem delato etiam Apostolici Legati munere, amplificandam censuit **(1).**

In sequentibus autem temporibus Eugenius IV vestigiis Decessorum inhaerens, cum Stephano Thomae Bosniae Regi regalis coro-, nae decus tribueret, de sacrae potestatis gradibus in eius regno stabiliendis cum ipso agendum putavit. Cum hic Princeps metu ingruentium hostium oblatae occasioni defuisset, ac Stephanus filius, qui patri in regno successit, maiorem vim animi ostendens, ad Apostolicam hanc Sedem legatione missa, oblata patri occasione libenter se usurum declarasset, Pius II Pontifex Maximus S. E. R. Cardinalibus in consilium adhibitis, novas cathedrales sedes in Bosnia instituendas easque idoneis rectoribus committendas decrevit, atque haec per regios Legatos ad Regem ipsum afferri curavit (2). At dum, impedimentis omnibus sublatis, opportuna facultas data videbatur religionis rebus apte in Bosnia constituendis, rerum publicarum status, qui in deterius in ea regione quotidie ruebat, miserandum in modum eversus est; atque ita consilia et curae irritae cecidere, quas per plura saecula ad promovendas Bosniensium utilitates Praedecessores Nostri conferre nunquam intermiserant.

In maxima hac perturbatione rerum, religione pariter magnis calamitatibus perculsa, Episcopus, qui unus pastorale ministerium apud Bosnienses exercebat, solum vertere coactus, Diakovae in finitima Slavoniae urbe suam sedem collocavit. Herzegovinae gentibus, pari rerum calamitate afflictis gravibus quoque impedimentis interceptus fuit usus sacrae potestatis Episcopi Mercanensis et Tribuniensis, cuius illae magna ex parte pastorali regimine utebantur, dum reliquarum partium cura ad finitimos Dalmatiae Episcopos pertinebat. Cum itaque eo res adductae fuissent, ut suorum Pastorum praesidium gentes illae amplius experiri non possent, Romani Pontifices eo acrius incensi ad opem ferendam, quo maiore in discrimine earum versabatur salus, excitato virorum apostolicorum zelo, ac opera adhibita sacri Consilii christiano nomini propagando, meliori qua fieri potuit ratione, fidei in iis partibus tuendae et religionis detrimentis sublevandis consuluerunt. Qua in re luculenter enituit sodalium Franciscalium ex ordine veteris observantiae constantia et virtus, qui operam in iis provinciis propagationi fidei navantes, pro una interdum etiam sanguinem fuderunt, pluribus relatis salutis

(1) Ibid. lib. XII, ep. CCCLIV.

(2) Gobelin, cnmmentar Pii II, lib. XL

fructibus, egregie de religione sunt meriti. Cum porro Praedecessores Nostros non laterent gravia damna queis obnoxii sunt ii, a quibus longe abest procuratio Pastoris, auctoritate Eorum decreto edito a sacro Consilio propagandae fidei praeposito, anno MDCCXXXV die V Novembris, Apostolicus Vicariatus institutus est, qui in locum episcopalis Bosniae sedis suffectus, Bosniensibus simul et Herzegovinensibus prospiceret; atque huius ministerii munus viro episcopali dignitate aucto fuit creditum, ut in Bosnia suam sedem statuens, spirituali utriusque provinciae procuratione rite fungeretur;

At cum Deo favente laeti fructus ex hisce curis extarent, et fidelium numerus feliciter augeretur, anno MDCCCLII Decessor Noster felicis recordationis Pius IX ad christianum nomen latius propagandum et fovendam unitatem spiritus in vinculo pacis inter operarios, qui in vinea Domini laborant, peculiarem et proprium religionis rebus in Herzegovina curandis Vicariatum Apostolicum constituit, servata tamen episcopali sede Mercanensi et Tribuniensi, cuius administrationem conlatis antea cum imperiali Austriae Gubernio consiliis, Gregorius XVI Episcopo "Ragustino demandaverat. Quae rationes, Praedecessorum Nostrorum providentia initae, in illarum provinciarum bonum apprime redundarunt, in quibus oblata hominibus veritatis excipiendae opportunitas et ad christianam professionem colendam auxilia efiecere, ut fides, religio et pietas ampla in iis incrementa susciperet.

At nunc singulares grates Deo Clementissima a Nobis in humilitate cordis agendas esse intelligimus, cum Eius munere Nobis datum sit, ut post tot saeculorum lapsum, post tot luctuosas rerum vices, quod olim incliti Nostri Praedecessores summis votis optabant, quod ad res Ecclesiae in superius memoratis provinciis ad meliorem statum adducendas pertinet, opportune praestare et perficere, ecclesiastica scilicet hierarchia in iis constituenda, possimus. Non enim dubitandum est quin hierarchica ecclesiasticae rei administratio, in qua, velut in compage humani corporis, varietas ipsa graduum et officiorum, ob commune fidei et caritatis vinculum et supremi auctoritatem capitis omnia moderanti s et agentis; ad mutuum omnium partium inter se consensum et incolumitatem mirifice redundat, ubi illis provinciis fuerit constituta > dum sensim praesidia augebit, quae ad religiosum cultum animorum spectant, ac omnium vires ad commune bonum impellet, eo valitura sit, ut fideles in christianae vitae officiis una eademque disciplinae ratione utantur, ac pacis et caritatis nexu omnium animi arctius consocientur.

Nos itaque rogatis, ut negotii gravitas postulabat, Venerabilium Fratrum Nostrorum S. E. R. Cardinalium sententiis, ac totius rei ratione accurate perpensa, levantes oculos in montes unde Omnipotentis Dei venit auxilium, ac propitiam cpem implorantes Immaculatae Dei Matris, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, sanctorumque Pontificum Confessorum Cyrilli et Methodii, qui evangelii lumine inter Slavicas gentes olim invecto, eis nunc caelesti patrocinio suffragantur, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque amplitudine Apostolicae auctoritatis, ad maiorem Dei Omnipotentis gloriam et religionis 'catholicae inter easdem gentes exaltationem ac incrementum, constituimus ac decernimus, ut in Bosniae et Herzegovinae districtibus iuxta canonicarum legum praescripta hierarchia ordinariorum Episcoporum instituatur et fiat, qui a sedibus nomen accipient, quas hisce Nostris litteris erigimus, et in ecclesiasticam provinciam constituimus.

Ac primum a territorio, iurisdictione, administratione, regimine Episcopatus Bosniensis, qui a fel. rec. Clemente XIV Apostolicis litteris die IX Iulii anno MDCCLXXIII datis, instante Maria Theresia Hungariae Apostolica et Bohemiae Regina Illustri, finitimae Ecclesiae Sirmiensi aeque principaliter et in perpetuum fuit unitus, omnes regiones et loca citra Savum existentia, quae politicis Bosniae finibus comprehenduntur, auctoritate Apostolica in perpetuum seiungimus, distrahimus, separamus, itemque Apostolicus Vicariatus in Bosniensi et Herzegovinensi districtibus constitutos, eadem auctoritate supprimimus, éxtinguimus ac suppressos declaramus. Deinde in eodem territorio novam provinciam ecclesiasticam constituimus, quae quatuor tantum dioecesibus iuxta modum qui sequitur constabit, donec Nobis datum fuerit, ut sedes numero plures insti - fuamus.

Cum urbs Seraium, vulgo *Sarajevo,* in medio paene Bosniensis regionis posita eiusque princeps, ratione situs ac opportunitate loci advenis et negotiatoribus admodum pervia, maiorem prae aliis civitatibus commoditatem Catholicis praebeat, ut ad eam propter usus suos commeare possint, cumque etiam catholici Episcopi apud eam urbem in "Werhbosnensi oppido hospitam sedem interdum habuerint, quo tempore, ut fama est, Patarenorum sectae asseclis saevientibus tutum perfugium quaerebant, hinc sedem Seraiensis urbis, Werhbosnensem ei titulum tribuentes, in archiepiscopalem et metropolitanam sedem et aliarum sedium caput, quae sunt et erunt in utraque Bosniensi et Herzegovinensi provincia per Nos

aut Successores Nostros Bomanos Pontifices in posterum erigendae, auctoritate Apostolica tenore praesentium instituimus, facimus ac declaramus, eidemque sedes episcopales tres, nempe duas, quas novas erigimus in civitatibus Banialuco et Mandetrio, vulgo ***Mostar,*** et aliam iam erectam Mercanensem et Tribuniensem, quam Episcopus Ragusinus donec aliter provideatur administratoris titulo procurabit, tamquam provinciales adsignamus, addicimus, attribuimus; earum vero Episcopos pro tempore existentes in Archiepiscopi Werhbosn ensis suffraganeos, qui iuri eius archiepiscopali et metropolitico subsint, accensemus, ac huiusmodi Ecclesiarum clerum populumque xmiversum, quorum causae ad memoratum Archiepiscopum iuxta sacrorum statuta canonum referantur, ipsi Archiepiscopo quoad archiepiscopalia et metropolitica iura pariter subiicimus. Quod autem pertinet ad novam dioecesim Mandetriensem, cuius in finibus civitas Dumnensis est, vulgo *Davno,* quam veteres Delminiumdixere, unde Dalmatarum nomen est ortum, Nos ratione habita eam urbem cum circumiectis oppidis, ut vetera monumenta tradunt, episcopalis sedis, quae Dumnensis seu Dalmatiae vocabatur, dignitate obtinuisse (1), volumus et mandamus, ut Episcopus Mandetriensis Dumnensi etiam vel Dalminiensi titulo, quo illustris illius cathedrae memoria in posteris vigeat, perpetuo utatur ac decoretur.

Agentes autem de finibus, quibus novae dioeceses, quas supra memoravimus, contineantur, eos in hunc qui sequitur modum statuimus, assignamus et circumscribimus, et ab omnibus perpetuo ac inviolabiliter servari iubemus atque mandamus: nimirum archiepiscopalis sedes Werhbosnensis eum Bosniae tractum complectetur, qui ad septemtriones, qua Savum fluit, ab ostiis fluminis Verbitzae ad fauces Drini patet. Ad occasum partem illam, quae Verbitza alluitur, ab huius ostiis ad Dolnje-Skoplje, atque hinc meridiem versus ad montes Dinaricos, quibus Bosnia ab Herzegovina dirimitur. Fines ad austrum ii erunt, qui a Suica ad oram, qua Rama in Naronem labitur, inde a Narone ad G-lavatioevum, inde a Glavaticevo orientem versus ad Drinum, inde a Drino ad fluvium Limum pertinent. Postremo ea pars, quae fluviorum Limi et TJvaci cursu continetur. Limites ad ortum ea parte definientur, quae ab TJvaco fluvio ad montem Ivicam, a Drino usque ad ostia huius amnis protenditur.

Paroeciae autem, quae in descriptis finibus locum obtinent, sunt quae sequuntur:

(1) Cf. s. Gregor, m. lib. 1, ep. XXXVIII.

Serajevo, Ban-Brdo, Kiseljah, Kreševo, Podhum, Kula, Kupres, Suhopolje, Trisóani, Rama, Uzdó, Bugojno, Skoplje, Golo-Brdo, Rastovo, Fojnica, Brestovsko, Gromiljak, Busovaoa, Pođmilačje, Dobretići, Korićani, Pećine, Orašje, Dolac-Tranvnik, Gueia-Gora, Buoići, Vitez, Crkvica, Zenica, Osova, Zepče, Radunice, Ponievo, Komušina, Bežlja Zabljak, Sutinska, Vareš, Vijaka, Morančani, Tuzla, Breške, Zovik, Broki, Gorica, Ulice, Vidovicie, Dubrava, Spionica, Tramosnjica, Graclaeac, Tolisa, Domaljevac, Tišina,Garevo, Dubica, Potočani, Svilaj, Brood, Koratje, Zeravac, Derventa, Plehan, Foca, Sivša.

Regio autem episcopalis sedis Banialucensis reliqua Bosniae parte constabit, quae ad septemtriones iis definitur limitibus, quibus Croatiae regnum a Bosnia dirimitur: ad occasum iis finibus, qui Croatiae sunt quique Dalmatiae sunt, Heržanum usque: ad meridiem ea ora, quae ab Heržano ad Suicam pertinet: ad ortum demum iisdem limitibus, quos superius archidioecesi Werhbosnensi descripsimus.

Ea in regione continentur paroeciae, qua sequuntur: Banjaluka, Kotorisće, Sokoline, Varcas, Jaice, Glamoč, Grahovo, Petrićevac, Ivanjska, Gradiška, Sasina, Stratinska, Volar, Stara-Rieka, Bihać, Popovići, Vidoši, Cuklić, Listani, Ljubunčić, Livno-Gorica.

Dioecesis Mandetriensis et Dumnensis totum Herzegovinae tractum obtinebit, qui inter fines dioecesis "Werhbosnensis et Banialucensis a borea, inter fines Dalmatiae usque ad urbem Metković ab occasu, inter fines dioecesis Mercanensis et Tribuniensis ab austro atque inter districtum quem vocant Novofori, vulgo *Novi-**Bazar.*** ab ortu, continetur.

Paroeciae, quae ad hanc dioecesim pertinent, sunt quae sequuntur: Mostar, Siroki-Brig, Ljuti-Dolac, Cerin, Gradnići, Gabela, Humac, Veljači, Klobuh, Rasno, Ružici Drinovci, Forica, Posušje, Vir, Roskc-Polje, Grabovica, Bukovica, J5upanjac, Sujica, Seonica, Rakitno, Kocerin, Grradac, Goranci, Drežnica, Konjic.

Dioecesis Mercanensis et Tribuniensis fines suos integros retinebit, servato pariter paroeciarum numero, quae nunc Episcopi administrantis iurisdictionis subiiciuntur.

Quoniam vero in cathedralibus Ecclesiis Canonicorum Collegium loco Senatus est, qui Episcopo adsidet in divinis celebrandis officiis eique in administranda dioecesi suam operam navat; atque etiam per illud cathedrae episcopalis ornatur dignitas, divini cultus augetur decus, et fidelium pietas magis incenditur, Apostolica Nostra

auctoritate in archiepiscopali sede Werhbosnensi illico et perpetuo instituimus cathedrale Capitulum constans ex ecclesiasticis idoneis viris, aequali prorsus voce et votis in suis comitiis et quibusque deliberationibus gavisuris, qui ad instar aliarum Cathedralium tum divina officia et munia ecclesiastica, tum onera et quaevis alia, quae huiusmodi virorum coetuum propria sunt, rite diligenterque statutis temporibus obire teneantur, eique insuper facultatem facimus capitulares sibi conficiendi constitutiones sacrorum canonum sanctionibus et Tridentino Concilio plane consentaneas, quae nihilominus ordinarii Antistitis approbatione indigeant, ut legis vim sibi vindicare queant.

Volumus porro et mandamus, ut in aliis quoque episcopalibus sedibus, quas modo erigendas statuimus, proprium cuiusque Canonicorum Collegium seu Capitulum constituatur, cum primum per temporum rerumque adiuncta licuerit.

Ad curas autem ministerii Nostri illud etiam maxime pertinere intelligimus, ut auctis episcopalibus in Bosnia et Herzegovina sedibus, succrescant in iis Presbyteri indigenae numero plures, qui morum innocentia, pietatis cultu, ardore zeli praestantes, probeque litteras ac scientias edocti,omnes sacerdotalis officii partes uberi cum fructu obire valeant, et ad fidem propagandam in natalibus regionibus studiose suas vires intendant. Quapropter pro certo habentes non defuturam tantae rei munificam liberalitatem pientissimi Imperatoris et Regis Apostolici, statuimus ac decernimus, ut interim, nulla mora interiecta, in archidioecesi Werhbosnensi Clericorum Seminarium provinciale instituatur, quo necessitati prospici queat cum archidioecesis illius, tum caeterarum dioecesium, quas eidem suffraganeas adiunximus. Ac bona prorsus spe nitimur ea ratione ac ope evangelicos operarios quamplures optime comparatos e clero saeculari extituros, qui fideliter alacriterque excolant vineam Domini, uno caritatis et concordiae spiritu cum religiosarum disciplinarum alumnis coniuncti, quos dignis officiis prosequi par est ob diuturnos labores, quibus de ecclesia et de animarum salute benemereri in iis regionibus sedulo studuerunt. Volumus autem ea accurate servari, quae sapienter a Tridentina Synodo statuta sunt, tum quoad eiusdem Seminarii regimen, tum quoad instructionem et bonorum administrationem.

Sic igitur in Bosniae et Herzegovinae districtibus ecclesiastica provincia unica, quantum praesentes res ferunt ex uno Archiepiscopo seu metropolitano Antistite et tribus suffraganeis Episcopis

constituta, Nobis et Romanis Pontificibus Successoribus Nostris iam nunc reservatum declaramus, 'ut erectas et institutas dioeceses in alias, ubi opus erit, partiamur, earumque numerum augeamus, limites immutemus, ac quidquid aliud expedire in Domino visum fuerit libere perficiamus. Interim Archiepiscopo et Episcopis supradictis praecipimus et mandamus, ut relationes de suarum Ecclesiarum statu ad Apostolicam Sedem debitis temporibus mittant, nec desistant Nos instructor reddere de iis omnibus, quae pro officii munere ac spirituali fidelium bono nunciare et referre se teneri intellexerint. In sacro vero cleri populique regimine atque in caeteris, quae ad pastorale misterium pertinent, Archiepiscopus et Episcopi praefati omnibus fruantur iuribus et facultatibus, quibus alii aliarum gentium catholici Archiepiscopi et Episcopi ex communi sacrorum canonum et apostolicarum constitutionum vi fruuntur ac frui poterunt iisdemque pariter obstringantur obligationibus, quibus alii Antistites ex eadem communi et generali Catholicae Ecclesiae disciplina obstringuntur. Quaecumque propterea sive ex antiqua Ecclesiarum Bosniae et Herzegovinae ratione, sive in subsequenti Missionum conditione ex peculiaribus constitutionibus aut privilegiis vel consuetudinibus viguerint, mutatis nunc circumstantiis, nullum posthac sive ius sive obligationem inducent. Atque ad eum finem, ut nulla in posterum suboriri dubitatio valeat. Nos iisdem illis peculiaribus constitutionibus ac privilegiis cuiuscumque generis et consuetudinibus a quocumque etiam vetustissimo et immemorabili tempore inductis, omnem prorsus obligandi aut iuris afferendi vim ex plenitudine Apostolicae auctoritatis adimimus. Proinde Archiepiscopo et Episcopis praedictis integrum erit ea decernere, quae ad communis iuris executionem pertinent, quaeve ex generali lege sacrorum Antistitum auctoritati permissa sunt. Ulterius intendimus, ut cuncta ad res, iura et personas ecclesiasticas respective pertinentia, de quibus in hisce praesentibus nulla facta est mentio, nullaque inlata specialis providentia, ea omnia iuxta canonice vigentem Ecclesiae disciplinam ultro habenda , dirigenda et declaranda sint.

Nunc vero aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum, qui intima cordis Nostri scrutatur, qui novit quo desiderio flagremus dilatandi gloriam Nominis Sui, et quo caritatis moveamur affectu ad curandam aeternam Slavicarum gentium salutem , quam non aliter eas assequi posse nisi in sinu Catholicae Ecclesiae cognoscimus, firmam prorsus fiduciam fovemus gentes ipsas, quarum bo-

num in, iis, quae a Nobis sunt decreta, spectavimus, nihil potius habituras, quam ut huic Apostolicae Cathedrae super quam Ecclesia aedificata est, maiore in dies devotae voluntatis obsequio et studio iungantur. Immo Episcopis et Sacerdotibus inter eas numero auctis, quibus nullum unquam Apostolicae curae officium deesse patiemur, minime dubitamus non modo Catholicae Ecclesiae filios hac opportunitate usuros, ut magis magisque in religione et pietate proficiant, sed etiam deviis fratribus, qui eiusdem soli et eiusdem sermonis communione sociantur, stimulos additum iri, ut ad eius matris se recipiant sinum, quae omnes pariter in Christo Iesu per evangelium genuit. Annuat propitius dives in misericordia Deus, qui facit mirabilia magna solus, ad quem flectentes genua et expandentes manus vota cordis Nostri fervida extollimus, ut ipsi etiam caelestis gratiae lumine perfusi, fractis miseri dissidii laqueis, verum ovile Christi ingrediantur , utque occurrentes in unitatem fidei, sint Nobiscum unum corpus in Christo.

Decernimus tandem has Nostras litteras nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis vitio, sive intentionis Nostrae alioque quovis defectu notari vel impugnari posse, et semper validas ac firmas fore, suosque effectus in omnibus obtinere ac inviolabiliter observari debere. Non obstantibus Apostolicis atque in synodalibus , provincialibus et universalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus sanctionibus, nec non veterum sedium existentium olim in Bosnia et Herzegovina et Missionum ac Vicariatuum Apostolicorum inibi postea constitutorum, et quarumcumque Ecclesiarum ac piorum locorum iuribus aut privilegiis iuramento etiam confirmatione Apostolica, aut alia quacumque firmitate roboratis, caeterisque contrariis quibuscumque. His enim omnibus tametsi pro illorum derogatione specialis mentio facienda esset, aut alia quantumvis exquisita forma servanda, quatenus supradictis obstant, expresse derogamus, et quorumcumque interesse habentium consensui plenarie supplemus. Irritum quoque et inane decernimus si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, manuque publici Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum suo sigillo munitis, eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significationi ipso hoc diplomate ostenso haberetur.

Nulli ergo omnino hominum liceat nunc paginam Nostrae erectionis, constitutionis, institutionis, restitutionis, dismembrationis,

suppressionis, adsignationis, adiectionis, attributionis, decreti, mandati ac voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem haec attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo octogesimo primo III Nonas Iulii, Pontificatus Nostri Anno IV.

C. CARD. SACCONI PRO-DATARIUS = T. CARD. MERTEL.

VISA

DE CURIA I. DE AQUILA E VICECOMITIBUS

Loco J3$ Plumbi

Reg. in Secret. Brevium

I. CUGNONIUS

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

RESIDENTIAE ET SUSPENSIONIS

Die 14 Augusti 1880.

COMPENDIUM FACTI. In Oppido sancti Stephani Dioecesis **B.** extat Plebania ruralis, cuius Archipresbyter titularis est ipse Episcopus, cura autem actualis ab eo geritur per Oeconomum Curatum, *ad nutum* amovibilem.

Munus hoc per aliquot annos obivit sacerdos P. Verum hic, inconsulto Episcopo, dioecesim deseruit, et inito concursu, animarum curam suscepit archipresbyteralis Ecclesiae in Dioecesi **F.** et per delegatum Episcopi huiusce dioecesis, in realem et corporalem illius possessionem immissus est. De hoc certiorem fecit Episcopum **B.** datis ad eum Uteris die **5** Martii **1880.**

Haec demira tus Episcopus **B.** die **9** Martii **1880** Sacerdoti poenam suspensionis a divinis indixit innixus *Tridentino Sess. XXIII, cap. 16.* nisi infra tres dies rediret ad suam Dioecesim, et praecise ad Ecclesiam sancti Stephani; sed incassum, spreta per sacerdotem P. proprii Pastoris voce. Aegre id ferens Episcopus, querelas suas S. C. C. detulit die **15** Martii, quibus tum praedicti sacerdotis, tum Episcopi T. agendi rationem lamentatur, et sequentia proposuit dirimenda dubia.

« I. An praeceptum a Nobis sub die nona Martii huiusce « anni sit apprime observandum a sacerdote P.

« II. An et quomodo ipsemet Sacerdos cogi queat, ut in Dioecesi **B.** quam citius revertatur. »

Episcopus T. de informatione ET voto rogatus respondit: SESE censere ius ESSE sacerdoti' P. oeconomo, ad nutum amovibili, quaeritandi locum meliorem et perpetuum; neque potuisse eumdem excludere a possidenda illa paroecia, ex quo Episcoporum sit rite consulere animabus sibi concreditis.

Disceptatio Synoptica

I**URA ARCHIPRESBYTERI**. In primis videtur iste iure épropria Dioecesi discessisse et proinde praeceptum Episcopi B. diei **9** Martii ab eo observandum non esse, et hoc non uno EX Capite.

Et primo. Nullo iure cautum est, Episcopos posse cogere ad residentiam qui *beneficia residentialia* non habent ad tradita per De-Martinis *Resolut. Iur. lib. lc. 107 n. 1 et seq.* Quod si cogi non possunt ad residentiam stricto iure qui simplicibus beneficiis fruuntur, multo minus cogi poterunt qui nulla beneficia possident, et ad titulum patrimonii Ordines sacros susceperunt, iusta eumdem De-Martinis *loc. cit. n. 3.* Garzia *p. 3 cap. 2 n. 4,* Pigliateli.. *Con" suit. 56 tom. 3 n. 22.* Porro in casu nostro sacerdos P. nullo vero beneficio residentiali potitur; hinc stricto iure ad residentiam cogi non poterat.

Secundo. Ex decreto Concilii Tridentini *Sess. XXIII, cap. 16 de Ref.* ad residentiam cogi non poterat sacerdos P. quia nulli Ecclesiae adscriptus fuit. Deest enim huius adscriptionis actus, cui suppleri non poterat per manus Oeconomi-Curati *ad nutum* Episcopi, quod idem sacerdos obivit; quia munus hoc non est vere beneficium, quod conferatur in titulum, cum ei desit perpetuitas necessaria ad constituendum verum beneficium. Hinc poterat a Dioecesi propria discedere, etiam repugnante Episcopo, iuxta sententiam Pignatell. *loc. cit. n. 3> Garz, de Benefic. par. 2 cap. *5. n. 102.* Gallemart. *declarat, ad Conc. Trid. Sess. 23.* c. *16 de Ref.* et S. C. C. *in Eugubina 21 Ian. 1797.*

Nec obstat adscriptio si reapse facta fuit. Nam Tridentinum *in citato decreto* loquitur de iis, qui *inconsulto Epi-*

scopo discedunt.Quod si petita venia, eamque *iniuste* denegante Episcopo, discedant, etiamsi adscripti sint, ad * residentiam non tenentur, ex De-Martinis *loc. cit. n. 8:* in quo quidem differt adscriptio Conci]ii Chalcedonensis ab adscriptione Tridentini, ut late disserit Benedictus XIV. *de Syn. Dioeces, lib. XI c. 2. n. 8 et seq.* Nam requiritur *iusta causa* denegandi discessum adscripto, cui praetera tenetur congrue providere Episcopus ex Nicoglio *Lucubr. Can. lib. 1. §. 22 n. 3.* et Card. De-Luca *diseurs. 2. adnot. ad Conc. Trid. n. 4.* Quod si sacerdos P. veniam ab Episcopo non petiit, hoc fecit, non ob aversionem erga proprium Pastorem; sed quia certo sciebat, Episcopum eam *iniuste* denegaturum; prout ipse manifestavit in epistola ad Antistitem T.

Tertio. Ob tenuitatem praebendae sacerdos P. ad residentiam cogi non poterat. Nam in iure cautum est, quod ad residentiam non cogit praebenda, quae adeo tenuis est, ut ne id quidem, quod ad vitam necessarium est, suppeditet. At in casu nostro emolumentum, ab Episcopo sacerdoti P. assignatum, impar erat ferendis tum ipsius, tum familiae necessitatibus, prout ipse in citata epistola ad Antistitem T. exposuit. Nimium hinc durum esset, ut residentiae onere gravaretur sacerdos hic qui ex sua prebenda curata *ad nutum* Episcopi, victum consequi nequit; cum e contra iustitiae et aequitati consonum sit, ut qui Altari inservit de Altari vivere debeat. Hoc in casu Praebendatum ad residentiam non teneri docuit Card. Petra *Ad Const. Apost.* in Const. Innocent. XII. et s. Congregatio *in Veliterno 21 Sept. 1816.*

Cum itaque sacerdos P. alicui Ecclesiae non adscriptus, neque ullo beneficio donatus, quo lege residendi obstringatur, iis Clericis accensendus videatur, qui *sui iuris* sunt, ac libere pro lubitu, Episcopo etiam inconsulto, possunt a Dioecesi discedere, ex sacri huius Ordinis decreto, quo edixit die 5 Decembris 1574, *in una Ariminen. Clericum, qui certo loco non est adscriptus , ab Episcopo suo invitum non posse retineri,, ne a sua Dioecesi recedat* et alibi*

parochialem accipiat. Quod quidem ex aliarum quoque Congregationum responsis, apud ecclesiasticae disciplinae interpretes asserit esse receptum Girald. *in Thes. de poen. par. 2 ver. Resid. Leuren. Ius Can. lib.* 1 *tit.* 22 *num.* 92.

Quarto denique: dato etiam, quod neque ex deficientia veri Beneficii residentialis, et alicui Ecclesiae adscriptionis, neque ex tenuitate emolumenti erui possit, quod sacerdos P. se a iurisdictione Episcopi B. eximat, eiusque ad propriam Dioecesim illum revocantis iussa declinet; tamen ex alio capite,. scilicet ex nullitate decreti diei 9 Martii' 1880 ad obtemperandum Episcopi praecepto cogi nequit. Et revera, sacerdos P. ad Archipresbyteratum adscitus, eius possessionem rite inivit, et proinde Antistitis T. subditus evasit.

Porro in iure statutum est, ut suspensio suam vim habeat, opus esse, ut qui eam irrogat, potestate irrogandi polleat. Atqui Episcopus B. sacerdoti P. eamdem intimavit extra suum territorium, ubi. ipse Archipresbyteratus officium exercebat, adeoque impune eidem non parere permittebatur. Ergo concludi potest, sacerdotem P. ab Episcopi B. obedientia esse liberum, et proinde praeceptum diei 9 Martii observare non teneri.

IURA EPISCOPI. Ex altera parte plura occurrunt, quae iura Episcopi B. tuentur. Et primo quidem Concilii Chalcedonensis sexti constitutio, quam Tridentini Patres renovatam voluerunt, statuit, ut Clerici universi, statae cuidam Ecclesiae adscribantur, ipsique operam ita assiduam praestare debeant, ut qui locum, *inconsulto Episcopo,* deserant, sacrorum exercitio sint interdicendi, Conc. Trid. *Sess. XXIII, cap. 16 de Ref. ;* et licet ex Bened.*XIV*. monitu adscriptio istaec diversa sit ab illa, quam antiqui canones faciendam praescripserunt, constat tamen, clericos inde districte prohiberi, ne *invito Episcopo* alio secedant. Et hoc etiam in Concilio Romano comprobatum est, *Tit. 6 cap. 6:* atque ita pluries a S. C. C. et vetustis et recentioribus responsis fuit diserte sancitum; Senogallien. *19 Aug. 1592,* Ostunen.

20 Ian. 1616, Amerina *8 Maii 1756,* Nucerina *5.* **Sept.** *1818,* Reatina *26 Ian. 1833.*

Cum igitur ex dictis pateat, sacerdotem P. Ecclesiae Archipresbyterali in Oppido s. Stephani operam suam tamquam animarum rectorem navasse; quae res plusquam, simplicem adscriptionem importat, aperte patet, nullo iure, ipsum praefatam Ecclesiam deserere potuisse; et proinde Episcopum B. usum fuisse iure suo, cum illum censuris ad residentiam revocavit. Et quamvis complura per nonnullos auctores afferantur, quibus adversus testatissimum hoc episcopale ius asseritur, *Clericos, qui non habent beneficium in titulum praecisum et personalem residentiam requirens, discedere posse, et ire quo velint, neque* Episcopos dimissorias literas eisdem posse denegare; atque in hanc sententiam nonnullas veteres S. C. C. resolutiones afferant; tamen Fagnanus monet *cavendum esse ab id genus collectoribus,* ipsorumque sententiam citato Conc. Trid. decreto prorsus adversari contendit in cap. *Admonet n. 15 de Renunciat.* Quia Clerici servitio alicuius Ecclesiae adscripti, et pro eiusdem Ecclesiae necessitate seu utilitate ordinati, habentur tamquam servi, aut coloni glebae addicti, qui sine Domini venia fundum deserere nequeunt, hinc nec discedere possunt ab Ecclesia, neque recedere ab obligatione cum ea contracta; ideoque potest Episcopus literas dimissorias eis negare., Menoch. *de arbit. eas. 422- n. 3,* Grarzia *de benef. p. 2 cap. 5 n. 102,* s. Congregatio in Reatina *Ianuarii 1833,* s. Germani *12 Augusti 1871* §. *Verum.*

Frustra autem adducitur S. C. Congregationis resolutio in Ariminen. *5 Decemb. 1574;* quia haec resolutio de Clerico edita est, qui certo loco nullatenus adscriptus fuerat: *adscriptum* quippe *retineri posse invitum,* eodem decreto s. Congregatio mandavit. Sed ex Ordine sacerdotali, quem in Dioecesi B. suscepit sacerdos P. argui debet, eum Ecclesiae suae et praesertim Ecclesiae sancti Stephani, quo in loco natus est, addictum fuisse atque per hanc adscriptionem legi Tridentini omnino satisfactum, etiamsi id ex actis

demonstrari non possit, quia quidquid gestum est, iure et secundum legem factum praesumitur, nisi contrarium evidenter demonstretur.

Et data etiam hypothesi, quod sacerdos P. in sua ordinatione alicui Ecclesiae adscriptus non fuerit, nihil tamen id ei prodesset. Nam iuxta Const. Innoc. XIII incipientem *Apostolici Ministerii,* datam ad instaurandam ecclesiasticam disciplinam in Regnis Hispaniarum, et a Benedicto XIII per aliam Const. quae incipit *In supremo* ad universos Ecclesiae Antistites extensam, unusquisque, qui alicui Ecclesiae adscriptus in s. Ordinatione non fuerit, debet a proprio Episcopo postmodum adscribi. En Apostolicae Constitutionis verba: « Quod si qui modo reperiuntur vel clericali Tonsura iam initiati, vel ad ordines sive minores sive maiores iam promoti*, qui nulli certae Ecclesiae aut loco pio adscripti fuerint, Episcopi adscriptionem huiusmodi vel a seipsis vél a praedecessoribus suis omissam, statim suppleant^ Ergo etiamsi huiusmodi adscriptio in Ordinatione sacerdotis P. omissa fuerit; potest nunc ab Episcopo B. suppleri.

Antiquiores resolutiones S. C. C, quibus edicitur, quod *Clericus, qui certo loco non est adscriptus ab Episcopo suo, invitus non potest retineri, ne a sua dioecesi recedat, et alibi parochialem accipiat, eo* sensu accipiendae sunt, quod Episcopus non possit Clericos invitos retinere sine iusta causa, et nisi eisdem de congrua substentatione provideat, Card, De Luca *disc. 2 Adnot. ad Conc. Trid. n. 4,* s. Congregatio in *Nucerina 5. Septemb. 1818;* quae conditio in posterioribus resolutionibus semper invenitur apposita, ut videre est in Reatina *26 Ian. 1833,* s. Germani *12 Augusti 1871.*

Iusta autem causa habetur, ut quis Dioecesi serviat quando adscriptio uni tantum Ecclesiae facta est : et cum Ecclesia, cui quis adscriptus est, sit omnino destituta, tunc cogi potest ad residentiam etiam simplex Sacerdos adscriptus, etsi residentiale non habeat beneficium; De-Martinis *Resolut.*

iur. lib. I cap. 107 num. 4. Hanc necessitatem in facto militare pro Ecclesia s. Stephani probat ipse Episcopus ad S. C. C. scribens.

Perperam porro ad sacerdotem P. ab Episcopi B. iurisdictione eximendum recurritur ad nullitatem decreti diei 9 Martii 1880. Nam certum est presbyterum istum ab Episcopo B. fuisse ordinatum, ac proinde ei subditum effectum. Et subditus effectus est non personae, sed Episcopo, et Episcopo quidem quatenus iurisdictionem exercebat in Dioecesi B. in qua sacerdos P. ortum habuit, ordinationem suscepit et e qua discessit.

Quandoquidem in iure exploratum est, quemlibet subditum, absque licentia et consensu superioris sui, ab eius auctoritate subduci haud posse. Natura siquidem dominii importat, ut qui rei dominus est, de eo pro lubitu suo disponere, et eam a quocumque sibi vindicare valeat. Porro sacerdos P. Episcopi B. subditus est titulo sive originis, sive domicilii. At certum est, Episcopum regulariter posse suspensionem inferre proprio subdito, qui sit etiam extra propriam Dioecesim, si absit iudicii strepitus. Nam si a proprio Episcopo suspensio feratur *per praeceptum particulare,* tunc hac censura ligabitur subditus etiam in aliena Dioecesi commorans, quia praeceptum immediate afficit personam ubicumque sit. Ita censet Scávini *lib.1.tract.IV disp. III de censuris cap. I.,* qui in suis adnotationibus dicit, quod remanet suspensus sacerdos, etiam in aliena Dioecesi, si delictum censeatur commissum in propria Dioecesi, uti est de censura lata in eos qui non resident ; vel si Episcopus censuret Clericum, qui tali Ecclesiae assistere debeat, et extra Dioecesim sit, et renuat assistere ; et ratio est, quia peccatum non residentiae intra proprium territorium censetur consummari. V. Liguori *Homo Apost., tract. XIX n. 5, et Op. Mor. I. VII n. 22.* Igitur suspensio *per praeceptum particulare* lata in sacerdotem P. qui Ecclesiae s. Stephani assistere debebat, et renuebat, valida est, etiamsi in Dioecesi T. moraretur.

Denique ad Episcopi ius magis magisque firmandum, adduci potest praxis S. C C . quae in similibus casibus semper declaravit, sacerdotes auctoritati episcopali rebelles censuris cogi posse, ut ad propriam dioecesim quantocius revertantur. Duas speciminis gratia adducam facti species: Prima sit *Nucerina Residentiae et Suspensionis 29 Sept. 1818.* In ea agebatur de Gervasio Aleandri, oriundo e Dioecesi Nucerina, qui in Dioecesim Tudertinam sese contulerat, ibique Rhetoris et Rectoris munere in Seminario fungebatur. Hic contendebat, se non potuisse a proprio Episcopo in dioecesi retineri, eo quod nulli Ecclesiae in ordinatione esset adscriptus. Tamen S. C. C. statuit, sustineri decretum suspensionis in eum ab Episcopo Nucerino latum, et praeceptum quo illum ad suam dioecesim revocabat, *dtcmmodo Episcopus provideat Aleandrum de congrua in Dioecesi substentatione.*

Altera sit *Reatina Residentiae 26 Ianuarii 1833.* In ea sermo erat de Gaspare Britio e Dioecesi Reatina, ab eius Episcopo ad primam tonsuram initiato , tum inter alumnos s. Vincentii a Paulo Romae cooptato, atque ab Emo Urbis Vicario ad minores et sacros Ordines promoto, adsignato eidem a parente patrimonio in agro Reatino. Post aliquot annos sacram illam familiam deseruit, et in patriam reversus, munus docendi pueros suscepit. Quinto post anno, ad Archipresbyteratum in Oppido Montis Boni Sabinensis Dioecesis, facto feliciter periculo, ab Emo Sabinensi Episcopo assumptus est, atque in possessionem, expeditis Apostolicis Uteris , immissus, et Vicarii etiam foranei munere deinde cumulatus. Verum renuente Episcopo Reatino facultatem discedendi eidem concedere, imo eumdem revocante, S. C. C. eum, ut rediret, cogi posse respondit, *dummodo de congrua eidem ab Episcopo provideatur.*

Hisce rite perpensis remissum fuit EE. PP. iudicio sequens dirimere

Dubiam

An sustineatur dispositio Episcopi B. die 9 Martii 1880 edita, ita ut et quomodo sacerdos P. ad propriam dioecesim redire teneatur in casu.

RESOLUTIO. Sacra **C C .** sub die **14** Augusti **1880,** re cognita, censuit respondendum :

Affirmative in omnibus, dummodo de congrua eidem Sacerdoti ab Episcopo provideatur.

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Neminem latere, presbyteros fieri Episcoporum subditos per sacram ordinationem; et subditos, absque superioris assensu, nequire ab eius auctoritate sese subducere.

IL Ideo posse Episcopos districte prohibere ne clericos alio secedant, eosdemque, etiam invitos, retinere, dummodo adsit iusta causa et ipsos de congrua substentatione provideant.

III. Pariter esse in potestate Ordinariorum interdicere sacrorum exercitium clericis alicui ecclesiae adscriptis, ac, eo inscio, recedentibus, vi Tridentini *Sess. 23 cap. 16* aientis *« quod si locum, inconsulto Episcopo, deseruerit ei sacrorum exercitium inter dicatur ».*

IV. Praxim S. C. C in similibus casibus declarasse, sacerdotes auctoritati episcopali rebelles, censuris cogi posse, ut ad propriam dioecesim quantocius revertantur.

V. Neque dubitari posse, censuram latam ^*praeceptum particulare* in personam ligare subditum, etiam commorantem in aliena Diocesi: censura enim, hoc modo lata, sequitur personam ceu umbra corpus.

VI. Sacerdotem in themate, subditum sui Episcopi per domicilium et sacram ordinationem, adscriptum propriae ecclesiae, quam uti pastor regebat, iure interdictum fuisse a sacrorum exercitio, donec ad propriam rediret paroeciam, quam, inscio Episcopo, deseruerat.

Die 94 Iulii 1880.

COMPENDIUM FACTI. Archiepiscopus **C.** ut exornare suum Metropolitanum templum et exquirere posset sepulchrum s. Iacobi, adhuc absconditum, proposuit Capitulo Metropolitano, ut ad id impenderentur quotannis, sexaginta millia regalia hispanica; quorum viginti millia solveret fabrica Ecclesiae, alia quadraginta millia Archiepiscopus. Quibus unanimiter adprobatis, Emus Archiepiscopus Capitulum rogavit, ut aliquot Canonici e capitularibus eligerentur, qui in promotione et directione operum, pro capitulo agentes, Archiepiscopum adiuvarent.

Qua de re opera incoepta fuerunt et sepulchrum s. Iacobi inventum est. Accidit interea ut Decanus Capituli diem obiret supremum; cuius successor in decanatu divisit Capitulum in duas partes: quarum una et sanior adhaeret Ordinario, alia moderatur a Decano. Pars haec arguti as multiplicat, oppositiones et obstacula operum prosequutioni ingeminat, cum scandalo religiosae plebis. Hisce malis aliisque mederi exoptans Emus Archiepiscopus, quasdam celebravit familiares collationes, ipsis petentibus et convenientibus canonicis universis. Omnes adeo de adimplendo eius mandato « *modo et forma taxative determinato* » unanimiter assensi sunt, ut visa sit optatae spes pacis exoriri. Ast paulo post iterantur obstacula et difficultates : qua de re huiusmodi obstaculis finem aliquando impositurus Emus Archiepiscopus « *funda-*
» tus in unanimi conventione supradicta, formales litteras
» misit capitulo: i. *ut capitulariter confirmaret quae for-*
» maliter et communi consensu acceptata fuerunt in prae-

» laudatis collationibus; 2. ut consentirei vel dissentirei » suo proposito in prosecutione operum decorationis Cd" » pellarum s. Iacobi, ut procedere posset secundum ius. » Has litteras nisi praesente capitulo non aperiendas, Decanus aperuit, retinuit quin capitulum audiret : nequire se litteras capitulo tradere, « *audacter, iniuriose* » Emo Archiepiscopo respondit. Insuper hac de re in actione capitulari, a capitulo interrogatus, litterarum praesentationem renuit. Tunc Ordinarius Pontificem exoravit, ut sua auctoritate animadverteret in Decanum, taliter agentem.

Deinde Archiepiscopus requisitus a S. C. Congreg, retulit : Decanum confiteri abusuum penetrationem, quamvis in vanum excusare contendat ; quin imo paratum esse ad graviora et peiora. Retulit etiam, ipsum Decanum et eius asseclas, audivisse in choro sedentes, et capite cooperto, lectionem Brevis pontificii, pro impertienda solemniter Indulgentia plenaria, cum benedictione Apostolica; dum Praesul aliique stando et discooperto capite, ut par erat, id peragerent.

Quare cum tam gravia facta haudquaquam tolerari posse viderentur, iussi sunt Decanus eiusque fautores spiritualia exercitia per decem dies in pia domo, ab Emo Archiepiscopo decernenda, peragere. Ast, referente Archiepiscopo, nemo obedivit ; omnes praedicti mandati authenticitatem, si unus excipiatur, hac de re iudicium proferre nolens, in dubium revocantes vel sese innocentes, vel mandata, si authentica, vitiosa esse, vel ad Summum Pontificem sese appellaturos profitentes, spiritualia exercitia omnino peragere renuerunt.

Alia hinc iniuriosa enarrando horum canonicorum facta, Emus Archiepiscopus petiit, ut hi canonici cum Decano suspenderentur, et voce activa et passiva privarentur ad longum tempus, ne reatio fieret in Capitulo, post Archipraesulis mortem, ceu mala pars sperat.

Disceptatio synoptica»

IURA ARCHIEPISCOPI. Facinora in Ordinarium patrata a Decano eiusque asseclis mereri poenas ab Archiepiscopo po-

stulatas facile evinci potest. Neminem enim profecto latet, clericorum delicta suspensione puniri, privatione praecipue aliquando vocis activae et passivae, praeter alios probant Passerinius de canonica electione *cap. 10. num. 140, Garcías de Benef. parte III. cap. 2 num. 526, Scarfantonius in Ceccoperium lib. IV. tit. 3.* Neque Decanus et eius asseclae dici queunt puniri inauditi : nam si aliquod ius haberent, hoc non esset defendendum scandalis, irreverentia et turpi rebellione, in Ordinarium. Ex factis enim gestis, erui datum est, hos capitulares bellum impudens indixisse Emo Praesuli.

Nullaque ratione sese defendere potest Decanus quod aperuerit litteras Emi Ordinarii, eidemque responsum dederit proprio arbitrio, innixus capitularibus constitutionibus quae cavent, ne Decanus aliquid rursum Capitulo proponat, de quo in alia actione iam disputatum fuerit, et quia huiusmodi litteras aperire consueverunt praecedentes Decani. Emus Praesul enim, cuius mandatarius tunc solum erat Decanus, litteris suis Capitulum alloquebatur, aliquid prima vice proponens, ut inveteratam oppositionem,tandem aliquando posset auferre. Salva erat igitur Decani conscientia et iurisiurandi religio. Falsum autem est, teste Emo Archiepiscopo, morem illum obtinuisse, a Decano prolatum. Praeterea ipse Decanus , oblato accusationis libello, Emum Archiepiscopum, in ipsa sua Curia Archiepiscopali, in ius vocare ausus est, et proterve in accusatione persistere , non obstantibus iustis et repetitis prohibitionibus.

Insuper summo Pontifici praedicti canonici rebelles libellum obtulerunt, in quo contra Emum Praelatum viginti tria accusationum capita descripta sunt. Cum, quoad haec, a clarissimo viro informationes quaesitae fuerint, hic a probatis perspicuisque viris, notitiis diligentissime collectis, nil aliud retulit esse accusationes eas, quam vel audaces et impudentes calumnias, vel evidentissimas falsitates, vel assertiones, quacumque probatione carentes, vel facta, quorum nihil canonicis iis intererat : si quid excipiatur, de quo suo tempore agetur, cuius

tamen gratia, si quid iuris Canonici habent, ad perduellionem devenire non debuissent. Quae quidem accusandi ratio non defendendorum iurium amorem, sed Emum Praelatum ad versandi animum abunde patefecit, ceu claris verbis Becanus ipse praetulit. Ait enim Emus Archiepiscopus: *«Alias in medio suorum et aliorum audientium, in ipsomet claustro publico, templo metropolitano adnexo, audacter* (Decanus) **aiebat:** *ego Praelatum conteram.-»*

Etsi autem negent Decanus et asseclae sedisse, cooperto capite, dum Apostolicae Litterae legerentur, ab aliis adstantibus enixe id testificatur, per acta a Notario confecta et ab eisdem subscripta. Adsunt etiam alia facta, quae obstinatam inobedientiam et perduellionem canonicorum in Ordinarium demonstrant, ceu ex verbis Archiepiscopi deprehenditur. «Cum » invitassem, ait iste, Decanum ut mihi exhiberet titulum ca- » nonicum licentiarum celebrandi, praedicandi, confessiones- » que audiendi, non tantum mihi respondit irreverentissime, » sed etiam provocavit ad tribunalia, et revera praesentavit » audacissimam querelam contra me in supradicto tribunali » dioecesano. Interea cum ipsi prohibuissem celebrare usque » dum praesentare t talem titulum, fassus est non habere : » non celebrat, et eifrons coram capitulo repetit : « non me » humilio, praeferoque non celebrare ». Et inferius. « Ipse » scit promptum me esse ad hanc licentiam (nempe cele- » brandi), ipsi concedendam, si levissime tantum se humiliat^ » ipsam expetendo : tamen propter suam arrogantiam renuit » hanc levissimam humiliationem, et paratus est ita perse- » verare ad indefinitum tempus ». Et rursum de eodem ait: « nec celebrat, nec praedicat, nec fere cantat, nec permanet » in Choro, sed tantum ad rebellionem excitat, incautos se- » ducit, atque, ut ita dicam, ecclesiam contra ecclesiam ef- » format ».

Praeterea, postquam spiritualia exercitia peragere reçusarunt, duo ex iis canonicis ad sua et capituli iura, amplissima potestate a Capitulo praediti, uti aiebant, dimissorialibus litteris non petitis, Romam adventarunt. Repetebant

se Emi Archiepiscopi venia non indigere, neque ab eodem veniam recusari posse, cum capituli partem agentes, pro capituli iuribus, contra eumdem, vindicandis, Urbem petiissent. At cum hoc falsum sit, dimissoriales scilicet literas impetrare debuissent, ius tamen experituri si forte recusatae fuissent, Romae iis celebrandi facultas merito facta non est. Institerunt canonici, sed cum impetrare nil potuissent, nisi predictas litteras consecuti non essent, maluerunt diu Romae pervicaci animo celebratione abstinere, quam a suo praelato quidquam postulare. Quae quidem contumacia, duritia, superbia, inobedientia maxime eminet, dum spiritualia exercitia peragendi imperium, obstinato animo, Canonici rebelles respuunt.

Neque dubitari potest, ait Ordinarius, Decanum et eius asseclas mereri suspensionem ab officio, et privationem vocis activae et passivae. Eorum enim agendi-ratio in congregationibus capituli talis est, ut parti adversae nil dicere liceat ; et aliquando necessitate coacta relinquit aulam capitularem ; manente in illa Decano cum suis, qui decernunt, nomine Capituli, quidquid ipsis placuerit. Eoque pervenit factio haec, ut duobus canonicis Romam euntibus, quin iure eos Capitulum misisset, facultatem concesserit impendendi quidquid pro lubito censuerint. At sentientes revera eos haudquaquam tam ingenti potestate praeditos esse, Capitulum quoddam, ad hanc eis tribuendam Decanus eiusque fautores convocare studuerunt. Adversus hanc Capituli convocationem pars tamen sana et Archiepiscopo adhaerens, protestationem confecit, Romam mittendam, sequentibus innixa rationibus: I° suffragiorum numerus capitularium medietatem non attigit, quo modo de gravissimis negotiis statui nequit. 2° Eminentissimus Archiepiscopus vocatus non fuit, cum ex Hispaniae disciplina vocari debuisset. 3°. Quatuor administratorum munere fungentes suffragium tulerunt, cum hoc neri nequiret ; agebatur enim de facultate ipsis tribuenda. 4°. Demptis istorum suffragiis, iam suffragiorum numerus contrariis minor est. 5°. Cum de negotio ageretur, quod gravissima incommoda

Capitulo afferre poterat, vi constitutionum convocandi erant, qui ultra decem leguas absentes non erant, quod factum non est.

Deinde Archiepiscopus autumans vera esse omnia quae in protestatione relata sunt, quoad reliqua capitula, habita a Decano, aliisque rebellibus ait : *Si bene perpenduntur sessiones capitulares, eoo quibus haurire intendunt suas facultates ad contradicendum, sunt vere nullae, sicut evidenter apparet in quatuor protestationibus, hucusque a bonis canonicis praesentatis.* Tandem quoad adversariorum intentionem adiecit Ordinarius: *Nihil non molitur iste homo cum suis ad augendum numerum proselitorum in Capitulo. Inter alia ita minitant renuentes suum consortium : cito morietur Praelatus, tunc nostrum erit gubernium, quia sumus plures in Capitulo; Vae igitur vobis in illis diebus!*

Quae cum ita sint, cum nullum resipiscentiae signum praedicti praebeant, et inobedientes contumacesque perseverent, cum Emi auctoritatem nihili faciant, huiusque sacrae Congregationis mandata facile spernent, cum admirationem et scandalum bonorum pariant, cum peiora in posterum mala timeri merito possint, fortiter agendum atque ipsi poenis, ab Emo Archiepiscopo postulatis, multandi videntur.

IURA CANONICORUM. Verum ex alia parte cum agatur de gravissimis poenis, Canonicis irrogandis, aliqua animadvertenda sunt. Canonici qui Romam venerunt, ut Capituli nomine hac in causa agerent, oblatis precibus, spiritualium exercitiorum poenam differri petierunt, ne innocentes punirentur , cum innocentiam suam iidem comprobare vellent. Quod de aliis poenis, iisdem irrogandis, dici potest. Sane eos accusavit Emus Archiepiscopus; at tam Decanus, quam ceteri canonici, qui forent puniendi, oblatis hac de re precibus, falsitatis arguunt universas Emi Archiepiscopi accusationes. Hinc nisi prius de iis factis iuridice constet, quorum rei ab eodem canonici facti sunt, hi profecto puniri non posse videntur. Porro de quibusdam non penitus constat , cum, praeter Emi Archiepiscopi testimonium, nulla habeatur probatio.

Quin imo miratur Decanus se tam pessimum hominem, a tempore quo Vicarius Capitularis extitit, ab Emo Archiepiscopo describi , cum ab eodem plura honorifica munera consecutus sit. Qua de re eius litteras, quibus ipsi haec munera demandata sunt, afferens, contradictorio saltem ab Emo Archiepiscopo tractari conqueritur. Negat se inverecunde et audacter eidem respondisse; quod ut probet, suas eidem missas epistolas profert, quae prostant in actis ; negat se inobedientiam et rebellionem in Praelatum promovere , cum nil aliud faciat, quam iura capituli defendere; negat demum, uti ceteri Canonici, veritati inniti Archiepiscopi accusationes.

Si Decanus et ceteri canonici, pertinaci voluntate, spiritualia exercitia peragere recusaverunt, hoc factum esse, aiunt, tum quia de mandati authenticitate ipsis non constabat, tum quia inauditi et indefensi, contra ius condemnati sunt.

Praeterea etsi plura indecore et audacter praedicti commiserint, cum de gravioribus poenis agatur, illud exquirendum est an quaedam excusationis causa habeatur. Poena enim hoc in casu imminuenda foret. Verum ut hoc pateat, de quaestionibus iis antea disceptandum esset, quae factis de quibus nunc agitur, occasionem, dederunt, At cum de iis nondum vobis, Emi Patres, iudicium quaesitum sit, de poenis ipsis irrogandis iudicium quoque protrahendum esse videtur.

Sane alicuius excusationis causae facile inveniri poterunt. Clarissimus enim et probatissimus vir cuius iudicium hac in Causa quaesitum est, miseranda dissidia Emum Archiepiscopum inter et Capituli partem devitari potuisse refert, si aliter Emus Praesul sese gessisset cum quibusdam canonicis, qui officiis et muneribus insigniores, laudem promeriti sunt, quique antiquorum morum tenaciores, Praesuli obstare assaverunt. Dissidiorum factorumque, inde sequentium, causam forsan fuisse refert, aliquid, contra maioris Capituli partis suffragia, decrevisse Emum Archiepiscopum; et ab eodem,

oborta suspicione, quosdam seminarii professores ipsumque Rectorem, eo quod cum maiore parte Capituli suffragium tulissent, ab officio destitutus fuisse. Inde irae, et insanus ille agendi modus, qui facillime ab irritatis animis procedit.

Neque praetereundum est, eos privatione vocis, maxime activae, punire, antequam de universis eorum quaestionibus cum Emo Archiepiscopo iudicium latum sit, et gravius videri et difficiliorem reddere eisdem propriam defensionem. Hae enim poena multati, nec quidquam pro defensione capitulariter agere, nec quod magis est , impensas ex aerario capituli hauriendas decernere possent.

Demum cum quorundam Canonicorum animi adeo exagitati fuerint, ut plura iam orta scandala et miseranda facinora perpetrata sint, cavendum videtur , Emi Patres, ne quid peius ex aerioribus poenis exurgat.

Hisce breviter expositis, multisque tamen reticitis, quae ob cleri reverentiam proferri nequeunt, enucleandum propositum fuit

Ilubium

An et quomodo annuendum sit Emi Archiepiscopi precibus in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congr. Concilii, re ponderata, sub die 24 Iulii 1880 censuit esse respondendum :

Affirmative et Decanum multandum esse suspensione ab officio; eumdemque Decanum et alios tresdecim canonicos suscriptores, tum libelli supplicis die 24 Martii 1880, tum libelli 11 Kalendas Iunii 1880, typis editi, privandos esse voce activa et passiva, ad nutum s. Sedis ; ac firmis remanentibus indictis exercitiis spiritualibus, intra octiduum, a notificatione huius decreti, peragendis. Praedictos insuper suscriptores libelli, typis editi, infra enunciatum terminum, retractare debere verba contumeliosa in Emum Archiepiscopum, expressa sub comminatione graviorum poenarum.

Ex **HIS COLLIGES:**

I. Canonicorum culpas rite puniri posse, praecipue a Sede Apostolica, suspensione ab **quicio** et privatione vocis activae et passivae neminem latere; quatenus officio ét benefìcio vocis in Capitulo utantur ad seditiones excitandas, et ad rebellionem in Ordinarium confovendam.

II. Canonicos in themate merito perculsos fuisse videri, gravibus poenis, et comminatione graviorum, ni retractent libellum editum contra Ordinarium; nam eorum agendi ratio haud visa est habere obiectum, propria defendendi iura, sed solummodo adversandi Emi Ordinarii mentem (1).

(1) Praeter supplicem libellum, Summo Pontifici oblatum a Canonicis dissidentibus, in quo viginti tria accusationum capita regesta fuerunt adversus Emum Archiepiscopum, et alius ab eisdem editus fuit libellus. In primo iuxta clarissimi viri informationes, non habebantur nisi accusationes, qualibet probatione destitutae; ita ut in meras resolverentur calumnias. In secundo libello, qui merito famosus dici potuit; quique typis editus in publicum divulgatus fuit, talia contra Ordinarium congesta fuerunt, quae efflngi et in lucem edi possent tantum a viris deperditas, malâqùe passione exagitatis.

SUPER VALIDITATE CAPITULI

Die 14 Augusti 1880.

COMPENDIUM FACTI. Ex temporum iniuria, aeris insalubritate aliisque de causis Capitulum T. eo in statu reperitur, ut quandoque neque conventuale sacrum, neque: chori servitium, prout decet, persolvi valeat. Eapropter de Episcopi consilio tum Archiepresbyter, tum Canonicus P. anno 1879 statuerunt quod, praevio Capituli consensu, SSmo preces of-

ferrentur, ut sacerdos Antonius finitimae Dioecesis, eligeretur in Canonicum honorarium, cum iure successionis ad canonicalem praebendam, primo vacaturam. Ad hoc itaque congregatum fuit Capitulum die 26 Iunii 1879, praevio sueto monito, affixo in Sacrario, praevio campanae sonitu in praecedenti die, praeviisque monitionibus per Sacristam factis, de more singulis Canonicis, ut refert Episcopus. Sessioni capitulari undecim interfuerunt- Canonici, quibus nunciatum obiectum ab Archipresbytero manifestatum fuit, per secreta suffragia probandum vel reprobandum, et pro ipso reapse sex favorabile votum emiserunt.

Altera at vero die sex Canonici Pro-Vicario Generali, qui et Canonicus est, et dictis interfuerat comitiis, supplicem dedere libellum pro dicta resolutione cassanda, tam quia ad Constitutionum capitularium praescripta, singuli Canonici moniti haud fuerant, quam quia tribus ante diebus negotium pertractandum expressum non fuerat, quemadmodum ipsaer met mandant Constitutiones: et voti compotes facti sunt. Quandoquidem die 28 Iunii, edito a Vicario decreto, Sessio capitularis invalida declarata fuit, et irritum quidquid in,ea gestum est. Exinde sub die 29 dicti mensis rursus congregato Capitulo, de eadem re pertractaturo, et cum octo interfuissent Canonici, quia Archipresbyter et Canonicus P. ab aula discesserant, cum septem votis facta propositio reiecta fuit.

Quod aegre ferens sacerdos Antonius, iam electus, ad S.C C ad volavi t, dato supplici libello. Episcopus de sententia et voto rogatus animadvertit: in sessione capitulari, habita die 26 Iunii, nullam obiectionem aut protestationem emissam fuisse; quinimo actui capitulari omnes subsignasse: et ideo quoad Capituli validitatem, nullum superesse dubium videri. Quoad convocationis legitimitatem, retulit, omnia rite praemissa fuisse videri, eo quod omnes interfuerunt. Et si quid uti sustantiale omissum fuisse censetur, curnam nemo protestavit antequam Sessio capitularis expleretur? Hinc de legitimitate quoque convocationis haud esse dubitandum videri.

Disceptatio syiioptiea

IURA SACERDOTIS ANTONII. Huius defensor quatuor in iure necessaria esse meminit, ut actus capitularis pleno in suo robore consistat: nempe 1. ut Capitulum sit legitime congregatum; *2*. ut vocentur omnes habentes vocem in capitulo; 3. ut negotium capitulariter expediatur; 4. tandem ut maior pars suum interponat consensum. Omnes autem conditiones in themate adamussim fuisse observatas sustinet. Quandoquidem Capituli convocatio, ut habet Episcopus, facta fuit formis suetis; Capitulum autem legitime congregatum dicitur, si convocatio iuxta solitum facta fuit, quemadmodum docet *Pignatell. tom.* 1. *cons.* 34.

Quod magis magisque clarere urget ex ipso actu capitulari, ex quo etiam deprehenditur alteram ex requisitis conditionibus in actu fuisse traductam. Ex eo enim rotundis verbis perlegitur a prima dignitate, videlicet Archipresbytero, convocatum fuisse, atque *praevia monitione facta per nostrum Sacristam singulis Canonicis.* De observantia igitur primae et secundae conditionis ambigi nullimode posse concludit.

Minusque de tertia et quarta dubitari posse contendit. Teste enim ipsa habitae sessionis relatione, convocationis causa patefacta fuit ad hoc, ut deliberatio libere fieret per secreta suffragia quorum sex, ex undecim, favorabilia, et quinque propositioni contraria reperta fuere. Neque ad eamdem infirmandam deduci posse, prosequitur quod alter ex Canonicis non fuerit vocatus. Hic namque chronica infirmitate laborans, pluribus abhinc annis, in lecto iacet, nec solet, nec valet intervenire Capitulis. Quapropter, ipsius praeteribo, si forte evenit ex Sacristae culpa, nihil officere posse contendit validitati actus capitularis, cum agatur de actus praeteritione, qui supervacaneus et inutilis fuisset.

Quapropter omnibus perpensis, in propatulo esse contendit, de validitate controversi Capituli dubitari haud posse,

et per consequens decretum Pro-Vicarii Generalis reiiciendum esse. Eo vel fortius in hac secunda conclusionis parte insistendum prosequitur, quia ipse Pro-Vicarius tamquam pars et iudex in praesenti controversia considerari debet, nam uti Canonicus Capitulo interfuit, suffragium tulit, mox, sine speciali mandato, uti Pro-Vicarius sessionem habitam cassavit, quod quam in iure absurdum sit nemo est qui non videat.

Huc accedere ait quod decreti dispositio talis est, ut novum convocet Capitulum; at ex dispositione Tridentini *in sess.* 25 *cap.* 6 *De reform,* non est in facultate Vicarii Generalis convocare Capitulum in absentia Episcopi, sed tale ius exercendum *ab iis de Capitulo, ad quos hoc de iure vel consuetudine spectat.*

QUAE OPPONUNTUR SACERDOTI ANTONIO. Quatenus eiusmodi quaestionem intrinsecus inspiciatur, haud controversa sessio capitularis sustinenda videtur. Non inficior sane, quod et adversarius fatetur, Capitulum legitime congregatum dici quando, cetera inter requisita, convocatio iuxta solitum facta fuerit. Solitum autem servari in Ecclesia T. ostendunt ipsius Ecclesiae Constitutiones in *cap 13 part. 1* - ibi - « Firma remanet consuetudo, qua statuitur ut Capitulum » convocetur ab Archipresbytero. . . . Praecedenti vespere » campanae sonitu de celebratione Capituli signum detur, » et Sacrista minor *Canonicos singulos admoneat ».* Iamvero singulos Canonicos per Sacristam minime fuisse monitos, hic ipse testatur dicens: sese omisisse admonere duos Canonicos, et multatum fuisse a Capitulo. Cum igitur Capituli congregatio iuxta solitum facta non fuerit , cumque Canonici nou vocati agere possint de contemptu, et sic resolutio irritanda *Cap. Quod sicut 28 et cap. 42 De elect. Reiff. Ius. can. tit. De iis quae fiunt a maiori parte Cap. n. 12, Schmalg. eod. tit. n. 10* videretur nedum praefatam capitularem sessionem invalidam esse, sed optimo iure a legitimo Superiore irritatam fuisse. Praeterea duo invitati non fuerunt Canonici, contra Constitutionum praescri-

pta. Unde in forma convocationis peccatum fuit; quamvis eorum unus adfuerit. Alius autem etsi infirmus invitari debuerat, non quidem ut interesset Capitulo, sed ut procuratorem designaret aut suum votum domi scrutatoribus ad eum accedentibus daret. Sic expresse *Reiff, loc. cit. tit. de elect n. 191* - ibi - « Etiam talium infirmorum vota sunt inquirenda. . . > Eiusmodi infirmus potest aut procuratorem constituere, qui » suo loco eligat, aut si malit, per semetipsum dare votum > suum, atque in hoc posteriori casu scrutatores debent ad ipsum » accedere et suffragium ipsius recipere. » Et sic *Schmalg; Be elect. n. 27, Piring. eod. tit. n. 146* et alii communiter.

Nec satis. Praescribunt Constitutiones loc. cit. expediens esse « ut tribus ante diebus in scriptis convocetur Capitulum » exprimaturque negotium quod erit pertractandum. . . nisi » prudentia ad silentium de re agenda imponat, quae tunc » generice exprimatur. » In facto autem edicunt Capitulares, neque in genere, neque in specie pertractandum in Capitulo nogotium manifestatum fuisse.

In perdita tamen hypothesi quod ex se sessio illa valeat sustineri, attamen nihil proficit Sacerdotis Antonii causae. Etenim satis notum est in iure quod resolutiones semel in Capitulo captae, licet validae sint, possunt nihilominus mutari, corrigi et variari, dummodo eadem interveniat solemnitas in corrigendo, quae intervenit in statuendo, ut respondit *S. C. Ep. et Reg. in Ceneten. 11 Martii 1615 ad quintum dub.* teste *Monacelli* in suo *formul, part. 1 tit. 5 form. 2 n. 35.* Quod in themate contigisse perhibet ipse capitularis actus de die *29* Iunii 1879, fidem faciens Capitulum ab Archipresbytero congregatum fuisse, *praevia monitione facta per nostrum sacristam singulis Canonicis.* Cum igitur resolutio illa legitime fuerit revocata, per resolutionem posteriorem capitulariter emissam, nedum controversae sessionis validitas sacerdotis Antonii causae non proficeret, verum etiam si ipsa consisteret, irritanda esset.

Quibus hinc inde perpensis EE. PP. rogati fuerunt ut sequens enodarent

LLUBIIAM

An constet de validitate sessionis Capitularis diei 26 Iunii 1879, ita ut decretum Pro-Vicarii Generalis infirmandum sit in casu.

Resolutio. Sacra C. Concilii, re cognita, sub die **14** Augusti **1880** censuit esse respondendum:

Affirmative in omnibus.

Ex quibus colliges:

I. Capitula habere societatis rationem: hinc eorum actio explicatur socialiter, seu ut dici solet capitulariter in comitiis; ad quae omnes invitari debent, ut legitime coadunata dicantur.

II. Ius convocandi capitulum pertinere ad praesidem, seu ad primam dignitatem Capituli; quae varia esse potest iuxta locorum consuetudinem, et decretum erectionis capituli **(1).**

III. Iuxta ea quae decernit ***Trid. Sess. 25 cap. 6.*** Vicarium Episcopi, etiam assente Episcopo, convocare nequire Capitulum, aut eiusdem praepedire convocationem.

IV. Cum omnes canonici adesse debeant comitiis capitularibus, ne captae resolutiones vi destituantur; ideo etiamsi unus ex vocandis non fuerit vocatus neque interfuerit, actus capitulares infirmari queunt, si ille reclamet et se despectum seu non invitatum probet.

V. Omissionem in themate, sacristae culpa, haud esse videri sufficientem causam, quae infirmet actum capitularem; quia ex duobus non vocatis unus tamen adfuit sessioni capitulari, alter vero chronica infirmitate detentus, nec solet nec valet intervenire capitulis.

(1) Quocumque appelletur nomine prima post Episcopum *dignitas,* ipsa est praeses Capituli, et ad ipsam pertinet convocare Capitulum. Magna apud capitula viget diversitas in hoc: ita ut in quibusdam Capitulis prima dignitas ait Archidiaconus, in aliis Praepositus, in aliis Decanus, in aliis Primicerio».

Die 14 Augusti 1880.

COMPENDIUM FACTI. Episcopus P. dioecesanam Synodum celebravit eiusque decreta die 12 Septembris 1878 solemniter promulgavit. Eius cap. III. art. 6 n. 2 quoad praecedentias in functionibus Ecclesiasticis ita statuebat : « *In functionibus Ecclesiasticis, idest in iis in quibus cum sacro* » *aliquo indumento prodeundum est, primum semper locum obtinent Praepositi; sequuntur Archipresbyteri, tum* » *Rectores, demum coadiutores . . . . . servato inter pares promotionis Ordine. Quod si quando Clerum per Parochias* y> *convenire oporteat, ordine quo in statu Clèri inscribuntur singulae Paroeciae convenient.* > Item cum animadverteret esse contra rubricas et varias S. RR. C. resolutiones quod in processionibus, ad quas intervenit Cathedralis Capitulum cum civitatis Clero, nedum Cathedralis Crux sed etiam aliae eleventur, nempe Crux Seminarii, sub qua eius alumni, et Crux Praepositurae s. Michaelis, sub qua reliquus civitatis Clerus congregatur, duxit suae sollicitudinis pastoralis esse huiusmodi abusum depellere, in vigorem revocata Caeremonialis dispositione, quae lib. 2 cap. 33 n. 5 in processionibus hunc ordinem praescribit « *Ibunt . . . primo minister portans Crucem Ecclesiae Cathedralis . . . .* » *deinde si aderunt Clerici Seminarii, et post eos Curati* » *Ecclesiarum Parochialium cum cottis, tum Ecclesiae* » *Collegiatae, et ultimo loco Clerus Ecclesiae Cathedralis.* »

Contra huiusmodi Praesulis dispositiones insurrexit Praepositus s. Michaelis, sustinens, post Praepositum Cathedralis, semper praecedentiam sibi, utpote digniori, competere supra alios civitatis Praepositos, inter quos tantum antianitatis

ordo ast servandus ; deinde propugnat ius sibi esse elevandi Crucem iii processionibus generalibus, ad quas Cathedralis intervenit Capitulum, haec sua iura derivans ex nonnullis decreta episcopalibus, et praesertim ex decreto Episcopi de Rubeis an. 1566 in quo decernitur: quod Praepositi Collegiatarum procedere debent iuxta ordinem promotionum suarum ad praepositura, excepto Praeposito s. Michaelis maioris, qui inter Collegiatarum Ecclesiarum praepositos priorem locum perpetuo obtinebit.

Disceptatio synoptica

EA QUAE ADVERSANTUR PAROCHO s. **MICHAELIS**. Nihil dubii est, Parochum s. Michaelis, quando cum Clero suae Ecclesiae procedit, debere praecedere ceteris praepositis, non separatim intervenientibus , sed cum clero suae paroeciae ; id iure meritoque ei debetur post cathedralem Ecclesiam, tum ratione antiquitatis, tum ratione privilegiorum, quibus licet deminutis, adhuc s. Michaelis Ecclesia fruitur, neque hoc denegat Episcopus; imo expresse hunc honorem Parocho s. Michaelis defert in Synodo Cap. 3 num. 2 art. « *quod si quando Clerum per Paroecias convenire oporteat, ordine quo in statu Cleri inscribuntur, singulae Paroeciae conveniant.* » In dyptico vel tabella, Paroecia s. Michaelis secundum locum obtinet, post Cathedralem. Sed aliud est considerare Paroeciam cum suo Clero coadunato, aliud est spectare singulatim eorum Rectores. Utique Ecclesia s. Michaelis habet semper praecedentiam ob superius exposita, quae praecedentia realis dici debet; sed non ita cathegorice de ipsius Praeposito relate ad Confratres pari dignitate fulgentes asseri potest. Inter hos non ordo Ecclesiarum servandus, sed potius promotionis seu antianitatis ita docente Ferraris v. *praecedentia n. 83: inter milites enim eiusdem ordinis ille praecedit qui antiquior est in militia* Z. *2. Cod, de Offic. Magistri off. et 4 de tironib.* Hinc praescriptio synodalis non videretur improbanda.

Nihil autem prodesse decretum Episcopi de Rubeis an. 1566, quia aperte adversatur iuri communi statuenti, inter dignitate pares ordinem antianitatis esse servandum S. O. R. *in Meliten. 9 Maii 1709.* Barbos, *summa apost. Decis. Verb. praeced. n. IO,* et ideo nullius roboris et firmitatis est habendum, iuxta ea quae tradit Bened. XIV. 1. c. cap. 1. n. 1.

Insuper, etiamsi dici velit, quod decreta episcopalia sint substinenda, quia materia praeeminentiarum custodiae et iudicio Ordinarii commissa reputatur, nil id proficeret Parocho s. Michaelis. Cum enim actualis Antistes eadem polleat potestate ac praedecessores , nil vetat quominus hic poster riori lege tollat et abroget: scitum est profecto quod omnis res per quas causas nascitur per easdem et dissolvitur *L.56 ff. de Regul. Iur.* et in conflictu quarum legum vincit posterior iuxta illud « *Lex posterior derogat priori L. 1 ff. ad leg. Aquil.* Neque per consuetudinem eiusmodi decreta subsignentur: quia, ceu retulit Ordinarius, adsunt, consuetudinis favore facta dubia, seiuncta, et singularia; adversus quae alia prostant facta luculentiora, certa atque recentia.

Verum posito etiam quod consuetudo evidenter esset demonstrata, non ideo invalida et nulla dici deberet Constitutio synodalis, nam cum consuetudo maiorem vim habere nequeat quam lex , illa dici deberet iam abrogata a praecitata dioecesana lege , praesertim cum ob iridescentes abusus et mutatas rerum circumstantias, non possit amplius retineri uti rationalis, sed potius evaserit corruptela. Quod magis valere debet in themate cum in materia praecedentiae amplissima tributa sit potestas Episcopis a Tridentini lege *sess. 25 de Regular, cap. 13.*

Non minus autem debili fundamento videtur inniti quod Parochus in Secunda dubii parte contendit, nempe quod in processionibus, ubi Clerus indistincte intervenit, nedum Cathedralis, sed etiam s. Michaelis Praepositus, crucem elevandi ius habeat, innixus pariter decreto praecitati Episcopi de R libéis: contra enim adest expressa dispositio Caeremonialis *lib. IL cap. 33 n. 5 - ibi - ibunt... primo minister por-*

tans Crucem Ecclesiae Cathedralis______deinde, si aderunt, clerici Seminarii et post eos curati Ecclesiarum Parochialium cum cottistum Ecclesiae Collegiatae et ultimo loco Clerus Ecclesiae Cathedralis. Cui legi etiam consonant variae decisiones S.C. Rituum quibus praescribitur, quod quando in processionibus intervenit Capitulum Cathedralis,unica Crux est deferenda nempe, Ecclesiae Cathedralis. Sic **S.** RR. C. in *Pisauren. 22 Maii 1632* et magis praecise in *Fanen. 21 Iulii 1645.* Ferraris *Ver. Crux n. 14.*

Neque aliquid valet consuetudo plusquam centenaria, cui innititur Parochus s. Michaelis; eo quod consuetudo contra Caeremoniale, abusus appellatur a S. R. Cong. in una *Corduben.* 3 Aprilis 1688.Et Innocentius XIII Constit. *Apostoli'ci muneris* Ordinariis facultatem amplam concessit huiusmodi estirpandi consuetudines. « Episcopi, abusus omnes qui in Ecclesiis » saecularibus aut regularibus contra praescriptum Caere- » monialis. . . . irrepserint, debent omnino removere ». Quod autem in praesens consuetudo supra quam fundat suum ius Praepositus s. Michaelis sit improbanda, tum ob mutatas circumstantias, tum ob abusus ex ea derivantes et alia incommoda, facile negotium est in aprico ponere ex his quae Episcopus in suis informationis uteris retulit.

EA QUAE FAVERE VIDENTUR PAROCHO S. MICHAELIS. Favore huius Parochi haec adnotanda sese offerunt. Ad diiudicandas quaestiones praecedentiae inter Parochos ex variis S. C. Rituum decisionibus spectari debet nobilitas seu praerogativa Ecclesiae parochialis : ita statutum reperitur in una *Ästen. 21 Martii 1605* relata a Ferraris v. *Praecedentia num. 8.* Pressius vero et cathegorice haec doctrina exponitur in *Asculana 10 Maii 1642,* in qua S. R. C. decrevit. » In praecedentiis Parochorum attendendam esse antiquita- » tem et dignitatem Ecclesiae Parochialis, non autem ipsorum » Parochorum ». Et optimo sane iure, omnis enim dignitas et praerogativa in Parocho, uti tali, derivai ab Ecclesia quam repraesentat et cui est spirituali connubio coniunctus. Haec in iure : in facto autem ambigi nequit quod Ecclesia s. Mi-

chaelis ceteris Praeposituralibus antiquitate praestet: ipsa enim eius origo ad septimum saeculum ascendit, dum aliarum Ecclesiarum erectio ad aevum posterius refertur. Nimis autem longum esset dicere de dignitate et privilegiis Ecclesiae. Et quoad dignitatem satis est recolere , ex antiquissimis Ordinariorum decretis.erui, paroeciam s. Michaelis et eius Parochum semper sibi primum locum vindicasse, post Cathedralem. Quoad privilegia, praeter alia quamplurima, inest Praeposito s. Michaelis ius sedendi ad sinistram Episcopi in Synodo dioecesana. Cum itaque de antiquitate et dignitate Ecclesiae Praeposituralis s. Michaelis, prae aliis parochialibus Ecclesiis, certo certius constet ad tramites praecitatae doctrinae S. RR. Congr. eius Parochus aliis confratribus praecedere debet, tum in processionibus, tum in aliis conventibus.

Quae conclusio magis etiam sustinenda videtur, si expendatur quod Parocho s. Michaeli suffragatur possessio et consuetudo existens ab anno 1403; et licet tempore Hyppoliti de Rubeis fuerit interrupta ob Cleri dissensiones et rixas, tamen ex hoc aevo, quo fyic decretum, iam superius relatum, edidit, usque ad praesens non probatur interrupta aut ab aula recessisse.

Iam vero quanti facienda sit observantia in materia praecedentiae, nemo est qui non videat. Consuetudo enim in hac materia facit utramque paginam, ceu notat Rota in *recent, par. 18 decis. 78 num. 6, et decis. 232 num. 2 coram Olivano,* Pignat. *t. 6. consult. 67 num. 5;* s. Concil. Congreg, in *Acheruntino Praecedentiae 23 Augusti 1870 §. Omnis autem.* Quae observantia etsi dispositioni iuris repugnet, attamen dicitur regulam praebere in praecedentiis statuendis, licet minus dignum dignioribus praeferat, ceu monet Card. De *Luca adnot. ad Concil. Trid. discur. 38 num. 6,* et de *Regularib. discur. 19 num.- 2,* S. C. C. in *Casalen. praecedentiae 25 Maii 1817* §. *Hoc primum.*

Post haec inutiliter ad Parochi s. Michaelis ius labefactandum induceretur praescriptio synodalis Antistitis actua-

lis; haec enim esset reprobanda cum novitates nonnisi cum scandalo inducantur ob elegantem rationem D. Augustini in *epist. 10 cap. 5 ad Inquisii. Ianuar,* nimirum quod *ipsa mutatio consuetudinis quae adiuvat utilitate, novitate perturbat.* Et Bened. XIV *De Synod, dioecesana lib. 11 cap. 5.* monet, non evadere novitatis notam, illam synodalem Constitutionem quae vult abrogare consuetudinem, iam in Dioecesi existentem. Quare 'lex synodalis in themate, ut novitatem inducens, et ut praeiudicialis iuri tertii, videtur nihili esse facienda.

Ex hucusque disputatis favore Parochi s. Michaelis videtur etiam ipse manutenendus in possessione deferendi crucem in generalibus processionibus. Consuetudo enim contra praescripta Caeremonialis erit utique corruptela quando cultus divinus patitur dispendium. Atqui nullum in themate praeiudicium ei irrogatur, si altera crux post Cathedralem elevetur : hactenus enim nullum scandalum et admiratio in populo generata est : imo potius contrarium forsan contingeret si mutatio fieret: quare videtur Parochus s. Michaelis in possessione conservandus, nedum ex eo quod haec longaeva est, sed etiam quia episcopalibus decretis fulcitur.

Hisce in utramque partem praenotatis, propositum fuit dirimendum sequens

Dubium

An sustineatur decretum synodale, seu potius constet de iure praecedentiae et deferendi crucem favore Praepositi s. Michaelis in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die **14** Augusti **1880** respondere censuit: *Decretum sustineri quoad ius deferendi crucem, quo vero ad praecedentiam non sustineri.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Ad resolvendas praecedentiae quaestiones inter parochos, attendendam esse potius dignitatem et antiquitatem Ecclesiae paroecialis, quam ipsorum parochorum.

II. Omnem dignitatem et praerogativam in parocho, uti tali, derivare ab Ecclesia quam repraesentat, cuique est connubio spirituali coniunctus.

III. In themate videri ambigi non posse quod Praepositus s. Michaelis ceteras praestet Praeposituras dignitate, antiquitate et privilegiis, et quod praeterea Praeposito suffragetur possessio et consuetudo.

IV. Ex Caeremoniali Episcoporum, cui vis legis universalis inest, et ex resolutionibus s. Rituum Congregationis erui, unicam Ecclesiae Cathedralis crucem at tollendam esse, quoties in processionibus interveniat Capitulum Cathedralis.

V. Ab eadem s. Rituum Congregatione, consuetudinem contra Caeremoniale appellari abusum, omnino removendum per Ordinarios locorum, iuxta Const. *Apostolici muneris* Benedicti XIII.

VI. Censeri praeservatas solummodo consuetudines immemorabiles, ceteroquin laudabiles, licet Caeremoniali contrarias, eoquod Pontificales Constitutiones dum omnes generatim contrarias tollunt consuetudines, de immemorabilibus expressam mentionem non faciunt (1).

(1) Clemens VII, opera doctissimorum virornm, Caeremoniale Episcoporum primus omnium ordinavit pro universa Ecclesia, anno 1600. Correctum deinde fuit ab Innocentio X et tandem a Benedicto XIII sacrorum rituum peritissimo. Constitutiones ad hoc editae a tribus Pontificibus nullum habent verbum quoad consuetudines immemorabiles, ceteroquin laudabiles, etsi caeremoniali contrarias. Unde iuxta receptam iuris regulam, praeservatae censeri debent eiusmodi consuetudines, donec aliter declaretur. Et s.Rituum Congregatio declarationes plures emisit, in quibus expresse praeservantur praedictae immemorabiles consuetudines. Sic in una Hispaniarum apud Gardellini 11 Iunii 1605 sub n. 266,resolutum fuit. *a* Quia in Ecclesiis Eegnorum Hispaniae, » ex antiqua et immemorabili consuetudine, multa diverso modo fiunt ab eo, *y>* quod in Caeremoniali Episcoporum de » claratur et ordinatur , partim ex A- » postolica concessione, partim ex mihi- » strorum varietate, partim etiam ex DR » versa Ecclesiarum, Altarium, et Chori » situatione, ideo ad instantiam et pro » parte omnium Ecclesiarum in Hispa- » niae Regnis'S. R. C. supplicatum fuit » declarari, librum praedictum Caere- » monialem Episcoporum, nuper editum, *n* non tollere immemorabiles Ecclesia- li rum consuetudines.

» Eadem S. R. C. ut alias saepe ad » instantiam particularium, ita nunc ad » instantiam omnium Ecclesiarum in Hispaniae regnis, *dictum librum Cae- y> remonialem immemorabiles atque » laudabiles consuetudines non tolle- '» re,* declaravit.

VII. Consuetudinem in themate, plures attollendi cruces in processionibus, quamvis longaevam, haud immemorabilem esse; quinimo, ex dicto Episcopi, causam praebere quamplurimis incommodis et abusibus; ideo. a s. Congregatione reiectam fuisse videri.

EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA

Indulge t ur Episcopis Europae facilitas prorogandi Iubilaeum in sua quisque Dioecesi usque ad diem octavum inclusive proximi mensis Decembris.

Appropinquante termino extraordinarii Iubilaei a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII universo Catholico Orbi per Litteras - *Militans Iesu Christi Ecclesia* - die XII superioris Martii indicti, plures locorum in Europa Ordinarii preces eidem Sanctissimo Domino obtulerunt, petentes ipsius Iubilaei prorogationem, eam praecipue ob causam ut sacris Ecclesiae ministris tempus suppeteret varias et inter se dissitas ac plerumque asperas Dioecesum regiones lustrandi, et fideles, praesertim agricolas, ad salutarem gratiam et remissionem consequendam fructumque Iubilaei percipiendum verbi Dei praedicatione atque spiritualibus exercitiis opportune excitandi.

Quas quidem preces Sanctissimus Dominus benigne excipiens, huic sacrae Poenitentiariae committere dignatus est ut locorum in Europa Ordinariis facultatem faceret prorogandi Iubilaeum usque ad diem octavum inclusive proximi mensis Decembris, Immaculatae Deiparae semper Virgini sacrum.

Quare haec sacra Poenitentiaria de expressa Apostolica auctoritate omnibus et singulis locorum in Europa Ordinariis facultatem concedit, qua praesens Iubilaeum in sua quisque Dioecesi et pro grege sibi commisso prorogare possint ac valeant usque ad diem octavum inclusive mensis Decembris vertentis anni, servata in reliquis omnibus forma ac tenore

memoratarum Litterarum - *Militans Iesu Christi Ecclesia* - ; contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romae in s. Poenit. die VII Sept. MDCCCLXXXI.

ALOISIUS CARD. BILK) P. M.

Hippolytus Can. Palombi S. P. Secretarius.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

MONITUM quoad usum sacrorum paramentorum ex gossypio, lino, aut lana confectorum.

AVVERTIMENTO

Quantunque la s. Congregazione elei Riti abbia più volte dichiarato illecito Vuso delle planète e di altri simili sacri paramenti, fatti con tessuti di cotone o di lino od anche di lana, nondimeno da alcuni fabbricatori di tali tessuti vengono posti in vendita siffatti paramenti, quasi che essi dalla medesima s. Congregatione siansi ora permessi. A togliere pertanto qualsivoglia falsa opinione in una così importante materia, vengono avvertiti i Revmi Ordinarii Diocesani, che i decreti emanati già su questo argomento dalla stessa s. Congregazione, rimangono in pieno vigore, riè esiste alcuna nuova disposizione, che li abbia in veruna guisa modificati.

Dalla Segreteria della S. C. dei Riti li 28 Luglio 1881.

Il Segretario

PLACIDO HALLI

VERSIO LATINA

Etsi s. Congregatio Rituum saepe illicitum declaraverit usum casularum, aliorumque similium sacrorum paramentorum ex tela gossypii aut lini aut etiam lanae confectorum; attamen a nonnullis fabricatoribus harum telarum, paramenta eiusmodi ita venundantur, quasi ab ipsa s. Congregatione nunc eadem permissa fuerint. Ad omnimodam igitur tollendam, in re tam gravi, falsam opinionem, monentur Revmi Ordinarii Dioecesium, decreta iam emanata, quoad hanc rem, ab eadem s. Congregatione, in sua plena permanere vi ac robore, neque ullam existere nuperrimam dispositionem, quae aliquo modo eadem modificaverit.

Ex Secretaria s. Congregationis Rituum, die 28 Iulii 1881.

PLACIDUS HALLI

Secretarius

!

LITTERAE

SSMI D. N. LEONIS XIII DATAE ARCHIEPISCOPO MECHLINIENSI OMNIBUSQUE BELGII EPISCOPIS

Dilecto Filio Nostro Victori Augusto S. R. E. Card. Deschamps Archiepiscopo Mechliniensi et omnibus Venerabilibus Fratribus Belgii Episcopis.

LEO PP. XIII.

Dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres salutem et Apostolicam Benedictionem.

Licet multa postremis hisce temporibus, in Belgio contigerint rei catholicae perniciosa, quae animum Nostrum magno dolore affecerunt, solatium tamen consolationemque percepimus ex multis constantis amoris fideique testimoniis a catholicis Belgii viris Nobis exhibitis, quoties opportuna se se offerret occasio. In primis autem Nos recreavit et recreat egregia vestra in Nos voluntas, studiumque a vobis impensum, ut christianus populus vobis commissus in fidei catholicae sinceritate et unitate persistat, et amore in Ecclesiam Christique Vicarium in dies crescat. Placet autem id Vobis maxime laudi tribuere, quod optimae iuventutis institutioni omni industria studetis, providentes ut in primis litterarum scholis de religione doctrina large adolescentibus tradatur. Nec minore cura contenditis ut christianae educationi cuncta benevertant in Gymnasiis etiam et Lyceis, et in ipsa Lovaniensi studiorum Universitate.

Nihilominus hac in re quieto aut securo Nos animo esse non sinunt quae catholicorum hominum concordiae periculum creare penes Belgas videntur, eosque in contraria studia distrahere. Supervacaneum porro est hic memorare quae fuerint veteres recentesque dissidiorum caussae, occasiones, incitamenta, inde etiam profecta, unde minus expectandum esse videbatur: ea vos, dilecte Fili Noster et Venerabiles fratres, prae ceteris intelligitis et Nobiscum deploratis, cum probe noveritis nullo unquam tempore tantam fuisse concordiae inter omnes catholicos viros conciliandae et servandae necessitatem, quantam hoc nostro, quo christiani nominis hostes unanimi impetu Ecclesiam undique adoriuntur.

Itaque de ea tuenda solliciti, monemus, minus eidem favere nonnullas de iure publico controversias, quae solent animos apud vos maxime, commovere: versantur autem circa necessitatem vel op-

portunitatem exigendi ad Catholicae doctrinae normam recentes rei publicae formas, iuris novi, ut aiunt, principiis innixas.—Profecto Nos ipsi ante omnes summopere cupimus ut humana societas christiano more componatur, atque ut omnes civitatis ordines divina Christi virtus penetret ac pervadat. Id Nobis propositum esse statim ostendimus a Pontificatus Nostri exordiis, publicis editis documentis; potissimum autem Litteris Encyclicis, quas adversus socialismi errores, et nuper de politico principatu evulgavimus. Attamen catholici viri omnes, si utiliter in commune bonum elaborare velint, prae oculis habeant et fideliter sequantur oportet consultam agendi rationem, quam in his rebus adhibere solet Ecclesia: quae licet caelestium doctrinarum integritatem iustitiaeque principia inviolabili firmitate tueatur, maximeque enitatur ut privatis actibus publicisque institutis et moribus eadem principia moderentur; aequam tamen habet rerum, locorum, temporumque rationem; et saepe ut in humanis rebus assolet, quaedam ali quandiu tolerare cogitur mala, quae removeri vix aut ne vix quidem possunt, quin gravioribus malis et perturbationibus aditus aperiatur.

Illud insuper in controversiis agitandis cavendum est, ne modus transiliatur, quem aequitatis caritatisque leges praescribunt; neve temere insimulentur, vel in suspicionem adducantur viri ceteroquin Ecclesiae doctrinis addicti, maxime autem qui in Ecclesia dignitate et potestate praecellunt. — Id quidem tibi, dilecte fili Noster, contigisse dolemus, qui Ecclesiae Mechliniensi Archiepiscopi auctoritate praees, quique ob egregia tua in Ecclesiam merita et catholicae doctrinae tuendae studium, dignus es habitus qui Patrum Cardinalium Collegio a Decessore Nostro f. r. Pio IX adscribereris. — Per se autem apparet, hanc in falsas insimulationes quemlibet vocandi levitatem alieno nomini detrahere, mutuae caritatis vincula relaxare, iniuriamque iis inferre quos ***Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei:*** ideoque ut ab ea omnes catholici viri tempèrent summopere cupimus, graviterque monemus. Quibus quidem scire satis sit, Apostolicae Sedi Romanoque Pontifici, ad quem omnibus semper patet accessus, officium esse demandatum, catholicas ubique veritates tuendi, cavendique ne quid in Ecclesia serpat aut disseminetur, quod de fide et moribus doctrinae officere vel cum ea discrepare videatur.

Ad vos quod attinet, dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres, summa diligentia curate ut omnium doctorum virorum, et eorum praesertim, quibus iuventutis instituendae munus per vos est ere-

<litum, una sit mens eademque sententia in Lis, in quibus Apostolicae Sedis auctoritas dissentiendi libertatem non relinquit. In his autem quae sapientum disputationibus libere permittuntur ita, Vobis suadentibus ac mpnentibus, ingenia exerceantur , ut sententiarum diversitas animorum unitatem et voluntatum concordiam non abrumpat. Qua de re plena sapientiae ac gravitatis praecepta doctis viris tradidit immortalis memoriae Pontifex Decessor Noster Benedictus XIV in Constitutione ***u Sollicita ac provida*** »; imo etiam exemplar ad imitandum proposuit sanctum Thomam Aquinatem, qui pacato semper stilo et gravi dicendi forma utitur, non solum cum docet, veritatemque argumentis communit, sed etiam cum adversarios urget et insectatur. Placet Nobis haec eadem Decessoris Nostri praecepta iterum sapientibus commendare, idemque exemplar exhibere, ex quo non modo discant qua ratione sit cum adversariis agendum, sed etiam qualem in philosophicis et theologicis disciplinis doctrinam tradi oporteat et coli. Non semel vobis, dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres, significavimus quantopere Nos optemus ut sancti Thomae sapientia in scholis catholicis restituatur et maximo ubique in honore habeatur. Auctores etiam Nos fuimus constituendi in Lovaniensi Academia altioris philosophiae, ad mentem s. Thomae, magisterium; qua in re, sicut et in ceteris omnibus, paratissimos vos nacti sumus desideriis Nostris obsequi voluntatemque Nostram perficere. Coepta igitur alacriter insistite, et studiose curate, ut in eadem Academia christianae philosophiae uberes fontes, e s. Thomae Aquinatis operibus erumpentes, large copioseque auditoribus recludantur, et ad omnium aliarum disciplinarum utilitatem deriventur. Qua in re neque consilium neque operam Nostram, ubi opus fuerit, Vobis unquam deesse sinemus.

Interim vero a Deo qui fons sapientiae est et pacis auctor caritatisque amator, opportunam necessitatibus opem imploramus, et caelestium munerum copiam omnibus adprecamur. Quorum auspicem et singularis benevolentiae Nostrae testem Apostolicam Benedictionem vobis, dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres, simulque universo Clero et populo curis vestris credito peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 3 Augusti 1881.

Pontificatus Nostri Anno Quarto.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

MATRIMONII

Die IL Septembris 1880

COMPENDIUM FACTI. Vertente anno 1870 coram Oeconomo curato Ecclesiae B. matrimonium inierunt Petrus aetatis 36 annorum et Rosa annos nata. 18. Post matrimonii celebrationem unusquisque suam domum patriamque petiit, quia sponsi de parentum consilio, et utilitatis gratia, communi consensu statuerunt ad mensem Augustum eiusdem anni, cohabitationem differre. Sed postmodum nec cohabitatio, nec matrimonii consummatio locum habuit.

Itaque Rösa die 6 Augusti 1871, libellum obtulit Curiae ut matrimonium irritum declararetur ob defectum consensus, asserens deceptam se fuisse tam a Petro, quam a suo Curato, eo quod ipsa eorum dictis quiescens usque tunc crediderat, Petrum 26 annos habere, cum revera ipse Petrus 37 annos compleverit. Quae conditio, ait ipsa, a postulante apposita fuit ceu essentialis ; sine qua numquam contraxisset cum dicto Petro.

Vicarius Capitularis, processum neri curavit : testes aliquot auditi sunt, cum vero presbyter, qui nuptias benedixerat, testaretur, nullam fuisse expressam conditionem et cum alius presbyter, qui mulieris defensionem susceperat, se victum fassus, ab illo officio se dimiserit, Vicarius ipse processum non perfecit, nullamque sententiam tulit ; quia moraliter certus erat, Rosam pro solutione sui matrimonii nullo

Talido atque efficaci argumento niti posse. Sed Rosa die 24 Augusti eiusdem anni connubium civile contraxit cum Vincentio ex quo tres filios peperit, quorum unus tantum mortuus est.

Haec omnia enarrat Episcopus in supplici libello, dato ad Summum Pontificem, quo'sospite laetamur, die 19 Iulii 1879: quo humillime rogabat, ut matrimonium ratum et non consummatum auctoritate Pontificis dissolveretur ad tollendam publici scandali occasionem. Eadem die responsum fuit: « *Eidem Episcopo, qui, praevia mulieris petitione in scriptis, conficiat processum tam super secuta consummatione matrimonii, quam super causis dispensationis, servata forma Const. S. M. Benedicti XIV* Dei Miseratione, *cum facultate etiam subdelegandi,* servatis servandis, pro *examine partium, quatenus una vel ambae extra dioecesim demorentur, de resultantibus certioret, et processum transmittat ad s. Congregationem ».*

Itaque duplex processus confectus est, unus in dioecesi mulieris et alter in dioecesi viri ; ac utrobique defensores iurati, articulos rite proposuere, et testes item iurati, septeni ct septeni, praeter ipsos coniuges, e consanguineis et affinibus aut proximis auditi sunt coram defensoribus ipsis ; et tres aliae mulieres, a Rosa in medium -allatae, interrogatae sunt instante defensore. Sub die autem 7 Octobris 1879 Antistes ad S. O. Congr. hunc duplicem processum transtulit.

Cum vero Rosa per attestationem proprii Episcopi propriam docuisset paupertatem in Audientia diei 12 Ianuarii 1880 *SSmus benigne annuit ut causa proponatur coram sacra Congregatione oeconomice cum voto Theologi et Canonistae et cum animadversionibus defensoris matrimonialis vinculi ex officio,* quorum synopsim damus.

VOTUM THEOLOGI. Ea, qua par erat, diligentia quum perpendisset processus acta Theologus, in sententiam ivit, matrimonium Petri cum Rosa contractum, validum fuisse, nec non ratum et non consummatum ; ac denique rationes adfuisse et argumenta, quibus ab Apostolica Sede dispensatio licite impetrari possit.

Ad evincendum valide contractum fuisse eiusmodi matrimonium, innuit nullum adfuisse impedimentum dirimens; nihil in utramque partem intercessisse, quod voluntates infirmaret, vel a proposito nubendi removeret, nullam quaestionem animos amovisse, nullum incussum fuisse metum, nullumque timorem corda turbasse. Consensus autem contrahentium, ait Theologus, sponte prolatus fuit coram parocho proprio et duobus testibus. Hinc, pro sacramenti reverentia, eius firmitas tuenda est iuxta Apostolum 1. Cor. 7 « *His autem qui matrimonio iuncti sunt, praecipio, non ego, sed Dominus uxorem a « viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.*

Ast mulier, post duos menses, alio forsan invento amante, qui magis eam alliciebat, consensum praestitum retractare cogitavit, asserens hunc conditionaliter dedisse nempe si Petrus revera 36 haberet annos.

In mutuo consensu, ceu docet Eugenius IV in decreto pro Armenis, causa efficiens matrimonii utique reperitur ; sed consensus iste personam, cum qua contrahere quis vult eius qualitates respicit (1). Et ideo error vel dolus circa qualitates personae, matrimonium non irritat, nisi versetur circa substantiam, seu nisi consensus subsit conditioni sine qua non contrahi velit matrimonium. Quo in casu deficiente conditione, deficit conditionatus, idest consensus. In casu nostro, consensum fuisse conditionatum, ex processu deprehendi nequivit ; quum testes omnes ne verbum quidem faciant de conditione hac (2).

(Ï) Generaliter loquendo error vel dolus circa qualitates personae, consensum non infirmât, quia in iis quae constituunt statum ex sua natura irrevocabilem, ut matrimonium, voluntas iuxta naturam rei, de qua agitur, consentit absolute et independenter ab aliis conditionibus , praeter eas, quae sunt de substantia eiusdem contractus. "Unde Schmalzgrueber lib. 4.tit. 1. n. 447 ait: « Si talis error matrimonium vitiaret,. plurima matrimonia magno prolium, magno reipublicae damno et scandalo publico dissolveretur: cum saepissime in contractu interveniat error circa qualitatem. ».

(2) Post matrimonium initum rescivit Rosa a garrula femina aetatem Petri. Ergo status Rosae erat in errore, non in dubio aut in aliqua haesitatione cum

Haud consummatum fuisse hoc matrimonium -probari nequit per aspectum corporis mulieris, eoquod ab alio cum sit deflora ta, mater est trium filiorum. Hinc est potius recurrendum ad aliud signum, nempe ad familiaritatem ante matrimonii celebrationem et ad demonstrationem amoris impetuosarn. Ast haec signa in casu desunt, ideo arguendum Rosam perseverasse in matrimonio rato et non consummato. Responsiones conformes Petri et Rosae, etsi seorsim datae, id autumant; quod a testibus omnibus firmatur. Nam dum in sponsis defuerunt amoris impetuosi signa et omnis familiaritas, ante matrimonium numquam cohabitarunt, et numquam soli permanserunt, matrimonio inito. Gravis discordia, quae nunc separat animos, et scandalum a muliere datum, sufficiens esse videntur et iusta causa ad dispensationem obtinendam in casu. Rota *decis. 86 n.le7.*

VOTUM CANONISTAE. Non esse discutiendam matrimonii validitatem ob errorem aetatis, ait Canonista, quia conficta, et minime in contrahendo expresse adiecta fuit illa conditio a muliercula. De mendacio huius conditionis loquitur Episcopus, et res ipsa docet unde orta sit haec simulatio. Petrus enim cum frigidius se gereret, tunc ipsa cogitare coepit de matrimonio irrito, propter viri aetatem ut alteri indulgerei, cui animum iam applicuit. Prosequitur autem Canonista dicens, tria esse praemittenda dispensationi pontificiae, qua matrimonii rati vinculum dissolvatur: nempe probationes matrimonii non consummati; tum dissidii, odii implacabilis , inimicitiarum ; denique supplicationes utriusque coniugis *Fagnan. in cap. Ex parte de convers. coniug. n. 26.* Quae omnia adesse in themate demonstravit ; quibus additur scandali cessatio, et proles e concubinatu suscepta.

Hisce tamen praeiactis, expetit Canonista an in themate talis sit rerum necessitas, an causa ita iusta et tam magni momenti, ut aequum sit sacri vinculi dissolutionem a Pon-

praeberet consensum: et ideo erat in morali impossibilitate apponendi conditionem, sine qua ipsa matrimonium non contraxisset. Appositio conditionis est revelatio dubii; ast cum dubium absit, neque appositio conditionis sequittír.

tifìce postulare; responditque sibi non videri. Pontifices enim facultatem dissolvendi matrimonia rata possident ad Ecclesiae regimen, ad bonum commune Ecclesiae, ad gravissima ab Ecclesia damna avertenda, sive rixas et caedes inter familias praeverfendas, quae ex male ominatis connubiis oriri solent. In themate rixarum, et caedium timori nullus est locus. Timor magni scandali futuri videtur potius reperiri in admiratione qua hae novae nuptiae percellerent incolas oppiduli, in quo mulier domicilium habet. Nam decem post annos postulatur finem scandalis facere, maiori forsan populi offensione : eoquod exposcitur ut adulterae nuptiae, quae excommunicationis, et publicae exsecrationis iaculo iampridem percelli merebantur, disrupto sacro matrimonii vinculo, ab Ecclesia consacrentur(l). Huiusmodi Ecclesiae disciplinae relaxatio non ea est quae arcet scandala ab Ecclesia ! Desinent ne scandala, quatenus Sedes Apostolica, dissimulando scelera, beneficiis compleat impudentem mulierem, quae sacramentum polluit adulterio, quae leges ecclesiae coram magistratu civili, ethnico et infideli, ludibrio habuit? quaeque sicam intentans viro (furialis mulier) eius machinata est mortem ? (2)

Temporum acerbitatem nemo ignorat : sed est qui dubitet an necesse sit eandem rationem habere vulgaris mulierculae, e vico rustico, prope ignoto, et viri adulteri, in carce-

ri) In *Cap. Cum haberet de eo qui duxit* consulitur Pontifex quid esset statuendum de duobus adulteris, qui in hoc statu decem filios procreaverant. Vir enim habens legitimam uxorem, adulterii consuetudinem cum famula confovebat In ius vocatus vir adulteram dimisit; sed postea in idem scelus relapsus cum adultera per decennium est commoratus, decem procreando filios. Respondit Pontifex « *ut separentur omnino: et eis competenti poenitentia iniuncta, perpetua continentia indicatur*..... *Multiplicitas prolis, magis eorum crimen exag gerat, diuturnitas temporis peccatum non minuit, sed augmentât. Leo Papa statuit ut nullus ducat in matrimonium, quam adulterio polluit; quod uti connubium, tam Gregorius Papa, quam Tiburiensis synodus detestantur* » .Merito igitur a gratia expedita repelleretur femina procax in casu.

(2) Ita mulier odio prosecuta est virum ut in insidiis conata sit sica vitam eidem adimere ceu ex actibus processualibus constat.

rem detrusi, quam fortasse expedit quandoque • habere in gratiam virorum principum, aut pro regnorum pace curanda?

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS S. VINCULI. Praemisit se haud convenire posse cum Theologo et Canonista quoad matrimonii istius inconsummationem, cum de hoc non probe constet. Et re quidem vera consultores desumunt argumenta pro inconsummatione ex coniugum assertione, iuramento firmata, ex testimonio septimae manus, et ex eo tandem quod sponsi numquam una simul habitaverint, et proinde coire nequiverint. Sola coniugum assertio, etiam iuramento firmata non est sufficiens, quia collusione non caret. Dispensatio enim urget pro muliere, ut liberius cum amasio manere possit, urget pro viro ad crimina et offensas sibi illatas a muliere vindicandas. Et re quidem vera docent omnes, deficiente corporis inspectionis adminiculo, non esse statim credendum coniugum assertioni, nisi aliunde constet, post matrimonium ratum numquam convenisse. Quod autem Petrus et Rosa numquam fuerint simul, sive domi, sive rure, sive quocumque alio loco, et non solum per diem, sed neque per horam, facile admitti nequit, cum non adsit causa tantae et tam diuturnae separationis.

Huius facti mulier causam assignat dicens : hoc evenisse quia conventio inter eos aderat, sponsum eam in propriam domum non esse adducturum, nisi prius a laboribus ruralibus requiesceret. Admissa etiam hac causa, forsan ex ea necessario fluit se interim nequivisse mutuo carnaliter cognoscere ? Coniuges erant legitimi, qui licet simul non cohabitaverint, ea libertate quae coniugibus licet, iure optimo frui poterant.

Iam vero translatitium est ex sola possibilitate carnalis consummationis, copulam intercessisse existimari, ac proinde denegandam dispensationem. In casu quamvis vir mulier et testes asserant coniuges plurium mensium spatio numquam una simul eodem domo esse commoratus, tamen eorum assertiones non satis concludentes apparent, quia non sunt conformes.

Defensor tandem ait quod dato et non concesso matrimonium non esse consummatum, una tantum existeret causa, ad dispensandum, nempe necessitas reparandi scandala, quae manant ex damnato mulieris contubernio. Verum causa haec potius quam favorabilis dispensationi est prorsus contraria, cum futura esset in malae mulieris favorem, ceu innuit Consulior canonista.

Quibus votis et animadversionibus perpensis, enodandum propositum fuit sequens

Dnbinin

An sit consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato, et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re disceptata sub die **11** Septembris 1880 censuit respondendum :

Non expedire.

Ex QUIBUS COLLIGES

I. Cum matrimonium, ex natura sua, sit status firmus et irrevocabilis, *generaliter* errorem et dolum infirmare nequire eiusdem sacramenti validitatem et perpetuitatem.

II. Consensus enim, qui est causa matrimonii efficiens, respicit personam, non eius qualitates; et contrahentium voluntas absolute consentit et independenter ab aliis conditionibus, praeter eas, quae sunt de substantia eiusdem contractus.

III. Mulierem in themate utique errasse aut deceptam fuisse circa viri aetatem, sed cum de hoc, ante matrimonium, non dubitavisset, ideo erat in morali impossibilitate conditionem apponendi, sine qua ipsa matrimonium non contraxisset, quia appositio conditionis est revelatio dubii, quod non adfuit in casu.

IV. Potestate dissolvendi matrimonia rata Romanos Pontifices uti ceu remedium ad gravia ab Ecclesia avertenda damna, ad rixas et caedes inter familias praevertendas, quae ex male ominatis connubiis oriri solent.

V. Ast quamlibet causam haud satis esse, sed gravissimam requiri ad hoc, ut Pontifex eiusmodi adhibeat auctoritatem, qua uti solet ad regimen et bonum Ecclesiae.

VI. Quamobrem in praxi expendendum esse videri an expetita dispensatio ab Apostolica Sede conferat ad bonum commune Ecclesiae, vel gravius valeat inferre damnum ob futura scandala, quae gignere queat.

VII. In themate forsan dispensationis gratiam denegatam fuisse ob timorem ne scandala desinerent, ne Sedes Apostolica cumulare beneficiis videretur vulgarem atque impudentem mulierculam, quae Sacramentum adulterio polluit legesque Ecclesiae ludibrio habuit, coram civili magistratu, et *ne videatur de sua malitia commodum reportare. Cap. Intelleximus de iudiciis.*

VIII. Quapropter feminae dispensationem postulanti accommodatum videri responsum Alexandri III *Cap. Licet 3 de Sponsa duor. - Non licet mulieri, alteri nubere : et si nupseritj etiamsi carnalis copula sit secuta, ab eo separari debet ; et ut ad primum redeat., ecclesiastica districlione compelli.*

MATRIMONII (1)

Die 29 Ianuarii 1881

COMPENDIUM FACTI. Petrus annos natus **33** Albinae eiusdem loci amatorem se praebuit, quae initio anni **1873** praegnans effecta, in lucem edidit puellam, non sine tamen

(1) Causa haec gravissima talibus irretita invenitur difficultatibus, quae arduae resolutionis eamdem reddunt. Hinc prudenter se gessisse videtur s. C. C. iudicando non constare de -nullitate matrimonii, quin illud ex adductis documentis declararet invalidum, ut videbatur. Ita ut si alia luculentiora adducerentur documenta, evenire posset ut nullitas eiusdem declararetur ab eadem s. Congrégation».

rumore in ea regione pervolitante, puellulae patrem Petrum extitisse, licet ipse aliquando id deaegasset indigitans, tamquam auctorem, quemdam Oçtavium Albinae quoque amatorem, qui iam e vivis discesserat. In facto tamen est, si fides depositioni extraiudiciali Parochi adhibenda sit, Petrum praegnantiae Albinae auctorem fuisse ; quandoquidem ille refert, post partum Albinae, tum ut scandalum aliquo modo reparare t, tum ut mulieris parentum cederet instantiis, ad se Petrum vocasse, eumque hortatum fuisse ut Albinam uxorem duceret, tum legitimandae prolis causa, tum implendae promissionis gratia. Petrus adstitit, factique veritatem declarando, adiecit se ducturum uxorem Albinam statim ac sibi mater assensum praeberet. Verumtamen cum mater a Parocho vocata consensum praebere renuerit, subdit, Petrum omnem cum Albina relationem abrupisse.

Quamdam, posteriori tempore, Sabinam, Albinae consobrinam, deperire Petrus coepit; quae cum ab ipso praegnans reddita fuisset, parentum minis impulsus sive ad matrimonium ineundum infra octo dies, sive ad effectus subeundos denuntiationis, de tentato abortu apud civile tribunal, ad Parochum contendit, eum in finem, ut crastina die dicto adsisteret matrimonio. At Parochus dilationem suasit ut adire posset proprium Ordinarium ; a quo oraliter dispensationem quaesivit super praedicto impedimento; quod, ut ipse ait, iudicavit *occultum,* licet *occultum* tantum esset *formaliter,* sed non *materialiter,* ac dispensationem oraliter obtinuit.

Nuptiae igitur, praeviis sponsalibus coram laica auctoritate, die 5 Maii 1874 Petrum inter et Sabinam, coram Ecclesia celebratae fuerunt. Decem circiter post dies a celebrato "connubio Sabina infantem peperit, quem Petrus uti prolem suam agnovit, et proprio agnomine donavit, quique paucos post dies ad superos evolavit. Inito matrimonio, Petrus neque caeremoniam civilem explevit, neque umquam Sabinam in domum suam conduxit, licet fateatur rursus eamdem carnaliter cognovisse ; imo post aliquod tempus uxorem penitus deseruit.

Quae cum ita essent atque reconciliationis spes evanida in posterum apparuisset, dubitatum a Parocho fuit de matrimonii validitate; unde anno 1875 ad s. Poenitentiariam recursus habitus est, ut in foro conscientiae decernere dignaretur, num in facultate ab eadem Episcopis concessa super impedimentis matrimonii occultis comprehenderetur facultas dispensandi super impedimentum matrimonii *materialiter* publicum , sed *formaliter* occultum, et responsum editum fuit : *Non comprehendi.* Mox, ut refert, Petrus a quodam sacerdote edoctus fuit de nullitate praefati matrimonii, hinc penes Curiam institit die 23 Decembris 1876, ut nullum declararetur, tum causa timoris, tum causa affinitatis impedimenti. At cum in processus decursu instantiam ad secundum tantum caput coarctaverit, hinc processus hoc super capite coram Curia Episcopali, confectus fuit.

Auditis testibus et rationum momentis a Defensore officii deductis, Curia, attentis omnibus quae in facto deducta fuerunt, atque resolutione s. Poenitentiariae Apostolicae data sub die 18 Augusti 1872 in *Almerien.* (in qua proposito dubio utrum Episcopi possint valide dispensare ab impedimentis matrimonium dirimentibus, iure ecclesiastico, suos dioecesanos, iunctos matrimonio civili tantum, quando aliquis eorum ita graviter infirmatur, ut in mortis articulo sit et petat matrimonii Sacramentum, responsum est: quoad impedimenta publica Episcopum nullatenus dispensare posse) declaravit matrimonium inter Petrum et Sabinam contractum, ob impedimentum affinitatis, ex copula illicita nullum fuisse. Ab hac tamen decisione defensor vinculi appellavit ad s. Sedem ; a qua indultum fuit ut causa oeconomice tractaretur cum votis Theologi, Canonistae et animadversionibus defensoris vinculi.

VOTUM THEOLOGI. Cum praemonuisset iste, in serie actuum processualium nihil esse reprehendendum, observandam sibi esse putavit ideam qua tota actorum series informatur; quum aliquae responsiones s. Poenitentiariae videantur constituere basim et normam totius processus, atque etiam emanatae

sententiae a Curia Episcopali. Et quia responsiones s. Poenitentiariae clare astruunt quod impedimentum *materialiter* publicum et *formaliter* occultum uti publicum retineri debet ; et consequenter non potest Episcopus ipsum relaxare, vi facultatum, quas habet ab ipsa s. Poenitentiaria; ideo tam iudex in hac causa, quam compilator actuum processualium, haud solliciti fuerunt de investigatione *formalis* publicitatis, et prae oculis tantummodo habuerunt investigationem *materialis* publicitatis. Ex actis processualibus constat impedimentum fuisse ante matrimonium *materialiter* publicum ; non constat vero quod fuerit etiam *formaliter* publicum ; quia in actibus probatum non invenitur: dum, diligentiori adhibita investigatione, probari potuisset. Depositiones enim nonnullorum testium, saltem notabile dubium ingerunt de *formali* publicitate impedimenti.

Posito ergo quod ex actibus resultet tantummodo probata publicitas materialis impedimenti, standum ne est sententiae Curiae Episcopalis, vel ab ipsa recedendum? In hoc quaesito omnis invenitur difficultas quam haec causa complectitur. Priusquam emitteret propriam sententiam Consultor praemittendum etiam putavit:

I°. Quod Episcopi Italiae habent ad triennium pagellam s. Poenitentiariae in qua sub N°. 10 eisdem facultas conceditur « dispensandi super occulto impedimento primi nec non » primi et secundi, ac secundi tantum gradus affinitatis, ex » illicita carnali copula provenientis, etiam in matrimoniis > contrahendis, quando tamen omnia sint parata ad nuptias, > nec matrimonium absque periculo gravis scandali differri » possit, usque dum ab Apostolica Sede obtineri posset dis- » pensatio. »

2°. Quod ultra dictam s. Poenitentiariae facultatem, a canonistis et Theologis uti certum habetur, Episcopos iurisdictionem habentes, posse ex se, non quidem ordinario, sed extraordinario iure, id est. ex tacita Pontificis concessione, si urgeat necessitas, et agatur de impedimento occulto, in aliquo peculiari casu, dispensare suos subditos. Quae opinio

ab Apostolica Sede numquam reprobata fuit. Quam sententiam tenent Scavini Theol, moral. *Tom. 3, lib. 3 tract. 12, disp. 3 cap. 2; Bened. XIV Synod. Dioeces, lib. 9 cap. 2* ***n.*** *2; Pignattellus Tom. 3 consult. 33 n. 4;* Petrus Giovine de *dispensationibus matrimonialibus* Tom. 1 §. 335 n. 1. Hinc extra dubium positum videtur, habere Episcopos, independenter a qualibet facultate s. Poenitentiariae, sed ex praesumpta vel ex tacita Pontificis voluntate, potestatem dispensandi in impedimento occulto, in casu'urgentis necessitatis.

3°. Quod in casu nostro factum tantummodo examinare debemus, abstractionem faciendo ab hoc, an sit congruenter vel incongruenter positum. Etiamsi enim daretur quod fuerit illicite celebratum Matrimonium, validitas ipsius semper consisteret, nisi substantialis interveniat defectus. Hinc omnes theologi et canonistae uno ore fatentur, standum esse pro validitate vinculi, quoadusque contrarium, cum morali certitudine, probetur. Ait enim Coscius *de separat, tor. coniug. I. 1. cap. 6 n. 35* « cum agatur de materia gravissima ac ir-
» ritando matrimonio, iam consummato, requiruntur proba-
> tiones undequaque certae et concludentes. »

4°. Quod, ob rationes relatas in expositione facti, casus praesens sit locandus inter illos, pro quibus non patet recursus ad Apostolicam Sedem, ob angustiam temporis ; gravia enim mala imminebant Petro nisi matrimonium iniret ante partum Sabinae.

5°. Quod ex actibus processualibus non constet qua potestate usus sit Episcopus relaxando impedimentum. Et dato quod usus fuerit potestate sibi concessa a s. Poenitentiaria, profecto non cessavit in illo potestas, quam habet ex tacita vel interpretativa Pontificis concessione.

Hisce praenotatis inquirendum manet an Episcopus relaxare potuerit impedimentum vi facultatis sacrae Poenitentiariae. Certum videtur quod ille qui relaxationem impedimenti, petiit et ille qui relaxavit, vi dictae facultatis, in bona fide inveniuntur, putantes clausulam illam, *dummo-*

do sit occultum, interpretandam esse pro occulto tantummodo *formaliter* et non *materialiter.* Benedictus XIV ait, communiorem esse sententiam illam quae tenet, quod dum impedimentum est materialiter publicum et formaliter occultum, verificetur clausula illa - *dummodo impedimentum sit occultum* -. Et quamvis Benedictus XIV *Instit. 87 §. 42* non acceptet hanc sententiam, uti doctor particularis, non uti Pontifex, sustineri tamen potest, et sua gaudet probabilitate, ceu apparet ex Bonacina *tract, de disp.* **1.** quaest. *2* puncto 2 n. 7. « Ad verte illud dici occultum quod non » est publicum, idest quod nascitur a maiori parte viciniae, » vel paroeciae vel oppidi » et post pauca « Addo impedimen- > tum censeri occultum, etiamsi res ipsa sciatur, sed igno- > retur secundum rationem impedimenti, seu impedimentum » non sit publicum, quatenus impedimentum, licet sciatur a » duobus vel tribus, ut bene tradit Sánchez *de matrim, lib, 8* » *disp. 27 n. 50,* Regivaldus et alii, quos in simili retuli de » censuris ; nam qualitas adiuncta verbo intelligi debet iuxta » qualitatem verbi *I. in delictis* § *1 ff. de novalibus.* Cum » autem illa particula *occultum* sit velut qualitas afficiens » illud verbum *impedimentum,* quod censetur ignorari, nisi » sciatur uti impedimentum, sequitur impedimentum cen- » seri occultum si res ipsa ignoretur ut impedimentum: ut » si copula sciatur, sed ignoretur ex ea ortum esse impedi- » mentum. Et hoc valet etiamsi forte non ignoretur uti im- » pedimentum a duobus vel tribus ut dictum est : nam quod » duobus vel tribus notum est non dicitur publicum, sed oc- » cultum. »

Casus de quo agitur visus est consultori in allatis verbis contineri, saltem prouti a processu resultat ; habemus enim quod materialiter notum est impedimentum et formaliter tantummodo duobus vel tribus. Si ergo supponamus quod Confessarius habuisset a s. Poenitentiaria facultatem relaxandi hoc ipsum impedimentum cum clausula *dummodo sit occultum,* potuisset iuxta Bonaccinam et communiorem sententiam, relaxare impedimentum. Hoc posito non videmus

quare non potuerit Episcopus relaxare impedimentum aut vi facultatis s. Poenitentiariae, aut saltem vi probabilis potestatis, qua gaudent Episcopi ex praesumpta Pontificis voluntate. Neque responsiones s. Poenitentiariae limitare posse videntur hanc secundam Episcoporum potestatem ad dispensandum tantummodo in "occulto impedimento, quod sit tale formaliter et materialiter, non enim agitur de facultate ab ipso elargita. Hae duo facultates considerari queunt, ceu duo rivuli a suprema, quae est in Ecclesia R. Pontificis potestate dimanantes, unus ab altero independenter. Aliunde quando impedimentum est occultum formaliter, per celebrationem matrimonii vitari possunt et vitantur de facto gravia scandala, neque ex celebratione matrimonii aliquod scandalum sequitur.

Tandem concludendo ait consultor: cum haec potestas secunda Episcoporum sit extraordinaria et attingi nequeat a responsionibus s. Poenitentiariae ; et cum fundetur in interpretativa Pontificis voluntate, supponi nequit quod Summus Pontifex velit denegare dispensationem, quando qui petiit, et illi qui dispensatione utuntur, omnes in bona fide sunt, ceu evenit in casu. Nam Parochus, Episcopus et contrahentes omnes in bona fide inveniuntur : et ideo nullitas matrimonii haud satis probata videtur ; eoquod si non est omnino certum, saltem valde probabile est Episcopum *valide* impedimentum relaxasse.

VOTUM CANONISTAE. Cum cogitarem, ait iste, an aliqua alia adesset potior ratio asserendi coniugii, rite initi coram Ecclesia, auctoritate Emi Archiepiscopi, trium annorum spatio a nemine in dubium revocati, illa potissimum occurrit, quod scrupulus irritae dispensationis, valde incertam originem habet, totaque haec controversia fundamento caret indubitatae et legitimae auctoritatis. Nam probandum esset defuisse in Archiepiscopo auctoritatem relaxandi impedimentum, saltem dubie publicum. Si Emus Archiepiscopus adhuc in vivis ageret, ipsum sciscitari, ab ipso rei veritatem pos-

semus exquirere. Nunc autem, etsi hoc testimonio caremus, duo tamen haec certo scimus et Petri noxam fuisse publice notam, et Archiepiscopum ab huiusmodi impedimento dispensasse. Quis nostrum pro certo affirmet Archiepiscopum Cardinalem nulla extraordinaria facultate fuisse praeditum, praeter illas quae ceteris impertiri solent Episcopis? Et si hac facultate caruit Archiepiscopus, quis sibi persuadeat, nihil quaesisse, nihil dubitasse, saltem num illud, quod nuntiabatur ut occultum, posset facile evadere publicum ? Ergo dicendum videtur aut extraordinarie sibi concessa auctoritate relaxa vit impedimentum, aut certe dicendum est in dubio sequutum fuisse sententiam Ligorii seu Doctorum quos laudat. Scribit enim s. Doctor *lib. 6 n. 902.* « Ceterum pro- » habiliter dicunt communissime Doctores, generice loquendo > de *omnibus casibus sive impedimentis* Pontifici reservatis » quando dubitatur an indigeant dispensatione. Quia cum » in casibus, qui frequenter occurrunt, posset inferior dis- » pensare in lege superioris, bene poterit Episcopus in *im-* » *pedimentis dubiis* dispensare; eo quod in iis frequenter » contigit dubitare de indigentia dispensationis. »

Nemo autem dixerit in illis circumstantiis commode adiri potuisse Sedem Apostolicam, cum Petrus nuptias postero die inire petebat, minaeque instarent gravium malorum. In huiusmodi rerum eventibus Episcopi etiam a publicis impedimentis dispensare possunt ut Ligorius lib. 1 n. 154 docuit : « Item potest Episcopus dispensare in legibus commu- > nibus pontificis v. gr. in impedimentis matrimonii... quando » non est facilis aditus ad Papam et periculum est in mora, > quia hoc expedit ad commune bonum.... Et in his omni- » bus dicuntur Episcopi dispensare *iure ordinario,* cum » talis facultas eis competat vi proprii officii, cui est per- » petuo adnexa. Et ideo possunt eam delegare, ut *certum* » est. » Igitur ex sententia Ligorii Praelatus usus est facultate, quae ei iure ordinario competeret, vi proprii officii, cui est perpetuo adnexa : ergo stat matrimonium Petri cum Sabina.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS VINCULI. Praemisit sese libenter sententiam consultorum amplecti, qua ambo conveniunt, matrimonium in casu validum esse. Animadvertit tamen in primis, totam disceptationem versari in statuendo, utrum affinitatis impedimentum in casu habendum sit uti occultum vel non ; et utrum et quando in impedimentis iure ecclesiastico dirimentibus, scilicet in secundo gradu ex copula illicita, Episcopis dispensandi potestas sit.

Occultum aliquid esse dicitur, quando licet aliquibus notum, non est tamen notum nisi paucis de communitate. Sic in parva cummunitate quod duobus vel tribus, et in magna, quod sex vel septem notum est, occultum dicitur; ita tamen ut certum id apprehendatur; illud vero non occultum, quod licet a paucioribus cognitum in periculo tamen est, ut facile ad aliorum cognitionem deveniat. Quoad matrimonii impedimenta occultum esse potest vel *materialiter* vel *formaliter; primum* cum occultum est factum,ex quo oritur impedimentum ; *secundum* cum factum notum est, sed ignoratur ex eo impedimentum oriri. At hic gravis exagitatur quaestio, an posita facili cognitione, si ius ignoretur, impedimentum simpliciter occultum dici queat. Plurimi tum veteres, tum recentiores theologi et canonistae id affirmant. Ratio adducitur a Bonacina in *tract, de leg. disp. 1. quaest. 2. une 2. n. 7.* « Addo impedimentum censeri occultum,
» etiamsi res ipsa sciatur, sed ignoretur secundum rationem
» impedimenti, seu impedimentum non sit publicum, qua-
» tenus impedimentum » . . . .

Impedimentum in themate visum defensori est materialiter et formaliter occultum. Primum quia agitur non de simplici amicitia quae inter Petrum et Sabinam intercedebat, sed de cognitione copulae carnalis inter eos habitae, quod certe nosci haud poterat, nisi illi manifestaverint, dum Petrus semper negavit, et forsan uni Parocho fassus est. Secundum autem quia inter testes duo tantummodo asserunt, impedimentum affinitatis inter sponsos existere se cognoscere: et quia Parochus ipse impedimentum animadvertens, illud

formaliter occultum declaravit, illudque ut tale Episcopus retinuit.

In casu autem impedimentum saltem formaliter occultum fuisse denegari nequit ; et super huiusmodi impedimenta dispensationem impertiendi Episcopos pollere potestate facile demonstratur. Nullibi certe in iure expresse hoc reperitur, sed est doctrina communis theologorum et canonistarum, quorum auctoritatem tuto sequi fas est. Nam etsi Bened. XIV. in contrarium sentiat, tamen in *Inst it. 87 § 42* testari coactus est, scriptores *fere omnes putare satisfieri Poenitentiariae mandato, quo illud iubetur : dummodo impedimentum sit occultum.*

Hinc iudex qui protulit sententiam pro nullitate matrimonii deceptus videtur ex praxi s. Poenitentiariae, quae licet per triennium hanc facultatem Episcopis concedat, semper vocabulum occultum in rescriptis adhibet. Sed s. Tribunal haud excludit ius Episcopis competens, a theologis et canonistis declaratum et admissum ex interpretatione mentis Summi Pontificis, ne scandala oriantur, dispensandi in impedimentis occultis eo sensu quo doctores tradunt, scilicet impedimentum *materialiter* publicum, sed *formaliter* occultum. Et ideo etiam concesso quod s. Poenitentiaria strictiori sensu hanc facultatem tribuat, nulla dici posset dispensatio data, si Episcopus eâ sola potestate usus fuerit. Sed hoc admitti nequit : constat enim alio ex capite huiusmodi potestate pollere Episcopos, ex interpretativa Pontificis voluntate. Insuper in eo qui dispensat, intentio deesse non potest, se velle dispensare, quantum in se facultatis esse possit, et casus indigeat (1). Haec praedominans inten-

(1) Quid enim est intentio, nisi actus voluntatis, quo in finem per media tenditur? Non in media sed in finem tendet voluntas. Et s. Thomas *1. 2. q. 12 ar. 2.* ait: « *Intentio respicit finem secundum quod est terminus voluntatis.i»* Est amor efficax finis, cum proposito assumendi media ad illud assequendum accommodata.Ergo si quis media, in promptu habeat, etiamsi habere se nesciat, sive non cogitet, vult certe illis uti, neque enim aliter dici posset habere voluntatem efficacem. Quilibet enim praesumitur eligisse viam (vel saltem eligere voluisse) per quam dispositio sua. sit utilis et habeat effectum.

iio est: et proinde efficax fit actus concessionis; quia si •quae est potestas, non destruitur ex eo quod in actu de ea non cogitatur.

Neque difficultatem facessit responsum datum a s. Poenitentiaria in *Almerien. 28 Augusti 1872;* quia responsum s. Tribunalis casum particularem respicit: loquitur nempe de illo, qui in periculo mortis matrimonium contrahere vult, quin, praeter scandalum ex matrimonionio civili, nulla alia mala, vel scandala sint vitanda, ut in themate nostro verificatur. Non agebatur enim in casu nostro de scandalo removendo ob incestuosum contubernium, sed potius de rixis inter, sponsum et sponsae parentes dirimendis, et quod gratius est, ne coram civili auctoritate de tentato abortu ageretur quaestio, cum sponsorum infamia et totius oppidi scandalo.

Conclusit tandem vinculi defensor, quod etiamsi haec omnia nutarent, tamen matrimonium in themate in suo robore permaneret. Inconcussa enim sententia est, in defectu iurisdictionis, quam Ecclesia supplere potest, Ecclesiam iurisdictionem reapse supplere, si agatur de errore communi *et* simul bona fides existat (1).

Hisce omnibus ergo ponderatis, sequens enodandum propositum fuit

nubium

An sententia Curiae sit confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. Sacra **O.** Concilii, re discussa, sub die **29** Ianuarii 1881 censuit respondendum:

Non constare de matrimonii nullitate.

(1) Docet s. Doctor de Ligorio *lib. 6. Tract.* 4 *cap.* 2. n. 173 licitum esse milustrare sacramentum Poenitentiae cum probabili iurisdictione, quando adest graTis necessitas aut magna utilitas: cur non potuerit Episcopus, in casu necessitatis, uti facultate quam multo prob*'biliter habebat, relaxandi dictum imper dimentum?

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Matrimonium quod resolutum declaraverat sententia Curiae episcopalis, in sua vi et robore permanere, ex quo Emis Patribus prudentem emittere placuit sententiam, ex adductis documentis, *non constare de nullitate matrimonii.*

II. Praeter facultatem a s. Poenitentiaria Episcopis concessam, dispensandi super impedimento occulto ex copula illicita, ex Doctorum sententia competere Episcopis, ex iure extraordinario seu ex tacita Pontificis concessione facultatem dispensandi subditos super eodem impedimento, si necessitas urgeat.

III. Etenim praesumi Summum Pontificem delegare Episcopo potestatem dispensandi, quum tales urgent rerum circumstantiae, quibus nec Summus Pontifex consuli queat, nec matrimonii contractus, ad quem omnia sunt disposita differri possit sine scandalo, et paratorum ad nuptias infamia (1).

IV. Praesentem casum inter illos recenseri posse, pro quibus non patet recursus ad Apostolicam Sedem, ob angustiam temporis, quum ageretur de dirimendis rixis inter sponsum et sponsae parentes, et ne quaestio de tentato abortu coram civili magistratu deferretur cum sponsorum infamia et gravi totius populi scandalo.

(1) S. Thomas *1. 2. q. 95. ar. 6. c.* *a* Omnis lex ordinatur ad communem *v* hominum salutem; et in tantum obti- » net vim et rationem legis. Secundum » vero quod ab hoc deficit, *virtutem n obligandi non habet...* Contingit au- si tem multoties, quod aliquid observari » communi saluti est utile ut in pluri- * bus; quod tamen in aliquibus casibus » est maxime nocivum. Quia igitur le- » gislator non potest omnes singulares # casus intueri, proponit legem secun- » dum ea, quae in pluribus accidunt. Si » emergat casus, in quo observatio ta- » lis legis sit damnosa communi saluti, » non est observanda... Si sit subitum » periculum, non patiens tantam moram, » ut ad superiorem recurri possit, ipsa » necessitas dispensationem habet adne- » sam, quia necessitas non subditur » legi... Qui in casu necessitatis agit, » praeter verba legis, non iudicat de » ipsa lege, sed iudicat de casu singu- » Iuri, in quo videt verba legis obser- *n* vanda non esse. *

V. Communiorem esse Doctorum sententiam quae tenet, quod dum impedimentum sit *materialiter* pubblicum et *formaliter* occultum verificetur clausula illa - dummodo impedimentum sit occultum - quae apponi solet a s. Poenitentiaria dum facultatem concedit.

VI. Impedimentum enim censeri occultum etiamsi res ipsa sciatur, sed ignoretur secundum rationem impedimenti; seu impedimentum non sit publicum, quatenus impedimentum, licet sciatur a duobus vel tribus.

VII. Impedimentum in themate videri in allatis verbis contineri, quum *materialiter* quamplurimis notum esset, *formaliter* vero duobus vel tribus tantum; ideoque valide dispensatum esse posse ab Episcopo nunc vita functo, qualibet ex utraque facultate usus fuerit.

PARTICIPATIONIS FRUCTUUM ET DISTRIBUTIONUM

Die 14 Augusti 1880.

COMPENDIUM FACTI. In perturbatione rerum politicarum Hispaniae, dum novum Gubernium renueret solvere canonicales pensiones, Iosephus Canonicus dereliquit Cathedralis locum, aufugitque in patriam suam. Idque ille fecit, ceu retulit, nedum ut devitaret pericula carceris, sed etiam ut propriae consuleret substentationi. Rediit postea ad Cathedralis locum, sed novo orto civili bello, iterum patrios remeavit lares anno 1870, patefacta, ut ille ait, voluntate abeundi tum Episcopo, tum Capitulo.

Confecto bello, rebusque compositis ad residentiae locum remeavit die 10 Februarii 1877 et sui Canonicatus portionem a Gubernio solutam, quae penes Capitulum loco depositi asservabatur, repetiit. Sed incassum: quandoquidem Capitu-

lum innixum cuidam dispositioni Statutorum capitularium portionem solvere renuit. Eapropter canonicus Iosephus supplici oblato libello die 21 Martii 1877, ad S. C. C. confugit, enixe rogans ut declararet sibi ius esse contra Capitulum, tempore quo abfuit, Canonicatus sui participationem tam persolutam quam persolvendam vindicandi, vel saltem ut cum eo benigne dispensetur.

Dlfteeptntlo «yn«»i)tic*

QUAE CONTRA ORATOREM FACERE VIDENTUR. In primis frustra Orator adlaborare videtur, ut suam diutinam iustificare absentiam valeat, tum metu carceris, tum defectu congruae sustentationis. Neminem enim latet, metum ut excuset ab obligatione, et in casu ab onere residendi, debere esse talem, qui in hominem constantem cadat: neque enim vani timoris ulla excusatio est *L. Metum 6. 7. ff. quod metus causa I. 184 de Regul. 9;* nec sufficit quolibet terrore adducto quemquam timuisse *I. metus 3 ff. eco quibus causis maiores.* Nec satis gravis est metus vexationis alicuius, nisi et vincula praesentia potens adversarius minatus sit *L. ult. §. ff. quod metus causa;* metum enim non iactationibus tantum vel contestationibus, sed atrocitate facti purgari convenit *L. 7. et 9 cit. tit. et* Bossius *cap. 11 §. 4 n. 14, 16* statuit ad constituendum metum legaliter iustum seu cadentem in virum constantem, nedum requiri *quod malum sit absolute et in se magnum et grave, sed etiam quod metuens non possit facile illud depellere aut illi occurrere.* Hisce in casibus vere quis dici posset impotens ad resistendum: impotentia enim dicitur ut tradit *Barbos, de Canonicis cap. 24 n. '39* quando absentia non est voluntaria sed ab aliquo facto causatur; ita ut non stet per beneficiatum quominus resideat. Deinde iuxta famigeratam regulam quod metus non praesumitur, esset ab allegante probandus et quidem plene et concludenter, ad tradita a *Piton. Discep. 110 n. 34, a Voet lib. 4. tit. 2 n. 14.* Atqui haec omnia in the-

mate deficere, facile ex ipsa relatione Episcopi patet: ***Nec** enim,* ait, *constat Oratorem **iuste aut iniuste carceratum** fuisse, nec ad id coinquisitum **scio, nec credo nec illi quem-**quam intendisse minas unquam **audivi.*** Non maior igitur illi quam ceteris Canonicis timor imminebat. Cum itaque hi beneficii sedem non reliquerint, nec orator relinquere debuit.

Quare cum nec carceris, nec vitae timor Oratori immineret, iusta illi causa residentiae deserendae defuisse dicenda est, ac nedum distributiones amisisse dicendus est, iuxta *Cap. unie, de Cleric. non resident, in **6,*** sed etiam fructus praebendae, quibus privandus est, iuxta sanctionem Trid. *cap. **12** sess. **23** de Reform,* quin effugium invenire possit si agatur de an. 1870 in statutis Capitularibus quae decernunt, ad lucrandam grossam sufficere 4 menses sive continuos sive interpolatos. Scitum enim est quod inferior derogare non valet legi superioris, idest legi universali Ecclesiae quae eiusmodi statuta expresse sustulit in Concil. Trid. ***d.** cap. **12*** §. *praeterea* < ibi > *Cuiuslibet statuti,* ita Pignatelli *Consultat. **115** n. **3** t. **9.***

Posito etiam quod inopia pressus fuisset Canonicus, non proprio marte ei erat deserenda residentia, sed ea causa Capitulo et superiori erat patefacienda; a quibus nedum tacita sed expressa licentia tribuenda erat. Audiatur sane Pignatel. *consult. **26** num. **13*** - ibi - *de iusta vero causa est textus ad cap. un. de Cler. non residen, **in 6°** post mediet.* - ibi - *exceptis illis quos infirmitas seu iusta et rationabilis corporis necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas excusar et, quod in usum revocavit Trid. d. sess. **24** cap. **12,** et declaravit S. C. Episcoporum in Landen. **4 Aprilis 1607,** inquiens quod causa iusta debet approbari non **so-**lum a Capitulo, sed etiam ab Ordinario.* Post hoc vero inutile foret ad dispensationis gratiam convolare ut dictus Canonicus fructus praebendae et distributiones repetere posset a Capitulo, siquidem Princeps gratias non concedit in praeiudicium tertii *cap. Quamvis de rescriptis in **6°.*** Praeiudicium in themate adesset, cum Canonicis vel Ecclesiae

deberent dicti fructus et distributiones accrescere iuxta *Glos, in Clem. 2 v. pars dimidia* et Trid. *sess. 21 Cap. 2 sess. 24 cap. 12.* Pignatell. *consult. 124 num. 17 t. 1.*

QUAE FAVERE ORATORI VIDENTUR. Contra vero expendendum quod, iusta et legitima causa absentiae subsistente, Canonicus absens et fructus praebendae et distributiones lucratur. Causae vero recensentur a Bonifacio VIII *in cap. unie, de Cler. non resid. in 6°* - ibi - « *exceptis liis quos infirmitas vel iusta et rationabilis corporis necessitas aut evidens Ecclesiae utilitas . . .* » *quam Const. in usum revocat Trid. sess. 24 cap. 12 de Reform.*

Iam vero ñon residendi iustam causam praebere Canonicis bellum eiusque metum firmat *Rota Decis. 141 n. 1 par. 17 in Recent.* - ibi - « Cum bellum eiusque solus ti-
« mor praebeat iustam causam non residendi, ut tenet Bar-
« bosa in *collectait, ad Conc. Trid. sess. 24 cap. 1 n. 100*
« *de Re format.* Moneta *de distriò, quotid. par 2 glos. 5*
< *num. 73* . . . ratio quia nemo tenetur vitam suam pe-
€ riculo exponere ut notatur in *cap. 1 De Cleric. non re-*
€ *sid. et in capit, cum personae ubi gloss, in verbo de*
« *pericul. n. 6.* Et ad hunc effectum idem operatur metus
« et suspicio belli quod ipsum bellum et sufficit iustus ti-
« mor, quamvis malum aut periculum non contingat, Cravet
4. n. 5 cons. 318 cum aliis: et hoc valet etiamsi bellum
€ non sequatur ». Cfr. etiam Piton, *discept. Eccl. n. 11* ubi citatur etiam dictum tragici Senecae « *Peior est bello timor ipse belli* ». Ratio autem est, ut ait Barbosa *de canonicis cap. 34 num. 39* quia mens s. Pontificis *in cap. unie, de Cler. resid. in 6°* est excludere ab istis distributionibus negligentes vel contemnentes residere, non autem impotentes; et impotentia dicitur quando absentia non est voluntaria, sed ab aliquo facto causatur ita ut non stet per beneficiatum quominus resideat *Calder, caus. 17 de praeben.ubi* considerat non solum vim de facto illatam, sed etiam probabiliter praevisam excusare a residentia, quia non debet quis expectare periculum personae *Cfr. Rota coram*

Molines decis. 808 num. 8 et seqq. Nec alia fuit mens S. O. Congregationis in *Fundana diei 3 Iulii 1734, in Carpen. 17 Septembris 1616,* et in nuperrima *Palentina distributionum diei 20 Iulii 1878.* (1)

Cum igitur, ut metus iustus legaliter sit seu cadens in virum constantem, non oporteat ut adsit vera et realis magni mali illatio in metuentem, quia tunc non metus seu timor sed damnum diceretur, sed sufficiat malum inferendum seu mali periculum imminere, seu, quod idem est, sufficiat timor iustus et probabilis illationis mali, ad tradita *per L. 1 nec timorem ff. de eo quod metus causa et L. 3 §. Armis ff. de vi et vi armata, et tradunt Mascard, conclus. 1057 n. 17 et alii* consequens est, iustam et legitimam fuisse causam quae praefatum Canonicum a residentia arcuit. Quin iuvare valeant capitulares defectus sive licentiae, quae ab Episcopo et Capitulo petenda erat ut fructibus praebendae et distributionibus frui posset, vel saltem protestatio facienda. Nam notat Piton, *discept. Eccl. 36 num. 4* quando agitur de Canonicis seu Beneficiatis et in his casibus in quibus sunt licentiati a iure, non requiritur licentia hominis seu superioris, ut distinguendo inter Canonicos et Curatos tenent Barbos, *de Canonicis cap. 24 n. 26.* Pignat. *cons. 36 num. 4 t. 9. Rota decis. 117 n. 17 part. 15 recent.* Fagnan. *in cap. Relat. num. 18,* Garz, *de benef, p. 3 c. 2 num. 95.*

Hisce breviter tum in iure tum in facto rationum momentis praelibatis, EE. Patribus remissum fuit sequens dirimere

Dubium

An et qui fructus praebendae canonicalis et quae distributiones pro absentiae tempore debeantur sacerdoti Iosepho in casu.

(1) Confer hanc quaestionem Vol. XI pag. 589 relatam. Animadverte tamen differentiam inter illam et presentem quaestionem. In illa, ait Episcopus, haud temere canonicos metuisse exilium aut deportationem, quam vitarunt aufugiendo; in ista nisi vanus adest timor, qui nullam parit excusationem.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 14 Augusti 1880 respondit: *Negative, excepto tempore, quo iudicio Episcopi rationabilis adfuit absentiae causa.*

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Nullam esse excusationem vani timoris; sed solummodo metum cadentem in virum constantem excusare posse canonicum ab onere residendi.

II. Ad constituendum metum legaliter iustum, et cadentem in virum constantem, nedum requiri quod malum sit in se magnum et grave, sed etiam quod metuens non possit facile illud depellere.

III. Impotentem ad resistendum censeri, qui huic metui occurrere nequeat : etenim verificatur impotentia, quando absentia non est voluntaria, seu quando non stet per beneficiatum, quominus resideat.

IV. Metum, propter quem onera non implevit propria Canonicus in themate, videri haud esse legaliter iustum, neque excusare a residentia, quum debitis destituatur requisitis.

V. Constare enim, ait Episcopus, numquam Canonicum istum iuste aut iniuste carceratum aut conquisitum fuisse, neque eidem minas quemque intendisse.

REINTEGRATIONI IN PAROECIAM

Die 24 Aprilis et 29 Maii 1880.

COMPENDIUM FACTI. Sacerdos Ludovicus L. supplici libello diei **30** Octobris, effluxi nuper anni, exposuit, se ab Episcopo proprio sine sententia, sine causa canonica, licet iuridicam

inquisitionem postulaverit, e Parochia M. quam uti Parochus amovibilis, vulgo *Desservant* ab anno 1875. regebat, ad illam *Q*. pariter amovibilem proficisci iussum esse. Huiusmodi sed mandatum exequi renuisse subdit, eo quod sine ulla ratione Parochiam longe minorem adire cogebatur. Qua de re Vicarius generalis prohibuit quominus ipse in Parochia M. Missae sacrificium litaret, quod illico per publicas ephemerides in vulgus editum fuit. Eapropter tali poena afflictus orator enixe rogabat redintegrationem in dictam Paroeciam.

Requisitus de more Episcopus pro informatione et voto, datis uteris diei 10 Novembris 1879 retulit, Sacerdotem L. non semel neque bis a suis praedecessoribus ab una ad aliam Paroeciam, translatum fuisse, quod quidem ex rationabili causa factum fuisse dicit. Parochus interim, quum novam invisisset ecclesiam, in suam sedem reversus, per antiquiorem ex Parochis, certiorem fecit Episcopum se malle suae paroeciae nuncium mittere, quam novam oblatam regere. Tunc renuntiatio rata habita fuit, assignata tamen pensione annua 1000 libellarum, ex fundo pro Sacerdotibus infirmis statuto, rependenda. Addit Episcopus eumdem Parochum aere alieno nimis esse gravatum, et licet bonis honestisque moribus sit imbutus, tamen plures per annos, duas iuvenes mulieres domi retinuisse, contra praescriptum dioecesanae Synodi.

Disceptatio gynoi»tic*

DEFENSIO PAROCHI. Defensor orationem suam exorditur occurrendo difficultati, quae apud Gallos obiici solet, Leges nempe canonicas vi conventionis inter rempublicam illam et sanctam Sedem innovatas fuisse. Quod quam a iure devium sit, nemo est qui non videt, quandoquidem per initam conventionem certat, leges canonicas fuisse confirmatas. Cum enim de iure nominandi parochos sermo est, cavetur oportere seligere personas, *quas ecclesiae canones requirunt.* Et postquam electi fuerint, sancitur quoscumque *in via Domini operarios canonice instituendos.* Hinc factum esse sub-

dit, ut ulla sine distinctione inter parochos regionarios (de canton) et parochos subsidiarios (desservants) utrique canonica institutio tribuitur. Nullo ergo modo sunt distinguendi, cum, unicuique cura animarum fuerit mandata, iisdem honoribus gaudent, et aequa potestas indita fuerit. Ex quo eruit orator, quod causa huius rectoris, iuxta sacros canones definienda esset; quia ex institutione ius perpetuum consequutus sit in beneficio illo. Beneficia namque parochialia praesertim, ad vitam, et perpetuo conferenda esse probat ex Concilio Nemausensi iam inde ab saeculo II, et ex doctrina *Gonzalez in reg. 8 cancellariae* et universa Canonistarum schola. Quod si aliter obtingeret, parochi non modo pastorum nomine haud mererentur vocari, sed eos iure meritoque in viliorem mercenariorum classem coniiciendos esse ait, ad tradita per sacrosanctam Synodum Tridentinam in *sess. 23 cap.* ***1*** *de reformat.* Qua de re, ait ille, cliens despoliari nequit hoc perpetuo iure, absque iusta et legitima causa: quae inveniri nequit nisi in *necessitate* vel in *utilitate* Ecclesiae. Hasce causas exiliare omnino in themate; sed Vicarium generalem re mo visse parochum, ut genio amovendi parochos ad nutum et libitum indulgeret.

Ut autem adstrueret nulla suadente legitima causa, sed tantummodo ob privatas inimicitias cliens remotus fuerit a Paroecia, multa retulit ab eodem peracta in bonum animarum et ecclesiae, eidem parocho concreditae. Ait etiam, illum optimo praeditum ingenio: ita ut paroeciae plebs de eius absentia queritur. Hinc si nulla adfuit legitima causa, si nullo parachus crimine irretitus, iniuria privatus fuit paroecia sua. Huiusmodi quinimo iniuriam neque evanescere, urget, etiamsi rector alicuius culpae reus appareret. Exploratum siquidem in iure est, reum poena plecti non posse nisi monitiones a iure pontificio praestitutae ac debitis temporibus faciendae, praecesserint, quae prorsus defueiunt. Hinc conclusit orator, suo clienti ius esse, ut ad propriam paroeciani restituatur, a qua iniuria amotus fuit, et ut ipsi damna reficiantur, quae immerito persensit.

DEFENSIO CURIAE. Nullum dubium inesse potest quod Parochialis Ecclesia possit renuncian, uti patet ex tit. *de renuntiat,* et in specie, post multos relatos auctores, tradit *Flomin. Poris. De résignât, benefic. lib. 2 q. i n. 104;* unusquisque enim potest renunciare beneficio sibi competenti, tum in spiritualibus, tum in temporalibus uti *docet Gare, p. 2 cap. 3 n. 4 et confirmat Barbosa de of. et potest. Paroc. p. 2 cap. 29.* Ut autem renunciatio valeat tribus debet conditionibus inniti nempe, quod sit spontanea, quod sit acceptata a legitimo superiore et quod fiat ex causa, secus non acceptaretur; ita una echo canonistarum Schola et praecipue *ReiffenstueL tit. De remine, sect. 1 n. 1* renunciationem definiens quod sit *spontanea beneficii Ecclesiastici dimissio, facta coram superiore legitimo eam acceptante* ». Atqui in facto est quod sacerdos L. nuncium misit Paroeciae et eius renunciatio iuridicis fuit vestita conditionibus. Sane quod Paroeciam M. dimiserit, constat ex litteris Decani Curati, eius nomine ad Episcopum datis: quod autem a competente auctoritate fuerit acceptata, evincitur ex informatione ipsius Ordinarii: quod autem fuerit spontanea et non coactiva, et facta ex causa, ex eo deprehenditur quod iniit hanc consilii rationem, postquam omnia expendisset. Quare in praesentiarum locum habet quod notatur in canone *Quam periculosum 7. q. 1. eoo capit, cum inter R. 16 de eletione iuncta glossa ibidem* qui iuri suo semel renunciat, non potest postea ad illud redire. Item illud vulgatum quod prius erat voluntatis, postea fit necessitatis *Arg. 1 sicut Codic. De act. et obligat. Reiffenstuel tit. De Renunciat. §. 2 n. 39.*

Parochi Oratoris contraria assertio parvipendenda esse videtur; quia animus sacerdotis L. varius et mutabilis est indole sua; et nil mirum proinde, si quod prius asseruit postea denegat. Quin oggeri possit quod Episcopi testimonium, utpote in causa propria, sit suspectum; facile enim credi non potest, ut ait Bened. XIV Constit. *Cum illud* §. *16 n. 7.* Episcopos suae non minus quam alienae salutis adeo imme-

mores, ut odio vel favore moveantur et *dicant bonum malum., malum bonum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras.* Quare cum nihil obstet quominus dimissio Paroeciae M. legitima habenda non sit, expetita a sacerdote L. reintegratio, deneganda esse videtur.

In perdita tamen hypothesi quod renunciatio Parochiae M. a Parocho facta minime subsistat, non melior tamen ipsius causa evadit. Scitum enim est in vim Concordati initi inter s. Sedem et Gubernium gallicum an. 1801 duplicem Parochorum speciem in hac regione inolevisse, aliam inamovibilium qui eliguntur cum Gubernii consensu, a quo pensionem recipiunt, et alteram amovibilium (annexes) qui eliguntur libere et absque interventu civilis potestatis ab Episcopis, ad quorum nutum removeri vel transferri possunt. Quae specialis Galliarum Ecclesiae disciplina, licet prima fronte menti Tridentini minime respondere videatur, attamen eidem haud videtur opposita, iuxta ea quae traduntur in *sess. 24. cap.* **13.** *De Reform.* Et si aliquod vitium in Ecclesiastica disciplina a plurihus saeculis vigente adfuerit, hoc sanatum indubitanter fuit ex Rescripto Gregorii XYI fel. rec. dato ad Episcopum Leodiensem die 1 Maii 1845 et Pii IX. s. m. ad Episcopum Ebroicensem die 5 Octobris 1864, ceu videre est in *Virdunen. Reintegrationis in Paroeciam 23 Martii 1878 §. Quodlibet* (1),

Ex quibus haud ambigi posse videtur quod Episcopi iure suo utuntur, si alibi transferant Parochos deservitores. Parochi enim huiusmodi considerari possunt vel uti Vicarii amovibiles ad nutum, vel uti possessores beneficii manualis; in utroque tamen casu semper in illam sententiam deveniendum esse videtur, quae tenet, Episcopos posse ad nutum eos a munere obeundo amovere. Quum ab huiusmodi remotionibus canonica forma et iudiciarius ordo exulet, quia haec nonnisi in remotionibus illarum paroeciarum exigitur, quae titulo perpetuo conferuntur, perperam Parochus, qui titulo

(l) Habes eiusmodi quaestionem, iam relatam Vol. XI pag. 382.

precario paroeciam possidebat, quaerimonias attollit contra amoventem.

Ne tamen hac in re videatur sequutum fuisse tantum summum ius, plures in themate causae praesto sunt, quae Parochum a reintegratione in Paroeciam excludunt: quarum prima est reluctantia monitis et praeceptis sui Antistitis. Iusserat iste ut Parochus post emissam renuciationem, locum paroeciae derelinqueret; ast incassum, quinimo suum inibi constituit domicilium. Ulterius animadvertendum est, quod Parochus L. pollet ingenio turbulento et ad contentiones pernimium prodivi. Hinc pluries exortae sunt lites et discordiae modo cum auctoritatibus localibus, modo cum consiliariis Fabricae: ita ut quaerelae et recursus contra ipsum fere undique erumperent. Ad quae avertenda incommoda nequicquam profuit prudens et sanum Praelati consilium, eum in plures Paroecias transferendi, semper enim idem permansit. Altera vero causa ad eum removendum suppedifatur in nimia facilitate ad contrahendum aes alienum, quo iam invenitur praegravatum.

Omnibus igitur rite perpensis EE. PP. iudicio remissum fuit decernere quonam responso dimittendum esset

Dubium

An sit locus reintegrationi in casu.

RESOLUTIO. Sacra Cong. Concilii, re discussa sub diebus **24** Aprilis et **29** Maii **1880**, censuit respondere: « *Negative* » **(1)**.

(1) Pro deductionibus, de more faciendis, confer quaestionem, huic similem iam relatam Vol. XI pag. 382 har. ephem. quoad alia confer sequentem appendicem pag. 181.

TRANSLATIONIS, SUSPENSIONIS, EXPULSIONIS, DAMNORUM ATQUE EXPENSARUM.

Die 11 Decembris 1880

COMPENDIUM FACTI. Sacerdos Ioannes anno **1876** a proprio Episcopo praepositus fuit paraeciae, quae in succursalem haud erecta, sed dismembrata fuerat ab alia maiori paroecia, posita in Insula Borbonica, sub ditione civilis gubernii Gallici.

Aliqua enata iurgii causa inter sacerdotem Ioannem, et Syndicum propter politicas electiones loci illius, Sacerdos, inconsulto Episcopo, adversus Syndicum typis edidit ac promulgavit famosum libellum. Hinc irae adeo exarserunt, ut res in forum contentiosum penes laicum tribunal deducta fuerit; et sacerdos Ioannes in prima et secunda instantia, inimicam tulit sententiam. Episcopus tunc removit Ioannem, eumque constituit Vice-parochum, sub dependentia Parochi titularis. Obedientiam recusavit presbyter; at Episcopus eidem peremptorium praefixit terminum, ad capiendam novae paraeciae possessionem; quo inutiliter elapso, ad graviores poenas infligendas se processurum declaravit. Tunc obtemperavit Ioannes, sed inter ipsum et parochum titularem dissensiones et controversiae exortae sunt. Operam deinde suam praestitit ut ederetur famosus libellus contra Episcopum, a quodam perdito Sacerdote, in quo, praeter alia, remotio narratur eiusdem sacerdotis Ioannis.

Insuper Antistes depositiones recepit duarum mulierum, quarum altera testata est, nedum presbyterum Ioannem cum ipsa turpem relationem habuisse, sed etiam in confessione eam sollicitasse; altera vero se pluries cum eodem contra sextum peccasse.. Hisce omnibus de causis die **20** Iulii **1879,** contra dictum sacerdotem Episcopus sententiam *ex informata conscientia* tulit, qua titulo vicarii, et omni .ecclesia-

stica iurisdictione eumdem privavit. Et quum civile gubernium decrevisset numerum clericorum Insulae Borbonicae imminuere, Antistes, arrepta occasione, petiit et obtinuit, ut idem presbyter e clero dioecesis expungeretur, et in Galliam asportaretur.

Sacerdos hisce omnibus se gravatum persentiens, appellationem apud S. C. Congregationem interposuit.

Disceptatio SynoptSea.

DEFENSIO EPISCOPI. Animadvertendum est, ait defensor, agi in themate non de Parocho titulari, proprie dicto, sed de vicario amovibili ad nutum Episcopi. Hinc iure suo usum fuisse Ordinarium, deduci posse videtur, quando transtulit de Paroecia ad vicariam , sacerdotem Ioannem. Eiusmodi enim Parochi considerari possunt vel uti Vicarii amovibiles ad nutum Episcopi, vel tamquam possessores beneficii manualis. Et in utraque hypothesi retineri potest, valere Episcopum eos removere pro lubitu: neque teneri ad canonicam formam, et iudiciarium ordinem servandum: id enim respicit parochos proprie dictos.

In themate Episcopum egisse arbitrarie et nulla ratione motum dici nequit: sacerdos enim Ioannes ingenio turbulento et ad contentiones prodivi pollet ; quo ductus nedum ss. canones offendit, sed ipsas synodales constitutiones, edendo in vulgus libellum famosum adversus Syndicum. Ex quo factum est ut talis inimicitia, tale odium inter eosdem exarserit, cum fidelium scandalo, et publicae tranquillitatis perturbatione, quod nullo modo sedandum fore sperari poterat. Hinc si poena remotionis multatus fuit, non arbitrarie et sine causa, sed quia, spretis Episcopi mandatis, inobedienter constanter se gessit Ioannes: et quia bonum animarum id exposcere omnino visum est.

Adiecit autem Episcopus, notandum quoque esse, sacerdotes qui Insulam adeunt Borbonicam non videri mancipatus Dioecesi per veram et proprie dictam incardinationem,

sed missionariis accensendus esse, qui Galliam relinquunt ut ad missiones se conferant, indeque pro suo lubitu discedunt ut iterum in patriam revertantur. Quapropter Episcopus, iustis innixus causis, removendo presbyterum Ioannem, iure usus est proprio.Ideo ad damna resarcienda haud teneri videtur, quia iniuria eadem non intulit. Etenim si quid aut iure factum sit, aut iure omissum, etsi detrimentum hinc alteri obvenerit, nulla tamen est damni quaerela, quia nemo damnum dedisse intelligitur, *nisi qui id facit quod facere ius non habet; I. 151 ff. de reg. iur.*

DEFENSIO SACERDOTIS. Haud omittendum est, decretum remotionis ab officio parochiali, ipso iure nullum esse, quia editum fuit absque citatione partis adversae. Et posita in iure inamovibilitate parochi, neque coercitio ad tempus, neque totalis privatio valet infligi, nisi trina canonica monitione praemissa, aut una pro tribus. Neque obiici potest agi in themate de parocho amovibili ad nutum; etenim in Gallia ad officium parochiale eliguntur *quos ecclesiae canones requirunt.* Quum autem electi fuerint, institutio canonica eisdem tribuitur, absque ulla distinctione inter parochos regionarios et subsidiarios.

Hisce positis ad tramites iuris erat procedendum adversus presbyterum Ioannem. Admisso etiam quod Episcopi decretum sustineatur, eius sententia ex informata conscientia infirmanda videtur. Etenim etsi liceat *eoo Trid. Sess. 14 cap. 1 de ref.* hanc infligere suspensionem, tamen non protenditur ad privationem iurisdictionis, sed limitatur ad suspensionem ab ordinis exercitio et ascensu ad maiores ordines.

Praeterea videtur Episcopus nimis faciles aures praebuisse duarum muliercularum depositionibus. Quas omnino inter atroces calumnias amandandas esse, ex litteris ipsius Vicarii Generalis, ultimo datis, eruitur.. Iste enim qui accusationem receperat, confitetur in eisdem litteris, mulierculam, de qua in casu, plus anima quam corpore nigram, testatam esse se falso alium confessarium de sollicitatione accusasse. Ex

Telatis a sacerdote circumstantiis eruitur, calumniosam pariter esse alteram accusationem, de cuius veritate, praeter depositionem accusationis mulierculae, nulla affertur probatio.

Quibus utrinque praeiactis, sequentia resolvenda proposita fuerunt

Dubia.

I. *An decreta et sententia Episcopi sustineantur in casu.*

Et quatenus negative.

II. *An sit locus emendationi damnorum atque refectioni expensarum in casu.*

RESOLUTIO. S. C. O. re perpensa sub die **11** Decembris **1880** respondit: Ad I. *Quoad remotionem a paroecia... affirmative; quoad reliqua negative.* Ad II. *Non esse interloquendum.*

APPENDIX II.

Quoad Ecclesias Succursales in Gallia post Concordatum anni 1801.

Quum superfluum nobis visum fuerit colligere deductiones de more in praecedentibus quaestionibus, quae cum aliis buius generis strictam habent analogiam, quasque saepe in ephemeride retulimus, ad alia animum applicuimus nostrum. Et, nisi nostra nos fefellit opinio , arbitrati sumus haud confecturos operam omni prorsus utilitate vacuam, si lectoribus exhiberemus aliquam notitiam quoad succursales G-allia-**Tum** paroecias, quarum rectores, auctorante tantum civili potestate, amovibiles sunt ad nutum Ordinariorum.

Napoleo primus G-allicanae Reipublicae Consul, concupivit, inter alia quamplurima, novam peragere Dioecesium totius Reipublicae circumscriptionem. Ausus a Sede Apostolica id exposcere, obtinuit; quia etiam Romae ardens fovebatur votum instaurandae, meliori quo fieri posset modo, ecclesiasticae disciplinae. Corruperant istam ius gallicanum.

et furens rebellio quae a plurimis annis omnia humana et divina sus deque everterat in Gallia. Longas hinc post difficultates, celebre inter Apostolicam Sedem primumque Reipublicae Consulem, concinnatum fuit Concordatum diei 15 Iulii 180.1. Qua de re Summus Pontifex Pius VII petiit, ut Episcopi Galliarum omnes proprium resignarent titulum; eo consilio ut vacantes ecclesias posset supprimere, novasque erigere, deque novis pastoribus easdem providere. Renuerunt primo resignationem emittere trigintaquatuor Episcopi, negantes hoc suppressionis peragendae ius Romano competere Pontifici. Ex eis tamen quatuor tantum in oppositione permanserunt. (1)

Quum tamen Pontifex constituisset se operam daturum suppressioni, invitis quoque Episcopis, per Bullam ***Ecclesia Christi*** diei 18 Septembris 1801 ratum habuit Concordatum: per Bullam ***Qui Christi Domini*** omnes Galliarum suppressit Ecclesias, erexit sexaginta novas, et Cardinali Caprara, ***Legato a latere,*** totum commisit negocium rerum ordinandarum ex dicta Bulla et ex Concordato. Legatus a latere ad sibi commissa rite exequenda edidit decretum ***Cum Sanctissimus*** die 9 Aprilis 1802; quod perpetuo consulendum est ad cognoscendum ius, nunc in Gallia vigens, quoad quamplurima. Edidit quoque idem Caprara aliud decretum pro festorum reductione.

Praemonendum quoque est, citata Apostolicae Sedis documenta de unica paroeciarum specie, erigendarum in novis Dioecesibus mentionem facere; de illis scilicet paroeciis, quibus, ex Concordato, solvenda erat a Gubernio decens ad sustentationem pensio. Habet enim Concordatum ***art. 9 a*** Epi-
D scopi, in sua quisque Dioecesi,
» novas paroecias circumscribent;
v quae circumscriptio suum non
n sortietur effectum, nisi post-
n quam gubernii consensus ac-
n cesserit, »

Et ***art. 10 u*** Iidem Episcopi
n ad Paroecias nominabunt; nec
n personas seligent, nisi gubernio
n acceptas. » ***Et articulo 14 u*** Gru-
» bernium Gallicanae reipublicae
n in se recipit, tum Episcoporum,
r> tum parochorum, quorum dioe-
» ceses atque paroecias nova cir-
» cumscriptio complectetur, su-
» stentationem, quae cuiusque
n statum deceat. »

In Bulla ***Ecclesia Christi*** Pius VII decrevit: ***u*** Constitutis
» dioecesibus, cum omnino ne-
n cesse sit limites etiam paroe-

(1) Nisi Episcopi, iure gallicano imbuti, sibi contradixissent, nedum obstare, iuxta eorumdem principia, sed pro viribus sese opponere suppressioni ex conscientia debuissent, ceu aliquis ex eis ait, ad vitandas intrusiones et schismata. Hinc Dei misericordia quatuor solummodo permanserunt rebelles R. Pontifici.

» ciarum constitui, earum cir-
» conscriptionem ab Episcopis
» fieri volumus ; quae tamen cir-
» cumscriptio suum non sortietur
» effectum, nisi postquam guber-
» nii consensus accesserit. Ius
» nominandi parochos ad Episco-
» pos pertinebit; qui tamen per-
» sonas non seligent, nisi iis
» dotibus instructas, quas Eccle-
» siae canones requirunt, atque
» (ut tranquillitas eo magis in
» tuto sit) gubernio acceptas. »

Eadem est mens quoad unicam paroeciarum speciem in Bulla *Qui Christi Domini* et in decreto executoriali Cardinalis Caprara. Verumtamen primus reipublicae Consul Napoleo , qui multa in Concordato conficiendo, obtinere iuxta mentem nequiverat a s. Sede, quum dictum publicaret Concordatum, edidit etiam eos articulos (1) qui dicti fuerunt organici. Ex his sese referunt ad institutionem et disciplinam novae paroeciarum speciei, ab ipso Consule excogitatae, articulus 60 « *Il y aura au moins une paruisse par justice de paix. Il sera en outre établi autant de succursales que le besoin pourra l'exiger.* » (2)

Articulus 61 « *Chaque Eveque, de concert avec le Préfet, réglera le nombre et l'étendue de ces succursales. Les plans arrêtés seront soumis au gouvernement, et ne pourront être mis à exécutions sans son autorisation.* »

Articulus 63 « *Les prêtres desservants les succursales sont nommés par les Evêques.* »

Articulus 31 « *Les vicaires et desservants exerceront leur ministère sous la surveillance et la direction des curés. Ils seront approuvés par l'Evêque et révocables par lui.* » (3)

(1) Eiusmodi articuli omni prorsus caruerunt auctoritate; quia Pius VII in Allocutionibus 24 Maii 1802 et 16 Martii 1808 adversus eosdem protestatus est, formiterque declaravit, eos ad Concordatum non pertinere. Iidem articuli declarantur nulli *in iis quae adversantur doctrinae et legibus Ecclesiae,* ab eodem Pio VII per Bullam *Ubi primum,* qua novum iniit Concordatum cum Ludovico XVIII Galliarum Rege.

(2) Gubernium gallicum, ut ex obligatione dotandi parochias novae circumscriptionis, quam in se sumpserat, aerarium publicum minus gravaretur, unam tantum ecclesiam parochialem in qualibet *Iustitia pacis* erigi permisit. Cum tamen iustitiarum pacis extentio, et numerus incolarum, maior esset quam ut unius pastoris cura sufficere posset, aliae insuper Ecclesiae curatae sine dotatione erectae fuerunt, et quarum rectores eleemosynis fidelium sustentari debuerunt, donec pensionem annuam obtinerent. Annua dos maiorum paroeciarum in libellis 1500,00, dos autem succursalium constituta fuit in libellis 1000,00.

(3) (Versio latina quatuor articulorum.) *Articulus 60.* Constituetur una saltem paroecia *pro iustitia pacis.* Tot praeterea constituentur succursales, quot necessitas expetere poterit.

Igitur institutae revera fuerunt paroeciae duplicis speciei; quae non tantum nomine, sed et conditione ab invicem discrepant. Differunt ***nomine*** quia primae appellatae fuerunt ***Paroisses*** seu paroeciae maiores ; aliae autem dictae fuerunt ***Succursales,*** seu paroeciae minores. Differunt ***conditione,*** quia rectores Succursalium nominantur et revocantur ab Episcopis ad nutum; dum Rectores paroeciarum maiorum revocari ab Episcopis nequeunt, nisi praevio processu canonico. Exigit gubernium quod Rectores inamovibiles eligi nequeant nisi sibi fuerint accepti ; id autem non expetit quoad succursalium rectores.

Est autem publicae notorietatis factum, articulum sexagesimum executioni amandatum fuisse: et usque ab initio , nedum Gubernium, sed Episcopos quoque habuisse ceu inamovibiles rectores paroeciarum maiorum, ceu amovibiles autem rectores succursalium. Quae disciplina constanter permansit, et adhuc permanet.

Superfluum heic adnotare videretur eiusmodi statuta relate ad paroecias, haud vim legis habere; ex quo a sola potestate laica excogitata, lataque fuerint. Nam ut isti articuli organici haberi possent ceu fons novi iuris gallici, deberent vel per se vel per consensum Summi Pontificis, et Episcoporum habere vim legis ecclesiasticae. Ast hisce omnino destituuntur requisitis; quia lati fuerunt, ceu innuimus, a sola potestate laica; dum aliunde certum sit quod ius ecclesiasticum constat legibus, seu consuetudinibus , auctoritate ecclesiastica firmatis. Destituuntur Summi Pontificis consensu, vel expresso vel tacito. Defuit eisdem consensus expressus; quia ut retulimus in nota 1 pag. 183 Pius VII semel ac iterum protestatus est, se haud admisisse aut cognovisse eiusmodi articulos. Defuit consensus tacitus quoque ; nam praeterquamquod saepe Apostolica Sedes suas iteravit protestationes; ut ex silentio superioris oriatur ius contra ipsius leges, idem Superior constitui debet in plena libertate vel tolerandi vel irritandi quae adversus leges suas fiunt. Et censebitur consentire si cognoscens actus contrarios et valens impedire per expressam prohibitionem, illos nihilominus tacendo dissi mulet. At vero si non possit impedire, vio-

Art. 61. **Episcopus quilibet, audito Praefecto, moderabitur numerum et extensionem istarum succursalium. Pactae conventiones Gubernio subicientur, neque ad actum ferri poterunt, absque istius assensu.**

Art. 63. **Presbyteri rectores succursalium nominantur ab Episcopo.**

Art. 31. **Vicarii et deservitores, proprium exercebunt ministerium sub** *tutela* **et directione parochorum. Approbabuntur ab Episcopo, et ab eo revocabuntur.**

lentiam patitur, et tacendo minime consentire censendus est. Iam vero neminem latet non esse in potestate Summi Pontificis aut Episcoporum, mutare, aut irritare aut supprimere decreta, decisiones et ordinationes civilis potestatis quoad res ecclesiasticas, si illas approbare nequeant; ideoque ex regulis iuris non est supponenda consensus.

Quibus praemissis, quaestionem repetentes, colligere est; disciplinam revocabilitatis ad nutum Episcoporum illegitime inductam fuisse. Neque huic inductioni obstaculum facit, Episcopos fuisse harum paroeciarum fundatores; nam isti ex delegatione Pii VII erexerunt novas paroecias, limites unicuique circumscribendo, sed dotem ex propriis censibus haud assignarunt. Et ideo manualitatis seu revocabilitatis ad nutum conditioni subiicere nequiverunt novas paroecias, ex titulo fundationis; quum eisdem ab ipso Pio VII assignatae fuerint, dotis instar, pensiones ex conventione a Gubernio solvendae (1). Neque omittendum est quod idem Pontifex omnino siluerit quoad manualità tem, cum Episcopos delegavit ad novas ecclesias erigendas et circumscribendas. Quapropter retinendum est ex hac delegatione Summi Pontificis, exclusam omnino fuisse potestatem constituendi manuales ecclesias. Ex iure enim communi constat, beneficium curatum saeculare censendum esse perpetuum, quoties de contrario non innotescat liquidis argumentis.

Verumtamen si modo illegitimo, huiusmodi disciplina revocabilitatis ad nutum, quoad quam plurimas ecclesias Galliarum inducta fuit, hodie uti legitima haberi debet, donec aliter statuat, Apostolica Sedes, uti inferius videbimus. Unde quidquid sit de quaestione, an antea potuerint vel etiam debuerint disciplinam istam derelinquere, hodie tamen certum est, Episcopis non competere potestatem illam immutandi; eo quod Apostolica Sedes, per responsa, recenter tradita, hanc sibi reservavit potestatem.

Conqueri iam coeperant succursalium rectores quod Episcopi nondum abrogarent disciplinam revocationis ad nutum. Et iam ad ipsum civile gubernium porrecti plures fuerant supplices libelli ad hoc , ut articuli organici infirmarentur in ea parte, qua consti-

(1) eque gubernium Reipublicae potuit vindicare sibi titulum patronatus: nam dotes quas dare constituit novis paroeciis, haud ex patrimonio gubernii desumptae fuerunt, sed ex patrimonio ecclesiastico, quod idem gubernium abripuit et declaravit *nationale.* Hinc novae paroeciae, ex Concordato erigendae, forsan dictae sunt paroeciae *iustitiae pacis ;* quia tali modo gubernium ex iustitia aliquid restituit Ecclesiae, eorumdem subsistentiae consulens, pro *pace* et tranquillitate fidelium.

tuunt amovibilitatem quampluri-marum paroeciarum in Gallia (1). Supplices haud despexit libellos gubernium; et de hoc litteras circulares dedit ad omnes Episcopos, eorumdem exposcendo sententiam. Tunc Archiepiscopus Burdigalensis certiorem reddidit s. Sedem de responso, civili gubernio dato. Episcopus vero Rupellensis instructionem quaesivit a s. C. Concilii circa responsum dandum. Atque insimul ad s. Sedem misit duorum theologorum scripta; quorum alter pro amovibilitate, alter vero pro inamovibilitate pugnavit.

Rationum momenta serio perpendit s. Congr. Concilii in comitiis diei 21 Martii 1844, sed quaestionem non resolvit, habens prae oculis conditionem Ecclesiae, relate ad Galliarum gubernium. Et re quidem vera immutatio succursalium in paroecias perpetuas, inibi locum habere nequivisset absque gubernii civilis interventu; quod facili modo sibi vindicaret eadem iura quae in aliis obtinuit. Haec igitur immutatio fieri nequivisset, quin ecclesiae independentia graviter laederetur. Huic, aliisque innixa gravibus causis s. C. Concilii insolutam quaestionem reliquit. Eadem tamen, probante Pontifice Gregorio XVI, iussit Emum Praefectum litteras dare ad Ep. Rupellensem, quibus educeretur de suspensione iudicii, et certior fieret, s. Sedem cupere, ut Episcopi moderatione uterentur et charitate erga rectores succursalium, neque eos removerent absque aliqua gravi causa. Hae litterae tamen, latet qua de causa, numquam missae fuerunt ab Emo Praefecto eiusdem s. Congregationis.

Interea temporis Episcopus Leodiensis (2) anno 1845 eamdem quaestionem s. Sedi proposuit, sub forma casus conscientiae: nempe quaesivit an rectores succursalium paroeciarum obedire obstringantur quando Episcopus illos revocat aut transfert. En eius verba, « Beatissime Pater. Infrascriptus Episcopus Leodiensis, omni qua decet veneratione, » petit, ut examinetur sequens » dubium, sibique, pro conservanda in dioecesi unitate inter » clericos, et Ecclesiae pace, » communicetur solutio: An attentis praesentium rerum circumstantiis, in regionibus, in » quibus, ut in Belgio, sufficiens » legum civilium fieri non potuit » immutatio, valeat et in conscientia obliget, usque ad aliam

(1) Relatum fuit illa in occasione, paroecias succursales totius Galliae fuisse 28,822, paroecias titulares vero 3315.

(2) In ditionibus Belgii, Sabaudiae, et Genevae adhuc eaedem servantur distinctiones inter curatos perpetuos et amovibiles, quae habebantur tempore quo legiones hae sub Galliae gubernio continebantur.

» s. Sedis dispositionem, disci- » plina inducta post Concordatum *n* anni 1801, ex qua Episcopi » iurisdictionem pro cura anima- » rum conferre solent, ad nutum 7> revocabilem, et illi si revo- » centur, et alio mittantur, te- ?7 neantur obedire. Ceterum Epi- » scopi hac rectores revocandi ;? vel transferendi auctoritate, *n* haud frequenter, et nonnisi » prudenter uti solent, adeo ut » sacri ministerii stabilitati, » quantum fieri potest, ex hisce » rerum adiunctis , satis con-. *r*> sui tum videatur. »

Ex audientia Sanctissimi diei 1 Maii 1845. ***u Sanctissimus D. N. universa rei, de qua in precibus, ratione mature perpensa, gravibusque ex causis animum suum moventibus, referente infrascripto Cardinali s. Congre, gationis Concilii Praefecto, benigne annuit, ut in regimine ecclesiarum succursalium, de quibus agitur, nulla immutatio fiat donec aliter a s. Apostolica Sede statutum fuerit.*** » (Lib. dec. 188 pag. 190 Cardinalis Polidorius Praefectus)

Quaestio huiusmodi iterum agitata fuit anno .1864 apud s. Sedem ad petitionem Episcopi Ebroicensis, qui opusculum damnaverat, cui tituls - ***Réhabilitation du desservant,*** exaratum a Sacerdote v Dagomer. Summus Pontifex Pius IX quaestionem hanc concredidit sacrae Congregationi Ep. et Reg. cuius Secretarius curavit, ut in subiecta materia concinnaretur elaborata et doctissima consultatio a perillustri viro; quae reapse omnibus numeris absoluta fuit.

Gravi studio iterum re perpensa ab Emis Patribus, sequens datum fuit rescriptum Episcopo Ebroicensi.

... Pai'ticularis Congregàtio habita fuit sub die 1 Septembris nuper elapsi; ac Sanctissimus D. N. in audientia diei 2 insequentis, audita relatione infrascripti pro-Secretarii eiusdem s. Congregationis Ep. et Reg. et voto EE. et RR. Patrum, Amplitudini tuae rescribi mandavit : Opusculum a Sacerdote Dagomer redactum ac in lucem editum, cui titulus - Réhabilitation du desservant, ***esse reprobandam', tum quia praememoratus Sacerdos, nequidem legibus dioecesanis, et concilii provincialis Rothomagensis in illo edendo obtemperavit; tum quia Episcopos incusare veritus non sit, ac si absque probabili causa parochos amovibiles, vulgo*** desservants ***transferre incaute soleant; tum demum quia iudicis sibi partes occupaverit in quaestione s. Sedi reservata; ad quam delata alias fuit, ac praesertim quoad parochos amovibiles regni Belgici, sub pontificatu s. memoriae Gregorii XVI ; qui per s. Concilii Congregationem die***

i Maii 1845, responsum super eadem Episcopo Leodiensi dedit.. Homae 5 Octobris 1864. (A. Cardinalis Quaglia Praefectus-Svegliati pro-Secretarius.)

Ex quibus responsis Summorum. Pontificum Gregorii XVI et Pii IX facile ergo colligitur, ut superius innuimus, disciplinam revocabilitatis ad nutum hodie legitimam «sse, et omnino continuandam. Dicitur enim in responso Gregorii XVI: ***Sanctissimus.... benigne annuit, ut in regimine ecclesiarum succursalium.. nulla immutatio fiat, donec aliter a sancta Apostolica Sede statutum fuerit.*** Et ideo nunc neque Episcopis licet eam deserere, et rectores succursalium obedire in conscientia obligantur cum removeantur a respectivis Ordinariis. Qui aliunde censendi sunt id facere, ceu Episcopus Leodiensis in supplici libello exposuit, ***nisi raro, prudenter ac paterne.***

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

DECRETUM

Homana seu Ianuen. Canonizationis Beati Ioannis Baptistae De Rubeis Confessoris Canonici Basilicae Collegiatae Sanctae Mariae in Cosmedin.

SUPER DUBIO

M An, stante approbatione duorum Miraculorum post indultam ab Apostolica Sede eidem Beato venerationem, Tuto procedi possit ad solemnem ipsius Canonizationem? »

Beatus Ioannes Baptista De Rubeis evangelici ministri praeclarum exemplar anteacto saeculo in Urbe praefulsit. Omnibus equidem omnia factus in id solum perquam studiose semper incubuit, ut animarum saluti consuleret. Impiger, festinus, infatigabilis, rudes praesertim, vagosque mendicos indefessa patientia ad religionem informa vit, Sacramentorum frequentia in viam salutis adduxit, et quamplures animas suae caritatis industria lucratus est. Fidelissimum porro Evangelii operarium, qui in excolendo Dominico agro

tantopere insudaverat, Deus mirabilibus illustravit portentis, quae, eo intercessore, evenerunt paulo post Beatificationis eius solemnia. Quae, ut moris est, maturo discussa examine, in Sacrorum Rituum Congregatione Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII decimonono Kalendas Ianuarii anno MDCCCLXXIX solemni Decreto approbavit.

Antequam vero Beatus Ioannes Baptista De Rubeis publico cultu Sanctis debito honoretur, iuxta sacri huius fori statuta inquirendum est; an Tuto procedi possit ad eiusdem Canonizationem. Eapropter in generalibus Sacrorum Rituum Congregationis comitiis coram Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII habitis octavo* idus Martii huius anni, proposito Dubio « *An stante approbatione duorum Miraculorum post indultam a Sede Apostolica venera- ionem, Tuto procedi possit ad solemnem Beati Ioannis Baptistae De Rubeis Canonizationem ?* ***n*** Reverendissimi Cardinales Sacris tuendis Ritibus praepositi, et Patres Consultores unanimi suffragia Tuto fieri posse responderunt. Summus itaque Pontifex, in spiritu humilitatis divino lumine iterum implorato, ac ratus, quod Beatus Ioannes De Rubeis in hodiernis Ecclesiae tribulationibus eo validius pacem sit impetraturus in caelis, quo eiusdem gloria augeretur in terris, Sacrae Congregationis votum confirmare constituit. Ideoque quarta Quadragesimae Dominica salutari Hostia ferventer oblata, ad Yaticanas aedes accivit Reverendissimum Cardinalem Dominicum Bartolini Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum, et Reverendissimum Cardinalem Miecislaum Ledochowski, Causae Relatorem, nec non R. P. Laurentium Salvati, Sanctae Fidei Promotorem, et infrascriptum Secretarium, iisque adstantibus declaravit ***u*** *Tuto procedi posse ad solemnem Beati Ioannis Baptistae* ***De*** *Rubeis Canonizationem ».*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri, in Acta Sacrorum Rituum Congregationis -referri, Litterasque Apostolicas sub plumbode Canonizationis solemniis celebrandis expediri mandavit sexto Kalendas Aprilis anno MDCCCLXXXI.

D. **CARD. BARTOLINIUS** S. R. C. **PRAEFECTUS.**

Loco^Sigilli

Placidus Ratti ***S.*** *R. C.* ***Secretarius****

DECRETUM

Brundusina. Canonizationis Beati Laurentii a Brundusio Sacerdotis professi Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum.

SUPER DUBIO

u An, et de quibus Miraculis constet in casu et ad affectum de quo agitur ? *n*

Celebriores inter Sodales, quibus Franciscalis Capulatorum familia merito gloriatur, tum vitae sanctitate, tum apostolici ministerii laboribus, tum scientia, et ecclesiasticae dignitatis muneribus adcensendus equidem est Beatus Laurentius a Brundusio. Hic enim accuratissima disciplinae observantia, evangelicae paupertatis amore, et christianae perfectionis studio maximam apud confratres auctoritatem nactus est; eo vel magis quod omnigena doctrina, alacris ingenii acumine, et in rebus gerendis singulari praestaret perspicacia. Ad prima ideo instituti munera provectus, ea summa prudentia in omnium exemplum, ac parem religiosae familiae utilitatem administravit. Tantam profecto virtutem et in rebus agendis dexteritatem , animique fortitudinem Summi Pontifices perspicientes, gravissima eidem et perquam implicita Ecclesiae negotia expedienda commiserunt. In Germaniam primo, et Bohemiana a Clemente VIII. missus est, ut haereticis obsisteret: quod plurimis exantlatis laboribus et periculis in Deo tantum confidens, est feliciter assecutus, exemplo praecipue austeritatis vitae, disertisque concionibus, quibus plurimos haereticos in Ecclesiae Catholicae sinum reduxit, et fidem in populis languentem roboravit, pietatem excitavit: vere potens opere et sermone. Subinde a Paulo V in Hispaniam legatus ad Regem mittitur, ubi foedus et societatem inter Germanos Principes adversus debacchantem haeresim mira dexteritate firmavit. Invicta porro animi constantia, et superno adiutus lumine, ita de re christiana optime meritus ad suum reversus Coenobium in spiritus humilitate, orationi assidue vaca vit, et corpus suum castigans, singulis confratribus virtutum potius et obedientiae regularis exemplo, quam auctoritate praeibat. Quamvis vero tot tantisque

legationibus et peregrinationibus defatigatus, et infirmitatibus detritus, iterum ad Hispaniae Regem legatus mittitur; cumque caritate, qua in Deum et proximum urgebatur, se totum Ecclesiae servituti devovisset, etsi divinitus imminentis mortis praescius , longum in Lusitaniam iter aggreditur; sed ubi in principem regni urbem advenit, gravi corripitur morbo, quo ad supremum adductus diem, laeto animo, hilarique vultu obdormivit in Domino, anno MDCXIX die vicesimasecunda Iulii.

Operosum autem nunc, inconfusum strenuumque christianae reipublicae ministrum tum regularis disciplinae observantia, tum virtutum perfectione, tum miraculorum testimonio insignem anno MDCCLXXXIII die prima Iunii sa: me: Pius Papa VI solemni decreto Beatorum albo adscripsit.

Franciscalium Capulatorum familia de tanti Sodalis gloria merito sollicita, ut pro temporum vicibus licuit, super miracula, Beato Laurentio intercedente patrata, post indultam eidem venerationem, Apostolicos Processus confici curavit; eorumque agnita validitas est quinto Kalendas Octobris MDCCCLXXIII. Actum deinde est de duobus propositis miraculis; et primo quidem quinto Idus Ianuarii anno ÏJPCCCLXXVII in aedibus Rmi Card. Aloisii Bilio Episcopi Sabinensis Causae Relatoris. Discussa iterum fuere miracula in Praeparatoria Congregatione in aedibus Vaticanis anno JVIDCCCLXXVIII. decimo tertio Kalendas Septembris. In generalibus demum Comitiis coram Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII in Vaticano habitis decimoséptimo Kalendas Ianuarii anno MDCCCLXXIX a praefato Rmo Cardinale Aloisio Bilio Causae Relatore propositum fuit dubium ***u An, et de quibus Miraculis constet in casu et ad » effectum de quo agitur f*** » Suffragium autem super proposito Dubio protulerunt Rmi Cardinales Sacris Ritibus tuendis praepositi, ac singuli Patres Consultores. Iisque auditis, Sanctissimus Dominus Noster, antequam mentis suae oraculum pronunciaret, hortatus est omnes, ut in gravissimo huius rei iudicio divini luminis gratiam incessanter deprecarentur.

Implorata tandem caelesti Spiritus illustratione, Sanctitas Sua hac Dominica infra Octavam Nativitatis Deiparae eiusdemque Nomini sacra in aulam Vaticani Palatii nobiliorem accivit Rmum Card. Camillum Di Pietro Episcopum Ostien. et Veliternen. et Sacri Collegii Decanum pro Rmo Card. Dominico Bartolini Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, Urbe absente, et Rmum Card. Aloisium. Bilio Episcopum Sabinensem Causae Relatorem una cum R. P. Lau-

rentio Salvati, Sanctae Fidei Promotore, meque infrascripto eiusdem Sacrae Congregationis Secretario, iisque astantibus decrevit ***u Constare de' duobus Miraculis in tertio genere,*** scilicet: ***Instantaneae perfectaeque sanationis pueri Petri Pauli Friggcri ab incurabili tumore albo in genu sinistro cum carie ossium;*** nec non: ***Instantaneae perfectaeque sanationis Mariae Angelae Salat et Trull a maligna et diuturna dermatosi cum pustulis ecthymatosis in toto corpore, praesertim ad crura confluentibus, et infirmae cachexia ».***

Praeterea idem Sanctissimus Dominus Noster, ex specialibus circumstantiis animum suum moventibus nec unquam in exemplum adducendis, dispensando a consueta propositione postremi dubii, sancivit : ***Stante approbatione duorum Miraculorum post indultam venerationem, Tuto deveniri posse ad solemnem Beati Laurentii a Brundusio Canonizationem.***

Hoc autem Decretum publici iuris fieri, in Sacrae Rituum Congregationis acta referri, litterasque Apostolicas sub plumbo de solemniis Canonizationis quandocumque celebrandis expediri mandavit tertio Idus Septembris anni MDCCCLXXXL

Pro Enio et Rmo **Dno**

CARD. DOMINICO BARTOLINI S. R. **C.** Praefecto

Camillas Card. DI PIETRO
Episcopus Ostien. et Veliternen.

LocoQjsSigilli

Placidus Malli S. R. C. Secretarius.

MONITUM. Decretum quod respicit solemnem canonizationem b. Benedicti Iosephi Labre adest Vol. VII p. 204. Fasciculo proximo dabimus Decretum b. Clarae a Cruce de Montefalco.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

DE CONSISTORIO HABITO DIE 18 NOVEMBRIS 1881

Sanctissimus Pater, quum Emus Cardinalis Mertel optavisset Diaconiam s. Mariae in Via Lata, dimissa illa s. Eustachi^ sequentes proposuit Ecclesias:

PATRIARCHATUM INDIARUM OCCIDENTALIUM, vacan, per translationem ad metropolitanam Sedem Caesarau.gu.stan. Emi ac Rmi Domini Francisci de Paula, Titulo s. Thomae inParione,S. R. E. Presbyteri Cardinalis Benavides et Navarrete, favore R. P. D. Josephi Moreno et Mazon, nuper Episcopi Conchensis in Hispanus, ad praesentationem Serenissimi Regis Catholicis

METROPOLITANAM ECCLESIAM URBINATEN. vacan, per obitum bo. me. Alexandri Angeloni, ultimi illius Archipraesulis extra romanam curiam defuncti, favore R. P. Fr. Antonii Mariae Pettinari ex Ordine minorum Observantium s. Francisci, hactenus Episcopi Nucèrini, qui ad eamdem Urbinaten. Ecclesiam ex benignitate SANCTITATIS SUAE translatus fuit.

METROPOLITANAM ECCLESIAM VALLISOLETAÑ. vacan, per obitum bo. me. Ferdinandi Blanco et Lorenzo ultimi illius Archipraesulis, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Benedicti Sans et Forés, hactenus Episcopi Ovetensis ; qui ad eamdem Vallisoletañ. Ecclesiam ex benignitate SANCTITATIS SUAE promotus fuit, ad praesentationem Serenissimi Regis Catholici.

ARCHIEPISCOPALEM ECCLESIAM THESSALONICEN. in partibus infidelium vacan, per assignationem Tituli s. Mariae de Victoria, factam Emo et Rmo Domino Ludovico S. R. **E.** Presbytero

Cardinali Iacobini, favore R. P. D; Ferdinandi Capponi hactenus Episcopi Volaterrani. Qui etiam in Coadiutorem cum futura successione deputatus fuit R. P. D. Pauli Micaleff Archipraesulis Pisani, qui expressum ad hoc praebens consensum, ob suam infirmam valetudinem, alterius indiget ope ad pontificalia, ceteraque pastoralia munia, illa in civitate et archidioecesi salubriter ac fructuose in Domino obeunda.

ECCLESIAM WERHBOSNEN. per Litteras Apostolicas « *Ex hac augusta Principis Apostolorum Cathedra* » datas III Nonas Iulii 1881 a SANCTITATE SUA institutam, Metropolitico honore in Bosnia et Herzegovina ditatam, atque a primaeva erectione sua vacantem, favore R. D. Iosephi Stadler Presbyteri archidioeceseos Zagabriensis.

Urbs Seraium, vulgo *Sarajevo,* in medio pene Bosniensis regionis posita, eiusque princeps, ratione situs et opportunitate loci advenis ac negotiatoribus admodum pervia, maiorem prae aliis civitatibus commoditatem catholicis praebens, ac etiam catholicis Episcopis apud eam urbem in Werhbosnensi oppido hospitam sedem ante actis temporibus exhibens, ex praecitatis Litteris Apostolicis in archiepiscopalem et metropolitanam sedem evecta est, Werhbosnensi ei titulo tributo, ipsamque urbem triginta circiter mille incolunt cives, quorum fere bis mille catholicam religionem profitentur sub hodierno temporali dominio praefati Serenissimi Imperatoris ac Regis. Nulla adest Ecclesia in urbe Seraii, sed tantum Capella neoerecta, atque ex memoratis Apostolicis Litteris Archiepiscopo Werhbosnensi tres erunt Suffraganei Antistites, nempe Banialuoensis, Mandetriensis, qui titulum feret Dumnensis etiam vel Dalminiensis, atque Mercanensis et Tribuniensis, quam Episcopus Ragusinus pro tempore donec aliter provideatur administrabit. Metropolitanum Capitulum erit erigendnm ; cura autem animarum exercetur modo per Patres ordinis Minorum Observantium s. Francisci. Pro Archiepiscopo adest domus. Fructus nondum taxati in Libris Camerae ascendunt ad octo mille llórenos monetae Austriacae. Monasteria virorum,aut mulierum, laicorum sodalitates, hospitalia et mons pietatis desiderantur ; seminarium autem clericorum provinciale erit quamprimum instituendum. Archidioeceseos ambitus latissime pat et, atque sexaginta sex sub se complectitur paroecias.

R. D. Iosephus Stadler, Romae alumnus Collegii Hungarici et Germanici penes universitatem Gregorianam in philosophia et sacra theologia dudum

«doctorali laurea donatus, Zagabriensi clero adscriptus est. In seminario dioecesano, atque lyeeo Archiepiscopali Zagabriense studiorum Praefectus, metaphysicae «t dogmaticae Professor adlectus, apud neoerectam scientiarum universitatem Zagabriensem theologiae fundamentalis Professor hactenus renunciatus est. In notarium iudicii matrimonialis, et in honorarium Consistorii Assessorem assumptus, atque inter prosynodales Examinatores adscitus fuit.

CATHEDRALES ECCLESIAE LUWEN-SARZANEN. AC BRUGNATEN. invicem perpetuo canonice unitas yacan, per obitum bo. me. Iosephi Rosati, ultimi, illarum Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R.P. Fr. Hyacinthi Rossi ex Ordine Praedicatorum s.Dominici, hactenus Episcopi Leucensis in partibus infidelium.

CATHEDRALEM ECCLESIAM NICOSIEN-HERBITEN. nuncupatam vacan, per obitum bo. me. Melchioris Lo Piccolo, postremi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Bernardi Cuzzucli Presbyteri Panormi tani. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Panormi progenitus et in quadragesimo sexto aetatis suae anno constitutus, Presbyteratus ordine et in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus est. Ab Antistite Páctense, a. Secretis assumptus, et Canonicus metropolitanae Panormitanae una simul ac Pro-Synodalis Examinator hucusque renunciatus, atque inter SANCTITATIS SUAE intimos Cubicularios adscitus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM PINB-ROLIEN. vacan, per obitum bo.me. Ioannis Dominici Vassarotti, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Philippi Chiesa, Presbyteri dioeceseos Albensis, qui ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in oppido Montatae-Fangi, ***Monta,*** dioeceseos Albensis progenitus , in secundo, supra quadragesimum aetatis suae,anno constitutus est. Presbyteratus ordine et in sacra theologia doctorali laurea iam donatus, Canonicus-Parochus ad sanctum Ioannem BaptistamAlbae concursu electus, collationum moralium Praefectus, ac dioecesani seminarii Rector, ibique theologiae moralis Professor hucusque effectus est. Inter synodales examinatores adcitus atque ad tertiam Praepositurae dignitatem in Albae Cathedrali ad praesens usque evectus fuit.

CATHEDRALEMECCLESIAMASTEN. vacan, per obitum bo. me. Caroli Savio, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Iosephi Ronco Presbyteri archidioeceseos Taurinensis; qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco Leynici, Taurinensis archidioe-

ceseos progenitus, quinquagesimum sextum aetatis suae annum supergressus est. Presbyteratus ordine et in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, coadiutoris parochialis munere aliquando perfunctus, hucusque paroeciae sanctae Mariae Magdalenae oppidi Villaefranchae ad Padum, Taurinensis archidioecesis Prior ac Vicarius Foraneus, praevio concursu plurimis abhinc annis renunciatus*est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM MONTIS ALBANI, vacan, per obitum bo. me. Theodori Legain, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Adulphi Iosue Friderici Fiardi, Presbyteri Valentinensis dioeceseos, ad nominationem perillustris* Viri Julii Grevy Galliarum Reipublicae Praesidis. R. D. Adulphus Josue Fridericus Fiard ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in oppido, cui vulgo nomen ***Lens-Lestang*** dioecesis Valentinensis progenitus, et in sexagesimo aetatis suae anno constitutus est. A Secretis proprii Antistitis, ad animarum curam dein assumptus, qua Vicarius Curatus, ac etiam qua Parochus in variis patriae dioecesis Ecclesiis, Vicarius hucusque in spiritualibus Generalis pro dioecesi Oranense, eaque in Cathedrali Canonicus renunciatus est.

ECCLESIAM MANDETRIEN. cum ei adnexo titulo Dumnensis etiam vel Dalminiensis per Litteras Apostolicas ***u Ex hac augusta Principis Apostolorum Cathedra*** » datas III Nonas Iulii 1881 a SANCTITATE SUA institutam, Cathedralitatis auctam honore in Herzegovina, atque a primaeva erectione sua vacantem, favore R. P. Fr. Paschalis Buconjic, Ordinis Minorum Observantium s. Francisci, hactenus Antistitis Magidani in partibus infidelium.

Mandetrium, seu Andetrium, vulgo ***Mostar,*** Dalmatiae urbs mediterranea et caput districtus, ad Narentae flumen in Herzegovina sita, amoenitate loci, atque animato commercio prae aliis regionis illius civitatibus commoditatem maiorem incolis praebens, ex praecitatis Apostolicis Litteris ad Cathedralis fastigium evecta est, et ab ultra decem millibus inhabitatur civibus, quorum pars tertia catholicam religionem profitetur sub hodierno temporali dominio Sacrae Caesareae Maiestatis Francisci Iosephi Primi Austriae Imperatoris, Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici. Ut autem in posteris memoria vigeat illustris Cathedrae Dumnensis, ***Duvno***, vel Dalminiensis, unde Dalmatarum nomen, Episcopali quondam dignitate praeditae, ex memoratis Apostolicis Litteris Mandetriensis Antistes titulum etiam praeferet Dulmensis vel Dalmi-

niensis. Praecipuum illius civitatis paroeciale templum ad Cathedralis honorem ex iisdem Apostolicis Litteris evectum est, et Archiepiscopo "Werhbosnensi suffragantur. Cathedrale Capitulum erigendum erit, et animarum cura exercetur modo per Patres Ordinis Minorum Observantium s. Francisci. Domus pro Episcopi habitatione praesto erit. Monasteria virorum aut mulierum, laicorum sodalitates, hospitale ac mons pietatis desiderantur, et clericorum seminarium erit instituendum. Dioeceseos ambitus latissime patet, atque viginti septem sub se complectitur paroecias.

TABASQUEN. ECCLESIAM, in Mexicana ditione a primaeva erectione sua vacantem,favore R. D. Augustini Torres Presbyteri archidioeceseos Mexicanae, qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in oppido, cui vulgo nomen ***Alfajayucan*** Mexicanae archidioceseos progenitus ac tertium supra sexagesimum aetatis suae annum supergressus est. Alumnis Congregationis Presbyterorum s. Vincentii a Paulo olim adscriptus, ac sacro dudum Presbyteratus ordine insignitus, in ecclesiasticis functionibus obeundis sedulo incubuit. Mexicano in seminario grammaticae latinae ac philosophiae Magistrum olim agens, in diversis suae Congregationis collegiis Rectoris, Professoris, atque Superioris munere perfunctus est.

ECCLESIAM TUNQUEN, per sacrae Congregationis Consistorialis decretum ***u Infinitus amor*** » datum die 29 Julii **1880** ex dismembratione archidioeceseos s. Fidei de Bogota in Confoederatione Columbiae a SANCTITATE SUA ad Cathedralis honorem erectam in ditione de Boyacà et a primaeva erectione sua vacantem; favore R. D. Severi Garcia Presbyteri praedictae archidioecesis.

Civicum oppidum Tunquae , ***Tunja,*** caput status de Boyacà in confoederatione Columbiae, salubri in planitie sita, familiarum nobilitate, ac opulento plurimarum rerum commercio prae caeteris illius regionis oppidis praestans, ex praecitato decreto civitatis, sedisque Episcopalis titulo ditata est. Paroeciae templum sub invocatione s. Iacobi Maioris, amplum satis ac decorum, parochialitate ac titulo retentis, ad Cathedralis fastigium ex memorato decreto evectum est, et Archiepiscopo s. Fidei de Bogota suffragantur. * Cathedrale... Capitulum, nondum erectum, duabus constabit dignitatibus, Decano nempe et Thesaurario, duobus Canonicis de Officio, scilicet Poenitentiario ac Theologo, duobus aliis de Mercede et quatuor Capellanis seu Mansionariis. Parochus, inter Canonicos accensendus, animarum curam sicut antea

ipsamet exercet in Cathedrali, uhi nedum fons adest baptismalis atque sacrarium sacra supellectili ad divina obeunda officia, atque ad pontificalia peragenda ditissimo ornatum, verum et chorus praesto est et organum, campanile cum campanis et extra urbem coemeterium. Tres recensentur Tunquae paroeciales Ecclesiae baptismali praeditae fonte, nulla hodie virorum sed bina mulierum monasteria, quaedam publicae utilitatis instituta, nosocomium, collegium, pro utroque sexu scholae, atque seminarium instituendum. Dioeceseos ambitus satis late patet, provincias complectitur vernáculo nomine nuncupatas ***Tunja, Velez, Tundama, Socorro, Casanare,*** atque septingenta animarum millia.

R. D. Severus Garcia ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in paroecia, cui vulgo nomen ***Somondoco*** Tunquensis provinciae, et archidioeceseos s. Eidei de Bogota progenitus et in septuagesimo aetatis suae anno constitutus est. Curae animarum variis in paroeciis aliquando addictus et inter illius archidioeceseos Examinatores pro-synodales adscitus, tum Vicarii in spiritualibus Generalis, atque Gubernatoris munere pro eadem archidioecesi perfunctus, tum ipsa in metropolitana Archidiaconus hucusque renunciatus est.

EPISCOPALEM ECCLESIAM LAMPSACEN. sub Archiepiscopo Cyziceno in partibus infidelium vacanper obitum bo. me. Josephi Crispi, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Josephi Candido Presbyteri Lyciensis ; qui etiam deputatus fuit in Coadiutorem cum futura, successione R. P. Fr. Hyacinthi Mariae Barberi, Ordinis Praedicatorum, Episcopi Neocastrensis-R. D. Josephus Candido ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Aletii progenitus et quadragesimum quartum aetatis suae annum supergressus est.Domi suae privatim, ac publice Technico in Instituto, Lyceo, Gymnasioac Seminario Lyciense mathematicam, physicam, scientias naturales, ac linguam graecam iuvenes successive edocens, orphanotrophii provincialis Praeses adlectus est.

EPISCOPALEM ECCLESIAM DOLICHEN. sub Archiepiscopo Hierapolitan. in partibus infidelium vacan, per obitum bo. me. Joannis Dominici Barbero, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Francisci Mariae Tregaro Presbyteri dioeceseos Venetensis, qui etiam deputatus fuit in Coadiutorem cum futura successione R.P.D. Caroli Friderici Rousselet, Antistitis Sagiensis, accedente adhoc expresso consensu praedicti Sagiensis Episcopi, atque perillustris Viri Julii Grevy Galliarum Reipubli-

cae Praesidis. R. D. Franciscus Maria Tregaro ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in oppido, vulgo nuncupato ***Peillac*** dioeceseos Yenetensis progenitus, quinquagesimum septimum aetatis suae annum supergressus est. Vicarium aliquando agens paroeciae Venetensis dioecesis , et primum Capellanum emeritum classis reipublicae Galliarum, Vicarius hucusque in spiritualibus Generalis Venetensis dioecesis renunciatus est.

EPISCOPALEM ECCLESIAM MENNITHEN. sub Archiepiscopo Philadelphien. in partibus infidelium vacan, per obitum bo. me. Michaelis Antonii Anfossi, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. .D. Caroli Mennella, Presbyteri dioeceseos Isclanae : qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem R. P. D. Francisci de Niccola Episcopi Isolani. R. D. Carolus Mennella ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, qui ***Casamicciola*** nuncupatur, dioeceseos Isclanae progenitus, in quadragesimo septimo aetatis suae anno constitutus est. Humaniores iam tradens literas ac philosophiam illo in dioecesano seminario,inibi studiorum Director hactenus electus,inter Examinatores prosynodales adscitus,tum in causis ecclesiasticis Iudex Consultor, tum Isclana in Cathedrali Canonicus ad honores renuntiatus est.

EPISCOPALEM ECCLESIAM CLAUDIOPOLITAN. sub Archiepiscopo Selèuciense in partibus infidelium vacan, per obitum, bo. me. Danielis Comboni, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Iosephi Benedicti Salvatoris de la Reta, Presbyteri dioeceseos s. Ioannis de Cuyo, qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem R. P. D. Venceslai Achaval Antistitis s. Ioannis de Cuyo in confoederatione Argentinae. R. D. Iosephus Benedictus de la Reta ex legitimis, catholicis, nobilibusque parentibus in urbe Mendozae dioeceseos s. Ioannis de Cuyo progenitus, quinquagesimum aetatis suae annum supergressus est. In ordine minorum observantium s. Francisci solemnia vota nuncupatus,, ibique Salvatoris nomine assumpto, ad Presbyteratus ordinem dudum evectus est. Sui ordinis habitu rite, iustisque de causis dimisso, provinciam de Mendoza pluribus hucusque rexit annis qua Missionarius, Vicarius Foraneus, et paroeciae illius principis Ecclesiae Rector. Convisitator pastoralis, camerae deputatus, et gubernii Elector effectus, templum Dominae Nostrae a Laureto sacrum in sua patria perfecit.

CATHEDRALEM ECCLESIAM MONTISVIDEI in America Meridionali vacan, per obitum bo. me. Hyacinthi Vera, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defun-

cti, favore R. P. D. Innocentii Mariae Yeregui, hactenus Episcopi Canopensis in partibus infidelium.

Per Breve autem pontificium sequentes collatae fuerunt Ecclesiae:

ECCLESIA ARCHIEPISCOPALIS SELIMBRIEN. in part. infid. R. P. D. Placido Kasangian, Armeno.

ECCLESIA ARCHIEPISCOPALIS ATTALIEN in part. infid. R. P. D. Ioanni Kupelian Armeno.

ECCLESIA CATHEDRALIS TREVIREN. in Borussia R. D. Michaeli Felici Horum, canonico Archipresbytero et parocho in Dioecesi Argentinen.

ECCLESIA CATHEDRALIS FULDEN-. in Borussia R. D. Georgio Kopp, Praelato domestico Sanctitatis suae et Vicario generali suae Dioecesis Hildesheimen.

ECCLESIA CATHEDRALIS CARYSTEN. in part. infid. R. D. lose* pho d' Annibale, canonico et Vicario generali Dioecesis Reatin.

ECCLESIA EPISCOPALIS CASSIEN. in part. infid. R. D. Gaudentio Bonfigli e Matelica, Ordinis Minorum Observantium.

ECCLESIA EPISCOPALIS ROSALIEN. in part. infid. R. D. Henrico Northrop, Vicario Apostolico Carolinae Septemtrionalis.

ECCLESIA EPISCOPALIS. 'MOSINOPOLITAN. in part. infid. R. P- Nicolao Iosepho Camilli, ex Ordine Minorum Conventualium, visitatori Apostolico Moldaviae.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

INDULTI

Die 14 Augusti 1880.

Per summaria precum

COMPENDIUM FACTI. Canonicus S. Ecclesiae Collegiatae Archidioecesis F. supplici libello a SSmo exemptionem petiit a servitio chori, ob gravia valetudinis incommoda, praesertim vero ob notabilem vocis debilitatem: quibus impeditur, quominus choro intersit. Capitulum optat ut si vocem attollere orator nequeat, choro tamen interesse ne detrectet. Archiepiscopus a voto ferendo abstinet, addens id sibi acceptum futurum, quod s. C. C. placuerit. Ad has preces die 28 Iunii rescriptum fuit: - *Secundum ea quae proponuntur¿ non expedire.*

Orator non acquievit, et preces iteravit, ut, revocato hoc decreto, petitam gratiam consequeretur, aiens: se per quadraginta annos cum dimidio adstitisse servitio chorali Collegiatae; nunc autem annis, diuturnaque infirmitate confectum hoc amplius praestare non posse.

Disceptatio Synoptica

Quamvis ss. Canonum et s. Concilii Tridentini praescriptionibus, omnibus Canonicis et iis qui residentialia beneficia possident districte iniungatur, ut suae Ecclesiae servitium exhibeant, ea tamen est huius praescriptionis vis, ut naturali iuri nunquam praevaleat. Hinc per Canones cautum est ut infirmis et male habentibus legitima detur

exemptio a personali chori servitio, quin fructibus praebendae et quotidianis distributionibus fraudentur. *Cap. Unie, de Cleric. non residen, in* 6. Ubi Bonifacius VIII, post veti tas clericis residentibus, sed divinis officiis non interés - sentibus, quotidianas distributiones, illos ab hac censura excipit quos infirmitas seu iusta et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas excusaverit. Quod confirmavit Tridentinum *Sess. 24. Cap. 12 de Reform.* Consonat Fagnanus *in Capit. Licet¿ de praebendis num: 135 et 150* et Ferraris *verbo Distributiones art. 1 n. 12.* His accedit constans et universalis S. C. C. praxis, ex qua apparet, quoties constet de infirmitate, ex iurata medicorum fide, indultum vacandi a choro prout necessitas exigat, nunquam denegari solere, ut in *Urbinat. Indulti 18 Sept. 1802* in *Firmana Iubilationis 13 Sept. 1862* et in *Romana Iuris Canonicalis 1703.* Iam vero infirmitatem, qua orator laborat, talem esse quae petitum indultum eidem concedendum suadeat, ex relatis liquido patet. Orator siquidem, praeter notabilem vocis demissionem, gravissimas quoque patitur stomachi perturbationes, quae tales sunt ut ad vomitum etiam ipsum excitent, ut ex iurata medici fide constat. Nec aliquid contra absolutum ac plenum indultum facere posse videtur Capituli votum, exoptans saltem personalem oratoris adsistentiam; oppositio siquidem Capituli, comprobata infirmitate, iniusta et irrationabilis reputanda est, ceu testatur resolutio S. C. C. *in Piscien. Indulti 6 Decem. 1764.* His accedit quod si oratoris preces repellerentur, ipse, prout exposuit, post laudabile sex supra quadraginta annorum servitium suae Ecclesiae praestitum, impotens factus, Canonicatum resignare -cogeretur; quod ab aequitate, ne dicam a iustitia, alienum esset, ut declaravit s. Congregatio in *cit. Piscien.* Quae quidem resignatio, dum Oratori noceret, minime Capitulo prodesset, quia beneficium fisco adiudicaretur.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii die **14** Augusti **1880** rescribere rata est : *Pro gratia, iuxta petita.*

PENSIONIS

Die ii Septembris et ii Decembris Ì880

COMPENDIUM FACTI. Sacerdos Pompei Archipresbyter Parochus Ecclesiae, utrique Ioanni dicatae, mense Maio anni **1876** ad pinguiorem parochialem Praeposituram praesentatus fuit. Ab Archipresbyterali Paroecia, ab eodem relinquenda, iam opera Demanii, avulsum fuerat simplex beneficium, eidem paroeciae annexum a quingentis prope annis. Hinc Ordinarius ut aliquam afferret opem congruae paroecialis inopiae, constituit, patrono assentiente, imponere pensionem tercentum libellarum super divitem Praeposituram, Sacerdoti Pompei conferendam. Petita ad hoc venia, voti compos factus est Ordinarius ipse, a Beatissimo Patre per sequens rescriptum : « Attentis etc. pro facultate imponendi annuam pen-
« sionem libellarum tercentum super bonis et reditibus Prae-
€ positurae Curatae, de qua in precibus, annuatim persol-
« vendam a Praeposito Pompei usquedum vixerit favore
« Archipresbyteri pro tempore enunciatae paroeciae s. Ioannis,.
« arb. et prud. Emi. Episcopi ».

Hac facultate utens Emus Episcopus in Bulla collationis, pensionem iisdem verbis ac formulis in Rescripto notatis imposuit, quam et ipse Pompei, priusquam de Praepositura canonice institueretur, acceptavit, scripto sese obligans ad eiusdem solutionem. Hinc Aloysio Pompei ad Praeposituram canonice promoto, vacavit iure et facto Archipresbyteratus s. Ioannis Baptistae. Nemo autem inventus est qui eundem optarit.Quare Emus Episcopus, loco Archipresbyteri,Vicarium seu Oeconomum illi viduatae parochiali Ecclesiae deputavit,, omnibus eidem assignatis Ecclesiae reditibus, ut legere est in litteris nominationis « cum congrua fructuum dictae parodi chialis portione, durationi tui Oeconomatus respondente >.

Anno elapso a die captae possessionis, Oeconomo Curato pensionis solutionem exigenti, Praepositus Pompei in sui commodum yerba Bullae, *favore Archipresbyteri pro tempore,* interpretatus, negativum responsum obiecit, edicens: impositam pensionem Praepositurae, vi Bulla© institutionis, solvendam esse Archipresbytero s. Ioannis Bapt. , non vero Oeconomo. Tunc oeconomus ad S. C. Congregationem recursum habuit, ut pensionis solutionem obtineret.

Disceptatio gynopttca.

IURA PRAEPOSITI. Animadvertit huius defensor, quod, «tiam facta hypothesi, vere existere Archipresbyterum s. Ioannis, et in iudicio agere, nullimode ille posset obtinere pensionem praefatam. Etenim pensio haec imposita fuit per errorem quoad illius Praepositurae reditus, qui si praegravarentur pensione illa, ne superesset quidem pro Praeposito necessarium, unde vivere posset. In errorem utique incidit Curia quando autumavit, Praeposituram exhibere sexcentum. scutata libera, constat enim ex experimento eiusdem Pompei et eius antecessoris, vix ad libellas 1300 pertingere fructus huius • beneficii paroecialis. Ex quo fiebat quod si laudatus Episcopus genuinam rerum veritatem agnovisset, haud pensionem imposuisset. Nam congrua iuxta mentem ss. canonum illa esse debet, ut sit sufficiens ad commodam et honestam personae sustentationem; Ferraris verbo *Congrua n.* 7. Hinc Praepositus ad Emum Ordinarium scribens declaravit, se paratum esse praebendae suae administrationem renuntiare, dummodo sibi congrua pro decenti sustentatione, oneribusque parochialibus sustinendis ^persolvere tur.

Quod si solutio pensionis minime esset admittenda in casu quo ageret Archipresbyter, multo magis respuendam esse propugnat Praepositi Patronus in praesenti facti specie, cum persona omnino diversa agat, nullimode ab invocato rescripto contemplata. Et re quidem vera haud alienum a iure est quod praefatus Praepositus neget Oeconomo curato

pensionem statutam pro Archipresbytero Parocho, sed potius perbelle congruit Tridentinae dispositioni *Sess. 24 Cap.18. de Reform,* qua statuitur. « Debeat Episcopus statim ha-« bita notitia vacationis Ecclesiae, si opus fuerit, idoneum « in ea *Vicarium cum congrua eius arbitrio fructuum € portionis assignatione constituere. . . .* » At Parochus Oeconomus non partem fructuum parochialem, sed integros illius Ecclesiae reditus percipit. Non igitur plane aequum videtur ut, cum, praeter communem morem, integris paroeciae reditibus fruatur, quaerat etiam pensionem, quae peculiari ratione, et speciali rescripto supremi Ecclesiae moderatoris assignata tantum fuit ei, qui curam animarum non precario, sed stabili nomine gerit.

Idque vel maxime consonum est ipsius rescripti verbis, quibus pensio concessa fuit non paroeciae, sed Archipresbytero Parocho. Nemo autem inficias ibit, Oeconomum curatum veri nominis parochum nec dici, nec esse posse. Igitur ex literali Rescripti interpretatione eius petitio reiicienda prorsus videtur. Insuper contraria interpretatio utpote odiosa, eliminanda omnino esset. Agitur enim de beneficio, cui adnexa est causa non tantum lucrativa, sed plane onerosa: atque idcirco fructus beneficii curati habendi sunt vera laborum merces. Quare impositio pensionum in huiusmodi curatis beneficiis odiosa apprime retinenda. In odiosis autem Rescripta Principum sunt *stricte* interpretanda, nec eis latior sensus tribuendus,, quam qui ex verbis ipsius clare deprehendatur.

Quod quidem Orator ipse Oeconomus suo facto fatetur. Persentiens enim indubiam rescripti significationem postulat a sacratissimo Principe, ut in illis verbis, *favore Archipresbyteri pro tempore,* etiam Oeconomum Curatum comprehendere dignetur. Nemo autem nescit illud in more Sedis Apostolicae positum esse, ut in gratiis concedendis ius quaesitum alterius eadem nunquam laedat. Iamvero si pensionem, de qua res est, Oeconomo Curato solvere Pontifex iuberet,, apertissimam Praeposito parocho iniuriam faceret.

Porro de iure est onus pensionis adeo grave esse non

debere, quocumque in casu, ut eo imposito, congrua minime supersit; idque etsi benefìciarius pensioni imponendae consensisset. ***Lotter. de benef. lib. 1 cap. 5 num. 424 et S. C. in Arboren. Pensionis 21 Septembris 1816 §. Quatenus.*** Verum, quemadmodum ipse Praepositus declarat, si adige- **Tetur** ad solvendam pensionem, habito respectu plurimorum vectigalium, quae a gubernio Ecclesiae bonis imposita sunt, congrua pro ipsius honesta sustentatione deficeret.

Quapropter Conc. Trid. ***Sess. 24 cap. 13 de reform.*** sanxit ut parochiales Ecclesiae quae ***summam ducatorum centum,*** secundum verum annuum valorem, non excedunt, nullis pensionibus in posterum graventur. Quod decretum a Benedicto XIII in ***const. - Quanta pastoribus - diei 15 Septembris 1724,*** ampliatum fuit iuxta edictum ***Innoc. XII die 11 Novembris 1692*** ita scilicet, ut nullo modo locorum Ordinarii, aut quicumque alii parochialium collatores, etiam iurispatronatus laicalis dictas Ecclesias pensionibus gravent, reservata Papae facultate easdem pensiones imponendi ***in favorem dumtaxat*** et commodum fabricae ac ornamentorum ipsarum parochialium. Iamvero pensionem in themate non in bonum Ecclesiae collegialis ac parochialis, sed alterius ab ea plane diversae solvendam esse quisque videt. Quocirca etiam ex hoc capite illius impositio nullo iure sustineri posse videretur. Quae quidem exceptio in parochialibus ex iustissima ratione fuit inducta, cum nulla videatur esse pro Parocho portio satis ampla, quippe qui sui populi necessitatibus providere teneatur, eique in multis casibus auxiliari.

DEFENSIO OECONOMI. Contra sed vero Oeconomi patronus sustinet quod perpensis, tum precibus ab Emo Episcopo S.' C. C. oblatis, tum edito super iisdem rescripto, duo manifesto prorumpunt, intentionem nempe Episcopi postulantis pensionem, et sacrae Congregationis pensionem concedentis, illam fuisse, ut sive paroecia s. Ioannis conferatur in titulum, sive in Commendam vel Oeconomatum, congrua parochialis pinguior evaderet. Episcopus namque pensionem expostulabat, ut saltem pro parte medelam afferret

damnis, ex deficientia redituum promanantibus, et sacra Congregatio facultatem impertiebatur, quia ab Episcopo expositum fuerat pro certo haberi posse, quod pene impossibile sit providere paroeciam stabili rectore. Ergo tam Episcopus, quam sacra C. Congregatio casum iam praeviderant, quo paroecia in titulum conferri non posset; ac proinde etiam s. Concilii Congregatio voluit, ut pensio, semper solveretur, quia constituebatur in augmentum congruae, et haec pernecesse integra relinquenda erat etiam Oeconomo Curato, quia pensio non omne malum auferebat, sed partem tantum, cum etiam tali adiecta pensione, adhuc congrua insufficiens esset.

Adnotat insuper quod ipse Pompei, olim Parochus s. Ioannis, praeter paroeciae reditus, licet beneficio, pensione et pinguiori perfrueretur Missarum eleemosyna, omnem tamen lapidem movit, ut ipsi Praepositura conferenda foret, simul innuens, quod eadem pergravari poterat pensione favore Paroeciae s. Ioannis ; atque miratur quomodo hodie Oeconomo hic ipse pensionem denegat, praetextu quod Archipresbyter non sit, dum sive Episcopus petendo, sive sacra Congregatio pensionem concedendo illud etiam intendit, ut pensio daretur illi qui curam animarum gereret, sive in titulum paroeciam obtinuisset, sive in commendam vel oeconomatum.

Neque oggerendum quod reditus Praeposituræ tales non sunt, ut pensionem substinere valeant. Praetermisso enim quod in praesens quaestio de reditibus Praeposituræ non est, recolit quod Vicarius Generalis ad evidentiam usque demonstravit reditus Praeposituræ tales esse , ut pensionem quavis in hypothesi Praepositus solvere debeat. Quandoquidem si Patronus singulis Canonicis quotannis summam persolvit libellarum mille quingentum et ultra, a quovis onere vel taxa prorsus immunem , cum in quavis Collegiata Praeposituræ redditus duplex existat, dicendum remanet Praeposituram saltem termille libellas a quovis onere immunes certo certius reddere debere. Sperat subinde affirmativum responsum a S. C. C. dandum esse, ne Paroecia

s. Ioannis sine Archipresbytero, et sine Oeconomo Curato relinquatur, quod etiam Parochianorum nomine efflagitat, ne omnino Pastore priventur. Quandoquidem ex novis documentis in Summario relatis plenissime constare urget reditus Archipresbiteri s. Ioannis sive ab anteacto saeculo sive in praesentiarum insufficientes omnino reperiri pro necessaria Pastoris sustentatione: anno enim elapso nonnisi quam libellas 7: 33, et anno currenti 34: 78, Archipresbyter percepit.

Hisce praemissis, EE. PP. rogati fuerunt sequens dirimere

Dubium

An pensio ab H. S. C. statuta favore Archipresbyteri Paroeeiae s. Ioannis... sit solvenda etiam Oeconomo Curato eiusdem Paroeciae in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re discussa sub die **11** Decembris 1880, censuit esse respondendum :

Affirmative.

Ex **QUIBUS COLLIGES**

I. Generalem esse regulam iuris, desinere esse debitorem, qui nactus est exceptionem iustam, nec ab aequitate naturali abhorrentem.

II. Exceptionem iniustam et ab aequitate naturali abhorrentem videri facere Pompei, qui sustinet pensionem attributam fuisse Archipresbytero pro tempore, minime vero Oeconomo Parocho.

III. Pensiones, ex parte solventis, in iure distingui in reales et personales: sunt ***reales*** quatenus imponantur rei, titulo, et dignitati ; sunt autem personales quatenus imponantur personae dignitatem, rem, titulum gerenti.

IV. Pensionem in themate videri personalem ex parte solventis ; quia imposita est personae Pompei, ad eius vitam; ex parte vero pensionati uti realem, aliquo modo, habendam esse, eoquod expressum tantum sit nomen officii, non personae.

V. Ideo Oeconomum, ius habere ad percipiendam pensionem, quae accessit officio, quum quoad officium parochiale nulla sit distinctio inter Archipresbyterum pro tempore et Oeconomum parochum (1).

(1) Quod autem pensio haec solvenda sit etiam Oeconomo curato, ceu sapienter resolvit s. C. Concilii, erui etiam potest ex ratione, ob quam Emus. Episcopus imposuit pensionem eamdem. Id enim Ordinarius fecit, ut exiguitati Praebendae illius Archipresbyteralis succurreret; quae ratio minime cessat, vacante cura, neque si oeconomus aliunde dives esset. Quia sicut hic totum sustinet pondus paroeciae, ita pariter ad omnes paroeciae reditus ius habet, nisi aliter ex Episcopi decreto cautum sit.

EMOLUMENTORUM FUNERIS

Die 12 Martii 1881

COMPENDIUM FACTI. Intra fines Paroeciae dictae *Ribalta Nuova,* prope Civitatem C. sitae, nobilis familia C. villam possidet *i* in qua per octo circiter anni menses commorari solet, reliquum vero temporis in civitate in paroecia s. Iacobi.

Ruri degens anno 1878 Maria uxor Caesaris C. gravi morbo perculsa, atque Sacramentis Ecclesiae rite a Parocho rurali munita, occubuit die 7 Septembris nunciati mox anni : exinde parentalia a rurali Parocho expleta fuerunt; atque cadaver intra huius paroeciae fines tumulatum.

Quod cum ad aures Parochi urbani s. Iacobi pervenit, pro suis iuribus sartis tectisque servandis, supplicem ad S. C. C. misit libellum expostulans, ut ad tramites statuti et pra-

xis Dioecesanae, BE.PP. decernere dignarentur restitutionem emolumentorum, quae a Parocho rurali ea occasione percepta fuerunt.

Disceptatio Synoptica.

IURA PAROCHI CIVITATIS. Praedicta funeris emolumenta spectare ad Parochum s. Iacobi videntur, sive consideretur ius commune, sive statutum dioecesanum et observantia. Ad ius enim commune quod attinet, recolendum post dispositionem Bonifacii VIII *in cap. Is qui. 3 Be Sepult., Clem. Dudum §. Vernum eod. tit.* omnes una ferme echo DD. tradere, iuris adsistentiam, quam habent Parochi in funeribus decedentium intra limites Parochiae, non competere ratione loci materialis, aut mansitationis, vel obitus accidentalis, etiam cum Sacramentorum administratione, sed ratione spiritualis officii a Parocho exerciti, dum Parochianus vitam agebat. Ad rem *Reiffenstuel in Ius Canon. lib. 3, tit. 28, n. 6.* - ibi - « Sacri Canones in ordine ad sepul-
< turam non attendunt locum, ubi quis in extremis reiicitur,
« sed ubi in vivis coelesti pabulo refici consuevit»: *Van-Espen Iur. Eccl. univer. part. 2. tit. 38. cap. 3. n. 7.* - ibi -
« Parochiani autem quantum ad sepulturam ii dicuntur, qui
« intra limites Parochiae ita morantur, ut Sacramenta vivi
« in ipsa percipere et Parochi ipsis administrare teneantur »; *Scarfantonius ad Ceccop. lib. 3 add. 48. num. 82* - ibi -
« Territorium cuiusque Parochi est improprium, et eius iu-
« risdictio, seu potius officium parochiale non est amxum
« loco, quemadmodum iurisdictio Ordinariorum, sed consistit
« ac fundatur in persona Parochianorum : *Pignatellius Con-*
€ suit. 48 num. 22. tom. 3. Hinc fit ut in propria Pa-
« rochia nullum ius habeat in alienum parochianum *cap. 2.*
« de Paroch. Fagnan. in cap. Ne pro dilatione num. 29
€ De Poenit. et remiss. E contra vero omne ius habet in
« suum Parochianum ubique in universo mundo >. Concinunt *Passerinius De stat. quaest. 187. art. 4 n. 311.*

Fargna De Iurepatr. part. 1, can. I et 2, eas. 2» num. 9, Navarrus in Can. Placuit num. 102» dist. 6. Diana part. 9, tract. 7 misceli, resol. 62, Pignatelli consult. 151 num. 6, et consult. 73 num. 54. Scarfantonius loc. cit. num. 1, et seqq. Rota coram Priolo in *Romana iuris tumulandi 5 Mart. 1703 § His ita.*

Quapropter, ut verbis utar Scarfantonii in *loc. cit. num 49,* « qui ruri agit, ibique moritur, non in rurali parochia est « sepeliendis, sed reddendus ad suam parochiam civitatis, « ad cuius Parochum pertinet ius funeris ad literam Textus <c *in cap. Is qui De Sepult, in 6., Pignat. consult. 63 € n. 4. tom. 7, Nicol, lucub. civil, lib. 4, tit. 15 n. 19, « Passerin. de Stat. dict. quaest. 187 ar. 4. n. 347. « Anacletus lib. 3. tit. 28 n. 16. in fine.* » Nullum ius ad Parochum pariter pertinere docet Pirhing *in lib. 3. tit. 28, num. 6.* - quando quis tempore pestis vel belli e pago in quo domicilium habet se transfert in civitatem, ibique decedat.

Quam sententiam a S. O. C. amplexam fuisse testatur *Ariminen. Iuris tumulandi et funeris 18 Decemb. 1824,* etiamsi funus a Parocho bona fide peractum fuisset. Praestat eius speciem breviter enarrare. Sacerdos Angelus Barbanti tempore paschali ad audiendas fidelium confessiones in paroeciam SSmi Crucifixi extra- civitatem se contulit, ibique improviso morbo correptus occubuit. Ibi a Parocho exequiae expletae fuerunt et cadaver tumulatum, funerisque emolumenta retenta: contradicente vero Parocho domicilii, res ad S. C. C. delata fuit, et sequentia dubia proposita fuere : I. *An et ad quem spectet ius tumulandi et funeris in casu.* Et quatenus affirmative ad Parochum domicilii. II. *An sit locus ecohumationi et restitutioni cadaveris in casu.* III. *An et quae funeris emolumenta sint restituenda in casu.* Quibus EE.., PP. sapientissime responderunt: Ad ^*Affirmative favore Parochi domicilii, nempe ss. Ioannis et Pauli.* Ad II. *Non expedire.* Ad III. *Affirmative in omnibus.*

Firmo igitur in iure statuto, ius funerandi atque emo-

Iumenta percipiendi competere Parocho, ratione spiritualis exercitii, a Parocho praestiti suo parochiano, tempore vitae, dubitari pariter non posse videtur, et ius funerandi atque emolumenta percipiendi funeris defunctae Mariae ad Parochum s. Iacobi pertinere, quandoquidem et in hac Paroecia domicilium habebat, et ibi Sacramentis refici consueverat, teste in supplici libello ipso Parocho. Hic enim retulit, Mariam, dum in vivis ageret, consuevisse sese conferre e rure in paroeciam civitatis ad recipienda ss. Sacramenta; et dum rure ipsa aegrotaret, Coadiutorem s. Iacobi ivisse (excepta ultima vice) ad excipiendas mulieris infirmae confessiones.

Quae ex iure communi plane descendere videntur, non minus patere adfirmat Parochus ex Dioecesano Statuto.

Omne autem hac super quaestione dubium evanescere contendit si attendatur consuetudo, quae si plurimi semper facienda est, maximum robur acquirit quando res est de negotiis ad funera et sepulturas pertinentibus: *Cap. Certificar i de sepult. Reiffens. in Ius Canon. tom. 3. tit. 28 n. 47, Rota Decis. 376 n. 2. part. 1. recent.* S. C. in *Firmana Iuris funerandi 21 Nov. 1840* § *Post, Rom. Emol. fun. 13 Febr. 1841.* § *Constans* et alibi passim. Ast consuetudinem in Parochi favore militare contendit; nam, praeter alios casus a Parocho relatos, et in sui favorem resolutos; ait: mense Aprilis 1867 eadem in villa occubuit Anna Calvi defunctae Mariae coniuncta, et parentalibus expletis ab ipso Vicario Capitulari, hic Parocho loci Ripaltae suasit ut ceras ad Parochum s. Iacobi transmitteret, qui, licet protestatus sit, tamen morem gessit ipsi Vicario.

IURA PAROCHI RURIS. EX adverso vero perpendendum occurrit, nullum ius videri competere Parocho s. Iacobi exigendi in casu funeris emolumenta, quia cum dicta domina Maria per maiorem anni partem solita fuerit in villa commorari, una cum familia,, dicendum est ibidem per notabilem habitationem acquisivisse domicilium, si non legale, saltem parochiale, quod sane contrahitur per diuturnam ha-

bitationem in aliqua Parochia, ad effectum recipiendi ibidem sacramenta necessaria, ac etiam ad contrahendum matrimonium et acquirendam sepulturam, iuxta notata per Lessium de *Iust. et Iur. lib. 4 cap. 2 dub. 7 num. 47,* ubi plures concordantes allegat auctores, et tradit Antonellius in tractatu de *loc. leg. lib. 2 cap. 1 quaest. 13 num. 215.* Non enim est absurdum, quod aliquis, retento altero domicilio, novum contrahat, sicque duobus in locis domicilium habeat *Leg. 6 % 2 ff. ad municip. L. Senatores 11 ff. de Senator., Cap. Dilectus filius 2. De Rescript, ubi Clos, in verbo domicilium Bardellon. cons. 38 n. 23, Andreol. Contr. for. 139 num. 44, Tancredin. Consult, for. 31 num. 51, Rota decis. 105 num. 10 coram Roxas.* Praesertim dum agitur de domicilio Parochiali, ad quod acquirendum inspicitur, an dictus habitator habuerit intentionem manendi in ea Parochia pro maiore anni parte, ad hoc ut efficiatur illius Parochianus, quemadmodum advertit *Layman lib. 1 tract. 4 cap. 12 n. 1.*

Quod autem dicta Maria per maiorem anni partem habitare consueverit intra limites Paroeciae *Ripalta Nuova,* nec ipse actor in causa denegat.-Cum igitur in utraque Paroecia domina Maria refici valuerit Sacramentis, et utrique Parocho ea administrandi incubuerit obligatio, tunc inter Parochos datur praeventio, et proinde ius quaesitum manet favore Parochi loci *Ripalta,* qui praevenit ad notata in *Summ. Angel, verb. Sepulturae n. 17. Antonell. de regimin. Eccles, lib. 1 cap. 12 num. 15, Marchett. in praxi Vicar. Capit, tract, de Sepul. tit. 28 § 1 num. 19 et 20* ubi inquit, quod illa Ecclesia dicitur praevenire, quae primo capit corpus defuncti. Et prius sub *num. 12,* referens modum cognoscendi propriam Parochiam, firmat, ad huiusmodi effectum, fore potius attendendum praesentem statum, in quo habitando quis reperitur, quam aliud domicilium, licet ubi habitat non haberet animum contrahendi novum domicilium. Concinunt *Amostaz De caus. piis cap. 8 n. 12> Sperell. decis. 87 num. 5 ad 11, Rota decis. 45 n. 7*

coram Z'arat, decis. 133 num. 3 coram Ansaldo, s. Congr- in *cit^ Àriminen. Iuris tumulandi et funeris § Vitanda.*

Re quidem vera famuli, milites, officiales, qui ratione vel studii, vel servitii, vel militiae, vel officii, e loco ubi domicilium retinent in alium se transferunt, etiamsi animo destituantur ibidem permanendi, et pluries in anno patriam petendo id facto comprobent ; adhuc tamen sepeliri debent in Ecclesia loci proprii servitii, vel officii, vel habitationis, si ibi decedant : *Federic. de Senis cons. 254 per totum, et signanter num. 5 in 14 addition. Raburell. in cap. 1 num. 5 quaest. 7 De Sepult.,* qui ait: si scholaris in loco studii vel existens in officio ibi decedat, est Parochianus in Ecclesia in qua moritur, et consentiunt *Barbosa de iure Eccles, lib. 2 cap. 10 n. 55, Card. Petra ad Const. IX Innocentii IV num. 42 in fine, et n. 47, Rota coram Ansaldo cit. decis. 133 num. 24 et in addit. n. 25.*

Quamobrem optime nostrum casum attingens Ferraris in sua *Bibi. Can. Univ. verb. Sepultura num. 25* tradit]: — ibi — « Qui autem habet domum hyemalem v. g. in ci-
« vitate, et aestivam in rure et sic aequali tempore, modo
« in una modo in altera habitat, seu moratur, sepeliendus
« est in Parochia, in qua decedit. Et ratio est quia pari-
< ficatur cum eo qui in duobus locis aeque principale domi-
« cilium habet, et sic efficitur utriusque Parochiae paro-
« chianus, ideo sepeliendus est in Parochia in qua decedit,
« cum ipsa sit pro tunc vera ipsius Parochia, argumento
< *Cap. Ex part. 5 Cap. In nostra 10 de Sepultu-*
4 *ris, Cap. Animarum 1 eod. in 6.* » Et merito sane,
<t cum neminem lateat ex sola habitatione aliquem effici
< Parochianum alicuius Ecclesiae, dummodo non sit ibi re-
< creationis gratia vel ad ruralia exercenda, aut ex alia
« brevi causa statim reversurus ad primam Parochiam, ceu
« post sententiam *Federic. De Senis in consil. 254 cit.*
< pluries S. C. C. docuisse, relatis exemplis, probat *Fa-*
< *gnan. in cap. Significavit De Parochiis n. 36 seq.*

Dato verumtamen aliquam superesse posse dubitationem, adhuc respondendum videretur favore Ecclesiae Parochialis loci *Ripalta,* ubi recipiebat Sacramenta de tempore infirmitatis, quemadmodum tenent *Butr. in cap. 1. num. 9 et Abb. num. 4 de Sepult., Sylvester in Summ. verb. Sepultura num. 8, Gratian. Discept, for. cap. 94 num. 75, Marescott. var. resol, lib 2 cap. 95 num. 11.* Tempore autem suae infirmitatis, Mariam recepisse Sacramenta in Ecclesia loci *Ripalta,* nec ipse Parochus s. Iacobi diffitetur, et necessitas ipsa ita et non aliter peragi potuisse ostendit; eo vel magis quia ipse Praesul testatur de Parocho loci *Ripaltae,* illum esse a quo Mariae familia dependere solet dum vitam in illa Paroecia degit. Quoad consuetudinem, a parte adversa invocatam, colligitur ex relatis ab Ordinario, eamdem neque constantem, neque pacificam existere. Ideoque necesse esse totum corruere argumentum ab ea desumptum ab adversario. Neminem enim fugit consuetudinem, quae neque constans est, neque pacifica, sed controversa, utpote praecipuis characteribus destitutam, totam quantamque habet vim amittere.

Hisce ergo utrinque perpensis, sapientiae EE. PP., sequens propositum fuit diluendum

Dubium

An sit locus restitutioni emolumentorum funeris in casu.

RESOLUTIO. Sacra **C. C.** re discussa sub die **12** Martii **1881** respondere censuit:

Negative.

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Ex *Cap. Is qui 3 De Sepult,* parochum habere iuris adsistentiam in funeribus decedentium intra limites suae Paroeciae, ratione spiritualis officii ab eodem Parocho exerciti, dum paroeciani viverent.

IL Parochianos enim vocari, quoad sepulturam, illos qui qui intra limites Paroeciae ita morantur, ut Sacramenta vivi in ipsa percipere et Parochi ipsis administrare teneantur.

III. Officium parochiale proprie loquendo haud videri affixum loco, sed fundari in personis paroecianorum; ita ut quocumque sese conferant ius Parochorum super eisdem integrum maneat.

IV. Et ideo qui ruri agit, seu ruralia exercet, ibique moritur, haud ruri sepeliendus, sed ad parochiam civitatis referendus est, ad cuius Parochum funeris ius pertinet.

V. Atque ita sese res habere ius innuit commune et Doctores, quoties parochiani alio se conferant rusticandi causa, aut officii, studii militiaeque ratione, absque animo ibi manendi domiciliumque figendi.

VI. Attamen longe aliter sese res habere quando parochianus duplex habet domicilium ; nempe in rure et in civitate, ita ut aequali tempore, modo in uno et modo in altero vitam degat; quia tunc sepeliendus est in Paroecia in qua decessit.

VII. Etenim hoc in casu parochianus iste parificatur cum eo qui in duobus locis aeque principale habet domicilium; ita ut utriusque paroeciae sit paroacianus et sepeliri debeat in illa paroecia, in qua decedit, quae pro tunc habetur uti vera illius paroecia.

VIII. In themate duplex domicilium, aeque principale haud defuisse, defunctam valuisse sacramentis refici in utraque paroecia, utrique parocho ea administrandi incubuisse onus: ideoque ius quaesitum mansisse favore Parochi ruris, qui alium parochum praeveniens, corpus defunctae primo coepit.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

DECRETUM

Ehernen. Confirmationis Cultus ab immemorabili tempore praestiti Urbano Papae II. sancto ac beato nuncupato.

Saeculo XI, fervente luctuosissimo dissidio Ecclesiam inter ac Imperium, non minori fortitudine quam ceteri Pontifices, qui per id temporis Romanam obtinuerunt Sedem, enituit Urbanus II, Odo antea vocatus, e nobili familia apud Castellionem supra Matronam non procul a Rhemensi Urbe ortus. Is Brunone Magistro, celeberrimo postea Cartbusianorum Insti tutore, philosophicis ac theologicis studiis operam dedit. At saeculi curas pertaesus, ac Regulam s. Benedicti professus, primum in Cluniacensi dein in Cavensi Coenobiis religiosissime conversatus est. Vestigia sequutus sancti Gregorii VII, viri opere et sermone potentis, a quo in maioribus Ecclesiae negociis adhibitus fuerat atque Episcopus Ostiensis et sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis creatus, pari animi constantia ac fortitudine iura Ecclesiae contra laicam potestatem vindicavit. Summus Pontifex renuntiatus, sacrum Casini montem invisit, ibique sancti Patris Benedicti meritis a lapidis vitio, quo diu laboraverat, insigni prodigio, sanatus fuit. Cavensis Monasterii Ecclesiam , et sancti Nicolai Barensem Basilicam consecravit , ibique Corpus eiusdem thaumaturgi magna cum solemnitate reposuit. In eadem etiam. Barensi Basilica insigne Concilium habuit, ut Graecorum errores confutaret, doctissimis praesertim usus argumentis, quibus s. Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis fidem Catholicam asseruit. Aliis praeterea diversis in locis convocatis Conciliis, ecclesiasticae disciplinae observantiam summo studio curavit. Sed omnium celeberrimum fuit illud Claromontanum Concilium , in quo illarum auctor fuit sacrarum expeditionum, ***Cruciat arum*** nomine, eo successu ut

maxima undique hominum multitudo eius voci responderet, atque ante ipsius obitum Urbs Ierosolymitana a Mahumetana servitute liberata fuerit. Deiparam Virginem tenerrimo prosequens obsequio, eiusdem Officii parvi, et Salutationis Angelicae ad meridiem et vesperas recitationem inter fideles promovit. Tam praeclaris rebus gestis insignis atque sanctimoniae vitae conspicuus, magno honore habitus fuit non tantum dum vitam ageret, verum praesertim post eius mortem gloriosam. Plures enim continenter scriptores eum ***Sancti*** nomine cohonestarunt ; in pluribus Martyrologiis una cum aliis Sanctorum nominibus et illud Urbani II invenitur, ac dies designatur pro ipsius Festo quotannis recolendo. At quod potissimum est, quum, pace inter Ecclesiam et Imperium restituta, Callistus Papa II in" Patriarchio Lateranensi sancti Nicolai Myrensis insigne Sacellum erexisset, in eius ábsida depingi curavit Imagines sex Romanorum Pontificum suorum Praecessorum, qui Ecclesiae iura contra Imperii invasiones propugnaverant. Has inter Imaginem Urbani II ea ratione exprimi voluit qua nonnisi sanctorum imagines , ex veteri recepta Ecclesiae disciplina , effingi consueverunt. Quae quidem pictura, cum usque ad Clementis XII tempora perstitisset, diruto tunc ob novas molitiones s. Nicolai Sacello, a Benedicto XIV sa. me. in sacra Poenitentiariorum aede restituta fuit, ut vetustissima cultus Decessoribus suis iamdiu exhibita munimenta religiose servarentur. Cum itaque tam Romae quam alibi Urbanus II uti sanctus haberetur, eiusque cultus ad haec usque tempora perseverasset, Rmus Dominus Benedictus Maria Langénieux modernus Archiepiscopus Rhemensis, fervidis obsecundans votis tum Cleri sibi creditae Archidioeceseos huius beatissimi Pontificis ortu celebris, tum universae Benedictinae familiae quae tanto alumno nobilitata fuit, nec non aliorum amplissimorum Virorum ecclesiastica praesertim dignitate praestantium, Processum Ordinaria Auctoritate semel atque iterum construere aggressus fuit, ac demum declaravit ***u*** cultum publicum Beato Urbano secundo ab immemorabili tempore per annos centum et multo amplius ante Decreta Urbani Papae VIII fuisse exhibitum et etiam nunc exhiberi, ac proinde cultum Beati Urbani secundi inter casus a Decretis Urbani VIII exceptos versari ».

Hac autem Causa ad sacrorum Rituum Congregationis examen perlata in Ordinario eiusdem sacrae Congregationis Conventu subsignata die ad Vaticanum coadunato , per Emum et Rmum Dominum Cardinalem Dominicum Bartolini sacrae eidem Congregationi

Praefectum et Causae ipsius Ponentem proposito Dubio « ***An sententia a Reverendissimo Domino Archiepiscopo Rhemensi super cultu ab immemorabili tempore praestito praefato Servo Dei, seu super casu excepto a Decretis sa. me. Urbani Papae VIII,'sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur?*** » Emi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati, Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt : ***Affirmative seu sententiam esse confirmandam.*** Die 12 Iulii 1881.

Facta postmodum de praemissis per Rmum Dominum Augustinum Caprara ,sacrorum Rituum Congregationis Assessorem, Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII fideli relatione, Sanctitas Sua Rescriptum sacrae ipsius Congregationis ratum habuit et confirmavit die 14 iisdem Mense et Anno.

D. **CARD. BARTOLINIUS** S. R. C. **PRAEFECTUS.**

Loco jpg Signi

Placidus Halli S. R. C. Secretarius.

Disceptatio sy «optica.

SYNOPSIS VITAE B. **URBANI** II. Apud Castellionem supra Matronam in Gallia , oppidum non procul ab Urbe Rhemensi , ex nobili familia in lucem prodiit Urbanus II, Odo antea vocatus. In Rhemensi Ecclesia Odo educatus fuit, Brunone magistro , cuius fama postea illustrior futura erat, quum primus Ordinis Carthusianorúm institutor et parens factus est. Urbanum fuisse etiam Canonicum Ecclesiae Rhemensis varii tradunt auctores. Sed ille charismata maiora aemulatus, ad vitam perfectiorem anhelabat ; hinc, forsan Brunonis consiliis, in coenobium Cluniacense secessit. Ubi ab Ugone veste monastica donatus, ab eodem Prior institutus est.

Quum Gregorius VII ab Ugone Abbate aliquot, ex suis monachis, viros scientia et virtute praestantes petiit, primus inter alios electus fuit Odo, qui in angustiis maximis illius temporis, Pontifici praesto esset. Pontifex, eumdem creavit Episcopum Ostiensem ac S. R. E. Cardinalem. Qui quum in Germaniam legatus profectus esset, praecipue curavit, ut Antistites Ecclesiis orbatis provideret, quales temporum iniquorum necessitas exposcebat.

Demortuo Gregorio VII et Victore III, qui pontificiam dignitatem haud diu retinuit , anno 1088 apud Terracinam , catholicorum omnium unanimi consensu, Odo Episcopus Ostiensis R. Ponti"

fex renuntiatus fuit, sub Urbani II nomine. Omnes enarrare res gestas in suo pontificatu, eiusque prudentiam et fortitudinem erga .Henricum Imperatorem, et G-uibertum pseudopontificem, heic impossibile esset; pauca ideo delibanda duximus, ut eius sanctitas statim vel ob oculos caderet. Tanta fuit apud omnes opinio de Urbano, ut ab omnibus diligeretur et haberetur pro vero et legitimo Pontifice, praeter Henricum theuthonum principem eiusque asseclas ; quos tamen pro sua prudentia et lenitate morum adeo demulsit, ut plerosque illorum puderet, se tam amabili , tamque sancto viro adversari.

Fama huius Pontificis clarior in diem fiebat, tum ob Concilium Placentiae anno 1095, aliaque multa in variis civitatibus convocata , tum ob multa, quae de rebus ecclesiasticis eximius Pontifex scripsit. Nihil tamen Concilii Claromontani famam posteris magis commendavit, quam celebris illa in terram sanctam expeditio , in eo concilio eloquentiae Urbani II gratia , communi plausu sancita et promulgata. Quo Concilio ad finem perducto , Pontifex exivit in quadam spatiosae latitudinis platea, talemque habuit orationem eiusdem expeditionis favore , ut adstantes omnes conclamaverint ***u Deus illud vult*** » Cui expeditioni Pontifex de Concilii consensu, praeposuit Adhemarum Podii Episcopum, utpote qui ***u humanis rebus ac divinis valde esset idoneus et utraque scientia peritissimus*** ». Quamplurimis autem hac occasione habuit orationes, monuitque Episcopos, ut, quum ad dioeceses reversi fuissent, subiectis sibi populis pro peccatorum remissione iniungerent, in poenitentiae locum, nomen his expeditionibus dare. Ex scriptoribus innumeris deprehenditur quanta ab Urbano praestita fuerint ad hanc promulgandam promovendamque expeditionem. Atque, ut alios omittam , Ordericus Vitalis lib. 8 ea occasione praedicavit ***a Eum a Deo Israel maximum principem contra Allophylos constitutum fuisse, cui ille turrim David cum propugnaculis, contra faciem Damasci commiserat. »***

Ceterum Urbanum II hac occasione optime de Ecclesia meritum esse, una semper fuit omnium sententia ; quod etiam firmatur antiqua inscriptione in Palatio Vaticano insculpta ***« Urbanus II auctor expeditionis in infideles. »***

Ita autem expeditionem fovit, ut proficisci vellet cum Roberto Normanniae et Stephano Blesensi comitibus , nisi a catholicis retentus fuisset, qui nolebant Ecclesiam romanam tot turbis agitatam sine pastore relinqui. Anno 1098 Barium se contulit, ossaque

transtulit.s. Nicolai, ibique concilium habuit. Sequenti anno aliam habuit Synodum in Basilica s. Petri ; quae convocata fuit ***u pro errore et haeresibus graecorum, cuique inter fuerant centum-quinquaginta Episcopi et abbates, innumerabiles Clerici. »*** '

Tandem fractus laboribus , quos pro Ecclesia Dei superaverat , sedatisque turbatissimis rebus, ***meritorum multo magis, quam dierum plenus*** ad superos evolavit eo ipso tempore, quo in oriente Ierosolymorum civitas a christianis exercitibus capta est. Eius corpus in Basilica Vaticana sepultum fuit, eiusque exequiae, ceu Paschalis II, eius successor, autumat, celebratae fuere ***u totius romanae Urbis luctu et tristitia. »*** Post mortem miraculis inclaruisse referunt scriptores coaevi. Gruibertus Abbas inter alios, autumat Urbanum miracula plurima patravisse; ait enim: Urbani Papae praeconia ***u Post mortem clarus miraculis.*** » Defuncto etenim ac » sepulto eo, sicut succedens ei Ostiensis scripsit Episcopus, ***cum n plurima signa iam fier erit.n*** Et Paschalis II ad Ugonem Abbatem Cluniacensem scribens ait : ***u Domini et Patris nostri Urbani Papae doctrina et viia quam sancta , quam grata Deo extitit, exitus profecto melius adprobat, et ipsa totius Ecclesiae protestatur tristitia. »***

Hinc nil mirum si b. Urbani heroicae virtutes , pretiosa eius mors atque miracula subsecuta maximam sanctitatis opinionem in fidelium cordibus genuerint. Nam etiam dum viveret appellabatur ***vir scientia ct religione praestantissimus:*** et post mortem Paschalis II eumdem appellavit ***Sanctissimum virum,*** praedecessorem suum ***sanctos memoriae:*** et in concilio Lateranensi , in sua fidei professione ***u amplector,*** ait, ***decreta ss. Patrum RR. Pontificum, et praecipue decreta Domini mei Papae Gregorii et beatae memoriae Papae Urbani.*** Quod autem Pontifices, idipsum sentierunt Episcopi de sanctitate Urbani II.

His testimoniis, ut quisquis videt, demonstratur origo cultus erga b. Urbanum II, quod obiectum constituit huiusmodi disquisitionis. Et Adalferius Urbani coaetaneus , de eius sanctitate, ***tamquam*** de ***obiecto cultus,*** ita scripsit in Actis s. Nicolai Peregrini: ***u*** cum R. Sedis secundus antistes ***forte sanctus gloriosissimus n Urbanus,*** opere et doctrina praepotens, et eloquentiae fonte re-***r***> dundans, ***Apostolorum et apostolicorum*** vestigia prosequens, ac ***v*** pastorali cura intentus , ecclesiarum feliciter gubernaret regi->? mina. » Evidentissime Adalferius verbis ***forte sanctus,*** nedum Urbani sanctitatem, verum etiam cultum significare voluit. Parti-

cula enim dubitativa innuere videtur nedum singularem vitae integritatem, obiectum venerationis universalis, sed vitam quoque iam beatificataci , obiectum religiosi cultus. Hinc Adalferius non dubitavit utrum Urbani sanctitas digna esset veneratione, sed dubitavit an Ecclesiastica auctoritas eumdem declaravisset sanctum, et cultu dignum.

DE CULTU B. URBA.NO II. **PRAESTITO**. Quum Urbanus II ingenti apud omnes potitus sit sanctitatis fama, ob suas praeclaras virtutes, et ob insignia portenta, quae pretiosum eius obitum illustrarunt , nil mirum si scriptores coaevi, tantum Pontificem reverentes , ***beati*** ac ***sancti*** titulo decoraverint : quod portendit signum cultus iuxta ***Benedict. XIV de Sero. Dei beat, et canon. lib. 2. cap. 23. n. 1. -***

Praeter alios scriptores saeculi 11 et 12, Paschalis II gravissimum reddidit testimonium vocans, ut vidimus, Urbanum virum ***sanctissimum.*** In historia ***belli sacri*** ab auctore conscripta , b. Urbani ***coaeuo,*** idem Urbanus vocatur ***u Sanctus*** vero Papa Urbanus, eidem » s. Concilio Claromontensi praesidens, praecepit ut milites perge-
7> rent... *n* Berardus Casauriensis chronici auctor, Urbanum ***absolute sanctum*** nuncupat: ***u*** eodem tempore misericordia divina Eccle-
7> sia Romana bonum pastorem habebat, christianitatis amatorem et
7) fidei defensorem ***sanctum Urbanum.*** » Haud vero posthabendum est testimonium coaevi viri Domnizonis, qui huiusce Pontificis presbyter , multarum quas narravit rerum testis fuit oculatus. Hic inter Beatos Urbanum referens, eum praedicat ***u sanctis merito sociatus.*** *n*

Callixtus II, Pontifex maximus, qui viginti tantum post annos ab Urbani obitu ad Petri Cathedram ascendit, probe perspecta huius antecessoris sui sanctitate , in abside Oratorii s. Nicolai Ecclesiae Lateranensis, ipsum Urbanum II, attributis sanctitatis decoratum «um aliis romanis Pontificibus depingi curavit. Inter praeclaros hinc sanctitate Pontifices b. Urbanus II depictus in eo oratorio apparebat, pontificali veste indutus , populo benedicens , cum mitra in capite atque ***orbiculato diademate*** (1) circa caput, ad eiusque latus nomen cum ***sancti*** titulo. Ideo merito dici posse videtur laudatam Domnizonis sententiam de cultu erga b. Urbanum in christianae artis monumenta innixam fuisse. Nam Callixtus II praedi-

(1) Orbiculatum diadema vocatur *Sanctitatit et cultus ecclesiastici argumentum* a Benedicto XIV *de serv. Dei beati/. I, 1. cap. 41. n, 20.*

etam aediculam aedificari curavit ***peculiari R. Pontificis usui,*** atque in ea inter b. Mariae Virginis et sanctorum imagines, aliae Pontificum veluti illa Urbani II, cum sanctitatis attributis ac sancti titulo extitissent, sequitur necessario iis etiam cultum a celebrantibus in ea aedicula Pontificibus exhibitum fuisse (1). Et cultus iis Pontificibus exhibitus est a Callixti II successoribus usque ad Anastasium IV; qui anno 1153 picturam Lateranensem restaurari iussit. Hic etiam, quasi validare vellet iudicium sui antecessoris Callixti, pingi voluit alia in parte, orans ad pedes B. M. Virginis. Huiusmodi factum Anastasii IV, iis quae exposuimus, alterum cultus argumentum affert ; eoquod easdem icones ***sanctitatis*** attributis ac ***sancti*** titulo decoratas eo in Oratorio ipsemet servavit. Post Anastasium IV per ducentos continuos annos ab omnibus eius successoribus, qui in eo Oratorio sacrum peregerunt, huiusmodi cultus ratus habitus fuit. De hoc Oratorio quamplures scripsere doctissimi viri; et in eodem pictura istaec, cum iis Pontificum iconibus, ceu ab Anastasio IV instaurata fuerat, usque ad 18 saeculum pervenit.

Quanta huiusce monumenti auctoritas sit, ad cultum erga Urbanum II firmandum, evincitur ex Benedict. XIV ***lib. 2. cap. 20. n. 8. Et lib. 1. cap. 41. n. 20, 21, et 22.*** idem Pontifex, descripta veteri Lateranensi pictura, ait.... **a** ad partem autem dexteram s. Ni-» colai, imagines erant summorum Pontificum, hoc est ***sancti Ur-» bani II.... »*** Animadvertit idem auctor quod nec simplex sancti denominatio , aut imago in loco sacro depicta , sufficiant ut quis inter canonizatos recenseri queat, nisi sciente et approbante summo Pontifice , cultus ad universam ecclesiam extensus vel definitivae sententiae ab eodem prolatae fuerint de sanctitate et cultu praestando in universa Ecclesia. De Urbano II autem ***lib. 1 Cap. 41*** *n.* ***32*** ait: ***a ....*** neque Callixtus II et Anastasius IV imagines eo ***n*** modo depictas, et eo titulo decoratas in sacello collocassent, ne-***7)*** que eorum successores, praesertim vero ii, qui per ducentos con-***T)*** tinuos annos in eodem sacello et altari Sacra celebra vere, imagines » ipsas ibidem retineri passi fuissent, nisi in animo habuissent ***n indulgendi et permittendi cultum*** in eorum honorem , qui per » imagines quidem ipsas exhibebatur. »

Huius Pontificis auctoritati accedit aliud argumentum quoad cultum Urbani II; et desumitur ex libro manuscripto, hodiedum in

(1) Ne putaretur tantum arbitrio picturis posita fuisse sanctitatis et cultus simbolum, Callixtus II. se pingi curarit ad pedes b. Virginis.

regia bibliotheca Bruxellis asservato. In eo continetur calendarium sanctorum, quibus cultus in monasterio Cavensi exhibebatur; et in quo calendario, inter alios habetur ***u Die 29 Iulii d. b. Urbano II Pont. maximo.*** » Praeterea in multis Martyrologiis b. Urbani nomen et laudes commemorantur: et historici quamplures saeculi 14» 15, ac 16 sanctitatem Urbani II attestantur.

Cum iam cultus erga Urbanum II ad aeram pervenisset qua Constitutio Urbani VIII edita fuit, evidens est hunc cultum in ipsa Pontificis declaratoria comprehensum fuisse ***a praeiudicare, scilicet, in aliquo non vult neque intendit iis , qui per immemorabilem temporis cursum, vel longissimi temporis scientia ac tolerantia sedis Apostolicae vel Ordinarii coluntur*** (1). » Cultus enim erga Urbanum eo ipso..tempore floruit, quo per illius Pontificis decreta cessare debuisset. Et re quidem vera aliae Urbani II imagines cum sanctitatis attributis, aere celatae hoc tempore extiterunt, ac beati titulus ei tributus fuit in pluribus operibus, Ordinariorum scientia et tolerantia typis vulgatis.

In vetusto Breviario Benedictino in Archiepiscopali Rhemensi bibliotheca asservato, cuius titulus iam non extat, ***beati*** titulo decoratur Urbanus in octava lectione Officii sancti Petri Episcopi. Policastrensis et tertii Abbatis Cavensis. Quamplures docti viri saeculi XVII qui de Urbano scripserunt, haud omiserunt umquam nomen ***sancti.*** Ita ut, aliis reticitis, brevitatis gratia, clarus Abbas Lucenti anno 1704 in suo opere ***Italia sacra*** ait: «neque nobis ***n*** curae est quidquam exaggerare de antiquo cultu praefatorum ***n*** Pontificum, (inter quos Urbanus II) quandoquidem constat de ***v*** eodem ex probatissimis allegatis scriptoribus. »

Ut autem probaretur cultus, et quidem immemorabilis erga Urbanum II, etiam G-allici scriptores saeculi 18, de Urbani sanctitate loquuti sunt. Et tot monumentis scriptoribusque gravis accedit Benedicti XIV auctoritas, qui loquens de b. Urbano II in opere ***De serv. Dei beati/, lib. 1 c. 4 1 , n. 2 5 , ait: u*** huius gloriosa facta ***n*** minime opus fore ducimus hic recensere, sed tantum indicasse fas » est, nomen eius in nonnullis Martyrologiis et sacris fastis beati ***n*** titulo esse insignitum... ***n***

(1) Ante Urbani VIII Decreta, s. Sedes in aliquibus Dei Servis, licet non beatificatis, vel canonizatis, publici cultus actus toleravit, quia ait Bened.XIV: *u* potissimum pro iis pugnabat antiquitas, scientiaque ac patientia Ordina- » riorum intercesserat, vel cum fuerint *n* introducti... ex. publica atque constanti *n* fama sanctitatis aut miraculorum pa- » tratione; lib. II. cap. 9. n. 6. »

Post Benedictum XIV alii sunt scriptores qui de beati Urbani cultu testimonium perhibent; et in Cathedrali Ecclesia Terracinae, ubi electus et adoratus fuit, manet adhuc imago, sub qua legitur ***B. Urbanus II.*** In Ecclesia s. Mariae maioris Cavensis nomen ***b. Urbani*** infantibus baptizandis imponitur ex traditionali fidelium pietate. Et in Castellione supra Matronam, ubi Urbanus II ortum habuit, vivax eius memoria usque in hodiernam diem superstitit, et ***Sanctas*** passim ab incolis vocitatur. Anno 1866 Emus Card. Gousset, accepta a Comite de Verdonnet donatione prioratus Binsonnensis , cuius b. Urbanus Prior fuisse fatetur, Rhemensi Archiepiscopatui donavit. Anno autem 1875 solemne festum Castellione in honorem b. Urbani II celebratum est.

Hinc merito dici posse videtur , b. Urbanum iam antiquissimo potitum fuisse cultu , tam ante aeram urbanianam , quam ea vertente, quam postmodum ad nos usque.

ANIMADVERSIONES PROMOTORIS FIDEI. Ominor, ait iste, et quidem ex animo , ut tot laboribus , ac praestantium virorum coeptis secundus respondeat exitus; at graves difficultates dissimulare nequeo, quae piis hisce votis contraire videntur. Et primo quoad actorum formam , animadvertendum est quod plura in hoc processu occurrunt , quae plene non cohaerent cum iuris communis praescriptis. Sic dubius est quis fuerit Notarius constitutus in Actuarium huius processus. Plures personae autem, plura simul in hoc iudicio expleverunt officia. Sed haec officiorum in una eademque persona sive unio, sive conversio omnino prohibetur decreto, anno 1870 lato, et clausula irritante firmato : acta itaque ipsa nullitate laborant.

Ast ad cultus probationes digrediendum est, quarum praecipua est illa celebris pictura , qua absidam Sacelli s. Nicolai Mirensis Callistus II decoravit. Illud tamen in primis prae oculis habendum, Panvinium primum verba fecisse anno 1562 de hac pictura ; nam usque ad eumdem scriptorem nulla occurrit sive graphica, sive historica memoria de hac ipsa pictura. Insuper Panvinius in suo opere m. s. ***De Basilica, Baptisterio, et Patriarchio Lateranensi,*** nullam sanctitatis notam tribuit Pontificibus in ábsida depictis, vel ab aliis tributam fuisse narrat. Nihilque obiicere iuvat, quod etiam s. Gregorius VII in illa pictura caruerit aureola ac sancti elogio; novum enim non est absque iis sanctitatis signis antiquas reperire imagines summorum Pontificum, quamvis iis deinde cultus publicus ecclesiasticus delatus fuerit. Ita in serie depicta olim in Basilica Ostiensi neque aureola , neque sanctitatis titulo distinctae erant

imagines Urbani V et Eugenii III, quorum tamen immemorialis cultus, paucis abhinc annis a Sede Apostolica recognitus fuit. Ac licet daremus in Lateranensi pictura sex illis Pontificibus orbiculum fuisse appositum, nil proficeret. Nam videre est in musivis operibus tam in Urbis Basilicis, quam Ravennae adhuc extantibus, ubi nedum Romani Pontifices, at Imperatores , eorumque uxores cum eo orbiculo apparent , quamvis nec sanctimoniae laude , nec ecclesiastico cultu celebres.

Ceterum, quum ex Panvinio non constet utrum memoratae imagines RR. Pontificum sanctitatis signis decoratae essent, ex simplici appositione eorumdem in Sacelli Absida, verus ac proprius ecclesiasticus cultus a Sede Apostolica iis Pontificibus indultus inferri nequit. Qui enim calleat "christianam iconographiam, is plane novit, non cultus gratia, sed aliis etiam de causis Romanos Pontifices in Basilicarum Urbis ábsida apponi consuevisse , nedum genuflexus et quadrato nimbo ornatos , sed etiam erectos , ac librum manibus gestantes , pari nempe ratione qua in s. Nicolai Sacello sex illi Pontifices depicti fuerant. Sufficiat consulere Ciampini opus ***Vetera munimenta cap. 14 pag. 1 0 5 u de ecclesia s. Agnetis extra moenia_____picturis illustrata musivis anno 623 ad dexteram eiusdem virginis*** (Agnetis) ***stat Pontifex Honorius qui ecclesiam restauravit. . . . ideo illius exemplar in inanibus tenet. In sinistra alius Pontifex.... Ubi'unique manu gustat; quare iudico imaginem hanc Simmacum summum Pontificem , dicti Honorii antecessorem, ac eiusdem Ecclesiae etiam restauratorcm demonstrare. »***

Ab aliis afferendis abstinemus monumentis, cum satis appareat RR. Pontifices , etsi demortuos , in ipsa ábsida effingi consuevisse erectos , et vel nullo nimbo , vel orbiculato etiam ornatos , alia prorsus de causa, quam verae ac propriae dictae venerationis, nimirum grati animi et memoriae ergo. Cur itaque idipsum exequi non licuerit Callixto II in Lateranensi Sacello, ob memoriam eorum quae in acerrima inter Pontificatum et imperium lucta summi illi Antistites passi fuerant? Hanc fuisse Callixti mentem Panvinius autumat: et eius auctoritas haud desumit vim potiorem a Severano, aut a Cardinali Rasponio; quum duo hi auctores picturam non viderint prouti eam referunt , sed ad fidem Panvinii descripserint; nam eorumdem tempore, picturae facies immutata fuerat. Et ideo iidem auctores nonnisi Panvinium secuti asserere potuerunt Cadlixtum II, eos inter Pontifices Urbanum II recensuisse. Mutatio huius picturae sic accidit: nempe quum s. Pius V anno 1.570

concessisset Poenitentiariorum collegio s. Nicolai Sacellum, hi sacras imagines coloribus refricarunt, et ita quidem ut Urbano II s. Caelestinum suffecerint. Itaque Panvinio non est detrectanda fides cum asserit sua aetate Urbani II imaginem in ábsida Lateranensi extitisse, at non ideo putandum, ob auctoritatem Severani et Rasponii, Callixtum II orbicularia diademata ac sancti elogium illi atque aliis apposuisse. Diximus enim hos duos auctores scripsisse auctoritati Panvinii innixos.

Pictura ergo Lateranensis semel immutata , ita mansit diutissime , ac manebat adhuc anno 1638. Caietanus tamen quum videret immutatos duorum vel trium Pontificum sanctitatis titulos, hos ex lamina aerea , quam seorsim incidendam curavit , confecit ac pristinae integritati restituit. Qua agendi ratione Caietanus in censuram Erasmi G-attulae incidit, qui in sua historia Abbatiae Cassinensis ait : « nomina quidem Pontificum restituere poterat » Caietanus ex Panvinio , non sanctitatis titulum , cuius ipse non » meminit, ***n*** Hinc ex continuis immutationibus eiusdem picturae colligere est, quam infirma sint argumenta pro immemorabili cultu exinde deducta. Nam imprimis haud constat a Callixto II vel Anastasio IV eas imagines ut colerentur fuisse in ábsida appositas , vel cum monilibus et ornamentis sanctitatis depictas , neque sequentes Pontifices easdem coluissë. Quod autem attinet centenariam aeram , ea decurrente , non semel , sed bis ac ter picturae status immutatus fuit , nomenque Urbani II deletum , ac nonnisi prope annum 1718 restitutum. Ergo eius maxime temporis deficit probatio, quod, iuxta Urbani VIII decreta, praecipue attendi debet.

Dolendum quidem est in tanta mutationum vicissitudine nulla vel superesse vel inveniri adhuc potuisse huius picturae ectypa, eo tempore efficta , quo nullam adhuc immutationem passa fuerat. Hisce deficientibus, tuto sciri nequit an imagines illae revera nimbo et sancti elogio decorarentur, prouti coniecturis tantum innixi nonnulli scriptores tradunt. In horum defectu , a Caietano profertur tantum exemplum aere caelatura anno 1636, quo nempe pictura iamdiu immutata fuerat.

Quid autem dicendum erit de alio eiusdem picturae ectypo, quod suo operi attexuit Benedictus XIV? Eatetur ipsemet Pontifex hoc exemplatum fuisse ***u adhibito chalcographorum et antiquarioram labore , qui illud antequam dirueretur pluries delinearunt. n*** Ergo, nisi hosce calchographos usque a Panvinii aetate vixisse dixeris, ita picturam delinearunt, prouti viderant post annum 1698,

ea nempe epocha, qua in pristinam, ceu putarunt, formam restituta fuit. Ideo ipse Pontifex in tertia sui operis editione anni 174:7 animadvertit, picturam a se memoratam non ita amussim antiquae respondere. Idcirco ibidem scribit ***u utile indicavimus eam*** (picturam) ***diligentius describere, quod eo magis necessarium visum est, quod •pictura prout antiquitas, non exacte usquequaque expressa est .»•***

Dissimulandum haud est Lambertinium cum primo opus suum de canonizatione ederet , putasse ex ea Lateranensi pictura colligi posse immemorialem cultum in determinato loco summis illis Pontificibus concessum, fatetur tamen se auctoritatem Caietani secutum idipsum scribere; ac licet postea ad Summum Pontificatum evectus eas RR. Pontificum imagines instaurasset, diserte declaravit , se id tantum fecisse"" ***u ne antiquarum sacrarum imaginum memoria perirei, n*** Neque hac declaratione contentus, rei difficultate permotus , in memorata tertia operis editione hoc iudicium ipsum adeo temperavit, ut eam ex Grimaldio descriptionem , pro genuina habuerit , in qua nulla Gelasii , Paschalis et Urbani II apparent nomina.

Insuper haud omitti debet quod anno 1718 Cresciinbenius obtinere nequiverit cultus Confirmationem pro Gelasio II, innixus eidem argumento, nempe picturae Lateranensi. Ac profecto si Callixtus II aut Benedictus XIV per illam picturae appositionem atque instaurationem cultum publicum ecclesiasticum in determinato loco indulgere intellexissent , fieri ne poterat ut eius extensio , saltem a Romano Clero numquam per tot saecula expetita , aut obtenta fuisset , prouti factum novimus pro Gregorio X, Benedicto XI, Urbano V et Eugenio III, vix ac patuit ***in aliquo determinato • loco*** cultum ecclesiasticum iis Pontificibus exhiberi?

Cum ita se habeant quae ad Lateranensem picturam pertinent, ab expendendis aliis documentis ecclesiastici cultus abstinere omnino possem , ait Fidei Promotor. Nam ipsi qui cultus confirmationem promovent, haud dissimulant, eo monumento praecipue , imo fere unico, cultus probationem niti. Pariter haud oportere reliqua perpendere monumenta a iudiciali sententia memorata. Quod attinet scriptorum elogia, quibus Urbanus II ***beatissimus seu beatissimus vir*** ac ***sanctae memoriae*** appellatur: nec non effusam populi devotionem, meminisse iuverit haec ad probandum publicum cultum erga RR. Pontifices idonea non esse , cum pro Romanis Pontificibus , recens defunctis, illae appellationes, atque venerationis significationes a populo indiscriminatim adhiberi consuevissent. Felicia quidem

tempora et fidei plena, quibus populo ea persuasio insederat, prout in tertia Romana Synodo legitur ***u quod R. Pontifex , si canonice fuerit ordinatus, meritis b. Petri indubitanter efficitur sanctus, testante s. Ennodio Papiensi Episcopo, ac multis ss. Patribus faventibus , sicut in Decretis b. Symmachi continetur. »*** Quae omnia dum pontificiam dignitatem , aô civium Romanorum fidem quam maxime illustrant, momentum tamen inde deductum pro singulorum Pontificum sanctitate et cultu, quam maxime extenuant. Insuper optimae notae scriptores, inter quos Baronius haud Urbanum appellant ***sanctum*** aut ***beatum.***

Quoad imagines Urbani II animadvertere in primis est, eas iudiciali ritu haud fuisse recognitas et ad recentiorem epocham pertinere. Praestantes artis pictoriae tribuunt picturam Terracinensem termino saeculi 17 aut initio 18. Episcopus vero Terracinensis testatur haud inibi exhiberi specialem cultum Urbano II. Tres vero imagines in Àrchicoenobio Cassinensi asservatae epocham certam praeseferunt ; et iuxta peritos prima confecta fuit anno 1677, secunda anno 1706 et tertia anno 1700. Imagines aere cusae vel ad Urbani VIII aeram minime pertinent, vel ad rem proprie non faciunt. Nam animadvertit Pignattellus Consult. ***24A u iudicium publici cultus ecclesiastici ab iis tantum imaginibus desumi potest, quae in publicis locis pictae reperiantur.*** » Itaque, conclusit fidei Promotor , neque ***praescriptio ,*** neque ***possessio*** legitime probata dici valet.

Quoad cultum observandum venit quod accidit Castellione; idest ad haec usque tempora nullus quidem cultus publicus ei (Urbano II) exhibebatur , ceu ipse causae postulator non invitus fassus est. At capta occasione , qua Ecclesia Prioratus Binsonnensis restituta fuit, extemplo publicus cultus Urbano II adhiberi coeptus est ; et anno 1877 locum habuit benedictio statuae eiusdem, Pontificis in Ecclesia Binsonnensi. Quae recentissimae cultus significationes longe absunt ut causae suffragentur.

RESPONSIO AD ANIMADVERSIONES PROMOTORIS FIDEI.Quum refutavisset. censoris obiectiones quoad processus formam, ad cultus probationes digressus est advocatus.Tam loquutus sum, ait iste, in informatione quanta sanctitatis fama propter heroicas suas virtutes, ac res praeclare gestas Summus hic Pontifex potitus sit: coaeva de eiusdem pretioso obitu testimonia exhibui , ingentem populi concursum ad sepulchrum, devotionis causa, in Vaticana Basilica significavi. Miracula pariter eiusdem b. Urbani intercessione patrata ostendi,

de quibus coaevi gravissimique viri fidem perhibuere. Nil itaque-mirum si eximiae Urbani virtutes, pretiosa eius mors, quae revelata etiam fuit, ac prodigia ipsius ope exinde subsequuta, maximam sanctitatis opinionem in fidelium cordibus genuerint.

Ex huiusmodi ***origine*** nobilissima veneratio erga Urbanum II incoepit, praecipue in ordine Benedictino. Et compertum est ***ex antiquis instrumentis*** ab ***immemorabili*** constructam fuisse ***Aediculam*** in loco, ubi b. Urbanus super petram paullum sedisse fertur, cum ad Cathedralem Basilicam ssmae Trinitatis Cavae anno 1092 consecrandam venisset. Ab ***immemorabili*** pariter constat quamplures Monachos consuevisse die suae monasticae professionis usurpare nomen Urbani II, in venerationem eiusdem Pontificis.

Eius in Pontificatu ***successor*** Paschalis II, de Urbani sanctitate scripsit: ***u Urbani Papae doctrina et vita quam sancta, quam grata Deo extitit, exitus profecto melius approbat, et ipsa totius Ecclesiae protestatur tristitia.*** » Nedum in Ordine Benedictino ,. sed etiam in Urbe Urbanus II ecclesiastico cultu potitus est. Etenim Callixtus II circa annum 1124 celebri aedificato in Lateranensibus aedibus sacello , in eius ábsida pingi iussit Urbanum II et alios quinque Pontifices suos immediatos praedecessores, qui cum Enrico Imperatore pro tuendis Ecclesiae iuribus decertaverant. Benedictus XIV ***lib.*** 1. ***cap. 41*** ostendit, istos Pontifices, propter eorum insignes virtutes ac supernaturalia signa, sanctitatis opinione gavisos fuisse. Penes aulas pontificias mos invaluit, ceu eruitur etiam, ex continuatione ***Libri Pontificalis*** saeculi XI et XII, ut aliquas formulas sequerentur scriptores in actu descriptionis obitus Pontificum. Ac praecipue ***confessoris titulum*** iis solummodo insignioribus Pontificibus tributum fuisse constat, qui in Romana Curia ***publico atque ecclesiastico cultu*** fruebantur. Ast Petrus Pisanus de Urbano II scripsit. . . . ***.u qui Christi confessor et bonus Christi athleta apud s. Nicolaum in carcere.... animam Deo reddidit, n*** Quod additamentum ***u boni Christi athleta*** » arripuit scriptor ex antiquissimo ***libro pontificali*** in vita Pontificis Nicolai I. Hae formulae adhibitae a scriptoribus cum speciali discretione fuerunt*, ideoque in vita Callixti II, licet celeberrimus fuerit Pontifex, ad diem eius mortis scriptum fuit ***u obdormivit in Domino, defunctus in pace.*** » De Innocentio II scriptum reperitur « ***defunctus est »*** Insuper scriptor vitae Urbani II fuit Petrus Pisanus, ad dignitatem cardinalitiam a Paschali II evectus; qui probe scivit quantae auctoritatis esset titulus ***Confessoris*** cum additamento ***boni Christi***

athletae. Hoc autem testimonium Petri Pisani ***authenticum*** habetur; quia biographiae Praecessorum Paschalis II in ***pontificali libro*** conscriptae, habitae sunt tamquam exaratae non solum iussu , sed ***inspirante praedicto Pontifice.*** Qui Pontifex Paschalis II de pretioso obitu Urbani II, ac de glorioso eius sepulchro, prodigiis illustrato, insigne testimonium perhibuit.

Expositis hisce historicis factis circa opinionem sanctitatis, redit advocatus ad monumentum huius cultus a Callixto II in Lateranensi Basilica extructum. A Promotore Fidei factum hoc negari nequivit, ait defensor, sed ab eodem animadversum fuit, Panvinium, qui primus de hac pictura Lateranensi loquutus est, nullam illis Pontificibus tribuisse notam sanctitatis. Esto quidem Panvinium tacuisse ; ast eius silentium haberi nequit tamquam argumentum positivum. Nam Panvinius ***summariam*** fecit descriptionem de pictura illa ; ita ut ne verbum quidem fecerit de superiore parte picturae et reticuit etiam, quae suo tempore legebatur, vetustissimam inscriptionem. Dices ne eam non extitisse? Minime gentium: cum ipsam non multo post Grimaldus in medium protulerit, vetustissimamque iudicaverit. Nil mirum igitur si adiunctum illud de ***orbicalari nimbo*** Panvinius omiserit, quod ceteroquin retulit Grimaldus, licet suo tempore mutata essent nonnulla Pontificum nomina, ob antiquitatem exesa, minime vero eorum imagines. Pontifices in ábsida Sacelli depicti sunt, ex Panvinio, Alexander II,Gregorius VII, Victor III, Urbanus II, Paschalis II, Gelasius IL Hisce imaginibus adiunxit Callixtus II imagines ss. Leonis Magni et Gregorii Magni. In testudine absidis vero erat imago Deiparae Virginis cum filio, duo Angeli, s. Silvester Papa, et s. Anastasius Papa.

Etiamsi per hypothesim sex priores memorati Pontifices non habuissent nimbum orbicularem, et sancti titulum, tamen iusta Benedictum XIV, ex quo relatae fuerint imagines eorumdem inter alias sanctorum imagines a Callixto II Pontifice , id cultus argumentum portendit. Nam facto Pontificis Maximi imagines illae inter alias sanctorum expositae sunt, ut cultum obtinerent. Allata autem a Promotore fidei exempla, quae ex Ciampini opere desumpsit, de imaginibus nempe Pontificum cum orbiculari nimbo in absidibus ecclesiarum s. Venantii, s. Agnetis, et s. Laurentii, ***falsa*** sunt, ex dissertatione Equitis Ioannis Baptistae De Rossi, ad hoc exarata. Namque in ábsida Ecclesiarum numquam cum sanctitatis attributis Pontifices, Reges, aliique viri, non sancti, picti fuere.

Quod autem ignorantia Poenitentiariorum, ut alibi dictum fuit,

nomen alicuius ex sex Pontificibus immutatum fuerit; parum interest dum superior pars imaginum intacta remanserit. Constat enim nomen sex Pontificum excriptum fuisse sub pedibus eorumdem imaginum, quae iniuria temporum exesae a genibus ad pedes, integrae tamen permanserunt in parte superiori. Attamen notandum est quod si s. archeologiae imperiti, ignorantes quinam essent ii Pontifices, aliorum Pontificum nomina suffecerint, utique vero sanctorum. Et quanam de causa? quia superior eorum pars, quae intacta permansit, sanctitatis signa, ***orbiculatum*** nempe ***diadema*** praeseferebat. Ita loco nominis Urbani II illud s. Caelestini Papae posuerunt; quia ignorantes quis esset ille depictus Pontifex, alterum ***sanctum*** Pontificem suffecerunt, cum imago illa ***sanctitatis*** attributis decorata appareret. Ipse Grimaldius, a promotore Eidei allatus, describens, paulo post Panvinium, eas Pontificum imagines, licet mutatis tribus nominibus , de ***orbiculari diademate*** circa caput singularum verba ***apertissime fecit.*** His accedit testimonium Ioannis Severani anni 1638 et Cardinalis Rasponi, qui lateranensem tabulam describentes, genuinas Pontificum imagines, quas Panvinius retulit, nominarunt. Nec posthabendum est testimonium Caietani anni 1638, Papebrochii anni 1685, Lucenti anni 1704, Muratori 1723, Gattulae 1733. Isti enim edentes picturam Lateranensem ***aere caelatam*** cum iisdem Pontificum imaginibus a Panvinio descriptis, et ***sanctitatis attributis decoratis,*** expresse declaraverunt, se mutationem factam haud ignorasse, sed ***protestar i*** voluisse contra manus inscias, quae venerandam antiquitatem sus deque verterant.

De alia lateranensis picturae mutatione vix est loquendum; cum pariter alia sanctorum Pontificum nomina suffecta fuerint , superiori imaginum parte ***minime*** mutata. Sed brevis haec fuit mutatio ; quia ante annum 1718, sciente et approbante Clemente XI nomina restituta fuerunt. Neque tertia obest immutatio, quum iam probatum fuerit usque ab anno 1561, Panvinium, in lateranensi tabula, legisse nomen Urbani II.

In ectypo picturae lateranensis quod suo operi attexuit Benedictus XIV fassus est Pontifex ille Urbanum II, utpote depictum cum sanctitatis attributis, ***ecclesiastico cultu*** potitum fuisse **LÍO.** ***1: cap. 41 n. 32.*** Reparatio autem Sacelli Lateranensis, ceu legitur in inscriptione relata in tertia operis editione Benedicti XIV, minime facta fuit ***ne antiquarum sacrarum imaginum memoria perirei,*** sed etiam ut ***vetustissima cultus decessoribus suis iamdiu exhibiti monimenta religiose servari curaret.*** Pariter idem Pontifex cum in

tertia sui operis editione animadvertit, picturam, a se memoratam, non ita amussim antiquae respondere, haud ita loquutus est eo sensu quo aliquid essentiale additum vel ademptum in ea fuerit; sed dicere intellexit de repraesentatione figurarum plus, vel minus vicinarum, inter se.

Ideo quaestionem non fecit de signis sanctitatis, quia Grimaldi (quem sequitur Bened. XIV) post Panvinium describens picturam illam, affirmavit imagines Pontificum praesetulisse ***diadema orbiculatum et sancti titulum.*** Neque pro genuina habuit Bened. XIV descriptionem Grimaldi, in qua nulla Gelasii, Paschalis, et Urbani II apparent nomina; sed eamdem pro genuina habuit, eo sensu, quatenus ille fideliter varias personarum, atque ornamentorum dispositiones descripsit. Quocirca in sua tertia editione textum primum servavit integrum; et numquam cogitavit pro genuinis hahere eorum Pontificum nomina quae Grimaldus descripsit, quando iam Poenitentiariorum ignorantia ea mutata erant. Alioquin Bened. XIV tollere debebat quae scripserat ac picturam etiam reformare.

Ratio autem, qua Crescimbenius, innixus eidem picturae lateranensi haud obtinuerit cultus confirmationem Gelasii II, est quia ***petitio numquam*** praesentata fuit. ***Non quia,*** ait ***Bened. XIV lib. 1, cap. 41, n. 30, de infelici exitu timeretur, sed ob alias utique causas, omnino disparatas....***

Clerus Romanus, ait Advocatus, haud obtinuit extensionem cultus Urbani II, quia in praxi statutum est, ***nemine deprecante,*** cultus confirmationem haud concedi a s. Rituum Congregatione: ast fiet quod nondum factum est.

Etiam Abbas Tosti loquens de origine cultus Urbano II redditi, plurimi quidem facit picturam lateranensem,verum ah initio elucubrationis suae propriam cultus originem erga Pontificem illum, in heroicis eiusdem virtutibus, gestis, pretioso obitu, ac miraculis, subinde patratis, invenit. Loquens de monumentis scriptis, quibus inniteretur prima cultus origo, evidenter loqui voluit de eo pontificio diplomate, quo Urbanus sanctis sociatus fuisset; quod iuxta eius mentem, vel deperditum est, vel adhuc in archivio aliquo latet. De aliis scriptis monumentis nullimode intelligere potuit quum multa adsint.

Dolet autem Advocatus quod Promotor Fidei quamplures praeterierit scriptores qui Urbanum II ***sancti*** ac ***beati*** titulo absolute decorarunt, primus inter quos Domnizo, illius Pontificis presbyter. Inter scriptores saeculi XII Bernardus Casauriensis, auctor chro-

ilici Urbanum absolute ***sanctum*** appellat. Saeculo XV ***sanctus*** vocatur a Philippo Bergomate ; item ***sanctus*** in chronica mundi Lebaldi Schreyer. Saeculo XVI in opere Ioannis Stelle veneti Sacerdotis ***sanctus*** appellatur. Huiusmodi elogia ***cultus documenta*** portendunt ex Bened. XIV. Intra aeram Urbanianam quoque alii scriptores aeque ***sancti*** titulum in suis operibus, scientia et tolerantia Ordinariorum, typis vulgatis, ei absolute tribuerunt.

Quatenus quae huc usque exposuimus haud sufficerent, tamen probatio cultus erga b. Urbanum II in ***aera*** ab Urbano VIII ***statuta*** omnino adesset. Graviora siquidem documenta sive ***ante*** sive ***ea decurrente*** nobilissima haec causa suppeditat. Ante centenariam anno 1527 adest calendarium Ordinis s. Benedicti, in quo legitur: ***Die 29 Iulii s. Urbani Papae secundi.*** .. Ergo urbanus II ante aeram Urbanianam colebatur ut ***sanctus*** eiusque nomen ***sancti*** elogio in calendario inscriptum erat. Ea est vis documenti huius, ut ipse Fidei Promotor omnino tacere censuerit. In catalogo sanctorum Monasterii Cavensis ab Alexandro Rodulpho Abbate anno 1582 confecto, reperitur etiam nomen Urbani II: neque constat de desuetudine horum festorum. Anno autem 1616 maius Templum aedificari Cavae coepit, ubi aedicula ab ***immemorabili*** constructa fuerat. Hinc absurdum videtur dicere, festum quod antea in Cavensi Monasterio celebrabatur exolevisse. Fatendum quidem est aut perversitate temporum, aut Abbatum negligentia aliquando cessasse festivitates illas, quae in vetusto Cavensi calendario adnotabantur; sed hoc evenisse saeculo 18 exeunte.

Pro aera Urbaniana evincenda notamus anno 1595 nomen et laudes commemorari in Martyrologio Arnoldi Vionis et in altero edito anno 1629. Insuper hac aera pictae fuere imagines cum Sanctitatis attributis ac statuae sculptae.

Tandem conclusit orator, Urbanum II esse in possessione cultus, iuxta decretum Urbani VIII. Nam ante hoc decretum s. Sedes toleravit publici cultus actus in aliquibus Dei servis , licet non beatificatis, vel canonizatis. Quia , ut ait ***Bened. XIV, lib. 2 cap. 9 n. 6 u potissimum pro iis pugnabat antiquitas, scientiaque ac patientia Ordinariorum intercessemi, vel cum fuerint introducti .... ex publica atque constanti fama sanctitatis aut miraculorum patrat ione.*** Ex hisce profecto causis tolerantia cultus erga b. Urbanum II repetenda est. Urbanus VIII cum publici cultus exhibitionem iis prohibuerit, qui beatificati aut canonizati non fuerant, eos excepit qui sive per communem Eccle-

siae consensum , sive per ss. Patrum scripta , sive per immemorabilem temporis cursum vel longissimi temporis scientia ac tolerantia Sedis Apostolicae colebantur. Ast cultus erga b. Urbanum II nedum ***hoc tempore*** haud prohibitus est , sed ***maxime floruit.*** Et ideo liquet huiusmodi cultum in ea praefati Urbani VIII declaratoria omnino comprehensum fuisse, qua dicitur: ***u praeiudicare non vult neque intendit iis, qui per immemorabilem temporis cursum, scientia et tolerantia Sedis Apostolicae vel Ordinarii coluntur,*** *n*

DECRETUM

Spole tana- Canonizationis Beatae Clarae a Cruce de Montefalco Monialis Ordinis Eremitarum Sancti Augustini

SUPER DUBIO

a An, et de quibus Miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur f »

Beata Clara a Cruce ex Falcoduno Monialis Ordinis Eremitarum sancti Augustini omnium virtutum cumulata meritis, pretiosam mortem obivit XVI Kalendas Septembris anno reparatae salutis MCCCVIII, aetatis suae circiter quadragesimo. Ut ipsius nomen praenuntiat, a primo rationis diluculo Crucis amore vehementer capta, Christi Passionem intento et ferventiori quotidie animi affectu meditata est; ideoque caelestibus eam charismatibus Deus viventem ditavit, mortuam vero pluribus illustravit miraculis. Statim ideo ab eius decessu beatam Claram fideles venerari coeperunt, ac Spoletanus Antistes suum esse .duxit de eius vita et virtutibus inquirere. Plurimi interea Ecclesiae Praesules, Municipia et Populi, instantibus postulationibus, Summum Pontificem Ioannem XXII deprecati sunt, ut beatae Monialis sanctitatis praestantiam solemni decreto declararet. Tanto votorum praeconio Summus Pontifex libentissime favens, iuxta temporis illius disciplinam primo quidem

Apostolicam Inquisitionem de vita, virtutibus et prodigiis b. Clarae semel atque iterum iussit institui, et deinde tribus s. Romanae Ecclesiae Cardinalibus, ac peritissimus viris examinandam demandavit. Anno itaque fere decimo octavo a Beatae obitu Relatio apostolicae inquisitionis a Rmis Cardinalibus accuratissime elucubrata fuit, ex qua apertissime patebat Servam Dei in christianae perfectionis exercitio excelluisse, eiusdem sanctitatem copioso et constanti miraculorum testimonio a Deo confirmari. Quae Relatio, ut fide digni testantur historici, in Consistorio coram Ioanne XXII lecta fuit, idemque Summas Pontifex in eo erat ut beatam Claram inter alios accenseret Sanctos, quos ad altarium honores iam evexerat, nisi Ecclesiae pax gravi tunc schismate turbata fuisset. Temporis autem progressu, ex publica sanctitatis fama, qua b. Clara celebrabatur, superno prodigiorum argumento confirmata, Apostolica Sedes non solum cultum eius formiter probavit et auxit, sed annuit etiam ut nomen in Martyrologio inscriberetur, una cum nota mirabilium signorum Dominicae Passionis, eius adhuc extantium in corde. Hac nostra demum aetate actum cum esset de reassumptione Causae b. Clarae, sacrae Rituum Congregationis votum sa. me. Pius Papa IX Idibus Septembris anno MDCCCL confirmavit, decernens: ***Ita constare de virtutibus s. Clarae, ut procedi possit ad ulteriora, nimirum ad eins Canonizationem, duobus tantum Miraculis de more probatis.***

Hoc itaque attento approbationis virtutum Decreto, nec non ingenti sanctimoniae fama, et perenni prodigiorum splendore, quae in corde beatae Clarae dudum admirantur, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII congruum, rationi esse duxit, ut, iuxta recentiora exempla, ad illius Canonizationem deveniretur, quatenus de miraculorum veritate constaret, ex iis quae iamdiu ad eumdem effectum ex Apostolica Inquisitione ad Consistorium deducta fuere. Et ita iudicium tam faustis auspiciis coram Ioanne XXII institutum, suprema absolveretur sententia, ac beata Clara inter Sanctas tandem recenseri posset Virgines , quibus Ecclesia gloriatur. Eo praesertim quod potissima virtutum vitaeque eius praestantia satis superque ex ferventissimo assiduoque Crucis et Passionis Iesu Christi amore enituerit. Haec siquidem humanae redemptionis mysteria tam intento, et compatienti animo contemplata iugiter ipsa fuit, ut dignatus sit Deus, novo prorsus portento, ut Dominicae Passionis instrumentorum formae, quae tandiu infixae Beatae fuerant in mente, eius impressae atque insculptae apparerent in corde. Quo sane

visibili testimonio et miraculi longa perennitate, Christi Passionis memoria intuentium animis mirifice commendatur. Auspicari proinde licet, hac nostra aetate, qua Crucis amor in Christiana societate admodum languescit, et multi sunt Crucis Christi inimici, ut Apostolus querebatur, quorum Deus venter est, et gloria in confusione, divino contigisse nutu, ut ad supremos altarium honores haec Virgo, Cruci et Dominicae Passionis devotissima, extollentur, cuius vitae exemplo, et suffragiis tam in Christianorum animis, quam in moribus, vitaeque consuetudine Crucis dilectio et studium revivisceret. Haec profecto omnia Sanctissimus Dominus Noster animo reputans, Decreto VI Kalendas Maii vertentis anni speciali sacrae Rituum Congregationi examen et iudicium commisit miraculorum, quae, Beata intercedente, patrata referebantur in praefata Apostolica Inquisitione. Interea, ipsius quodammodo patrocinio, reperta praeter spem fuere authentica acta Relationis praedictae inquisitionis super virtutibus et miraculis Servae Dei, ex quorum copioso numero Cardinales Relatores triginta quinque minutissimis cum adiunctis in sua enarratione olim recensuerant.

In Congregatione itaque particulari hoc anno in Vaticano habita III Kalendas Augusti, iuxta praefatum Decretum, Rmus Cardinalis Thomas Maria Martinelli Causae Relator dubium proposuit: ***u An, et de quibus Miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur*** ?» Et Sacra Congregatio ex triginta quinque Miraculis hac in Causa propositis Summo Pontifici Ioanni XXII, sex, utpote praestantiora, discussit et mature perpendit, ac de hisce singulis suam aperuit affirmativam sententiam. Quam Sanctissimus Dominus Noster die 11 Augusti a me infrascripto Secretario fideliter relatam, libentissime excepit. Verum antequam Votum huiusmodi confirmaret, in tam gravi negotio impiorandam esse edixit divini luminis gratiam.

Deo itaque inspirante, Sanctitas Sua hanc tandem designavit diem, nempe Dominicam quartam decimam post Pentecosten, ut Decretoriam sententiam pronunciaret. Quare, oblata prius in privato sacello salutari hostia, nobilissimam hanc Palatii Vaticani aulam ingressus, ac solio assidens, ad se arcessivit Reverendissimum Cardinalem Camillum Di Pietro, Episcopum Ostien. et Veliternen. sacri Collegii Decanum pro Reverendissimo Cardinali Dominico Bartolini sacrae Rituum Congregationi Praefecto nunc Roma absente, ac Reverendissimum Cardinalem Thomam Mariam Martinelli Causae Relatorem, una cum R. P. Laurentio Salvati s. Fidei Promotore, et

me infrascripto Secretario, iisdemque adstantibus, memoratae Congregationis sententiam confirmans, solemniter pronunciavit: ***Constaile de sex Miraculis,*** videlicet:

/. De repertis in corde Beatae Clarae prodigiosis signis mysteriorum Passionis Domini Nostri Iesu Christi in primo genere; nec non de instantánea perfectaque sanatione:

VI. Cepti Speranza adolescentis a monstruoso varo pedum a nativitate contracto:

VII. Antonii Romanoni adolescentis ab inveterata turpi claudicatione, cum sinistri er ur is retractione, anchylosi, aliisque gravibus synlomatibus:

XV. Florae Nicolai a completo et inveterato uteri prolapsu :

XIX. Pueri 'Lucarelli Iacometti a cancro oculorum, cum caecitate et enormi bulborum extra orbi tam prolapsorum devastatione :

XXIII. Chini Raynaldutii Clerici ab hernia inguinali dextera inveterata :

Ideoque, attentis Decreto iam edito de approbatione virtutum, ac ceteris omnibus in Causa iam rite actis, Tuto procedi posse ad solemnem beatae Clarae a Cruce Canonizationem.

Huiusmodi autem Decretum publici iuris fieri, in sacrae Rituum Congregationis acta referri, litterasque Apostolicas sub plumbo de solemniis Canonizationis quandocumque celebrandis expediri mandavit tertio Idus Septembris anni MDCCCLXXXI.

Pro Emo et Rmo **Dno**

D. **CARD. DOMINICO BARTOLINI** S. R. C. Praefecto

Camillas Card. DI PIETRO

Episcopus Ost ¿en. et Velit ernen.

Loco £J$ Sigilli

Placidus Rulli S. R. C. Secretarius.

DECRETUM

Die 8 Decem. 1881.

Ad honorem Sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae, -et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum, in Urbe existentium consilio, Beatos Ioannem Baptistam de Rubeis, Laurentium a Brundusio, Benedictum Iosephum Labre, Confessores, et Claram a Cruce Virginem, Sanctos esse decernimus, et definimus ac Sanctorum Catalogo adscribimus: Statuentes ab Ecclesia Universali illorum memoriam quolibet anno, nempe Ioannis Baptistae, die vigesima tertia Maii, Laurentii, septima Iulii, Benedicti Iosephi, decima sexta Aprilis, inter Sanctos Confessores non Pontifices, Clarae die decima octava Augusti, inter Sanctas Virgines pia devotione recoli debere. In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sanctis. Amen.

IN FESTO

SANCTI THOMAE AQUINATIS

CONFESSORIS ET ECCLESIAE DOCTORIS

IN II. NOCTURNO

Lectio iv.

Praeclarum Christiani orbis decus et Ecclesiae lumen, beatissimus vir Thomas, Landulpho Comite Aquinate et Theodora Neapolitana, nobilibus parentibus natus, futurae in Deiparam devotionis affectum adhuc infantulus ostendit. Nam chartulam ab eo inventam, in qua salutatio Angelica scripta erat, frustra adnitente nutrice, compressa manu valide retinuit, et a Matre per vim abreptam, ploratu et gestu repetiit, ac mox redditam deglutivit. Quintum annum agens, monachis sancti Benedicti Cassinatibus custodiendus traditur. Inde Neapolim studiorum causa missus, iam adulescens Fratrum Praedicatorum Ordinem suscepit. Sed matre ac fratribus id indigne ferentibus, Lutetiam Parisiorum mittitur. Quem fratres, in itinere per vim raptum, in arcem castri sancti Ioannis perducunt: ubi varie exagitatus, ut sanctum propositum mutaret, mulierem etiam, quae ad labefactandam eius constantiam introducta fuerat, titione fugavit. Mox beatus iuvenis, flexis genibus ante signum Crucis orans, ibique somno correptus, per quietem sentire visus est sibi ab Angelis constringi lumbos : quo ex tempore omni postea libidinis sensu caruit. Sororibus, quae, ut eum a pio consilio removerent, in castrum venerant, persuasit, ut, contemptis curis saecularibus, ad exercitationem caelestis vitae se conferrent.

Lectio v.

Emissus e castro per fenestram, Neapolim reducitur : unde Romam, postea Parisium a fratre Ioanne Theutonico, Ordinis Praedicatorum generali Magistro, ductus, Alberto Magno doctore, philosophiae ac theologiae operam dedit. Viginti quinque annos natus, magister est appellatus, publiceque philosophos ac theologos summa cum laude est interpretatus. Nunquam se lectioni aut scriptioni dedit, nisi post orationem. In difficultatibus locorum sacrae Scripturae, ad orationem ieiunium adhibebat. Quin etiam sodali suo fratri Reginaldo dicere solebat, quidquid sciret non tam studio aut labore suo peperisse , quam divinitus traditum accepisse. Neapoli cum ad imaginem Crucifixi vehementius oraret, hanc vocem audivit : Bene scripsisti de me, Thoma : quam ergo mercedem accipies? Cui ille: Non aliam, Domine, nisi teipsum. Collationes Patrum assidue pervolutabat ; et nullum fuit scriptorum genus in quo non esset diligentissime versatus. Scripta eius et multitudine, et varietate, et facilitate explicandi res difficiles adeo excellunt, ut uberrima atque incorrupta illius doctrina, cum revelatis veritatibus mire consentiens, aptissima sit ad omnium temporum errores pervincendos.

Lectio vi.

A Summo Pontifice Urbano Quarto Romam vocatus, eius iussu ecclesiasticum lucubra vit officium in Corporis Christi solemnitate celebrandum ; oblatos vero honores, et Neapolitanum Archiepiscopatum, etiam deferente Clemente Quarto, recusavit. A praedicatione divini verbi non desistebat; quod cum faceret per octavam Paschae in Basilica sancti Petri, mulierem, quae eius fimbriam tetigerat,.,, a fluxu sanguinis liberavit. Missus a beato Gregorio Decimo ad Concilium Lugdunense, in Monasterio Fossae Novae in morbum incidit, ubi aegrotus Cantica Canticorum explana vit. Ibidem obiit quinquagenario, anno salutis millesimo ducentésimo septuagesimo quarto, nonis Martii. Miraculis etiam mortuus claruit ; quibus probatis, a Ioanne Vigesimo secundo in Sanctorum numerum relatus est, anno millesimo tercentesimo vigesimo tertio; traslato postea eius corpore Tolosam, ex mandato beati Urbani Quinti. Cum sanctis angelicis spiritibus non minus innocentia quam ingenio comparatus, doctoris Angelici nomen iure est adeptus, eidem auctoritate sancti Pii Quinti confirmatum. Leo autem Decimus tertius, libentissime excipiens postulationes et vota omnium pene Sacrorum Antistitum Orbis Catholici, ad tot praecipue philosophicorum systematum a veritate aberrantium luem propulsandam, ad incrementa scientiarum, et communem humani generis utilitatem, Eum, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, per Apostolicas litteras caelestem Patronum Scholarum omnium Catholicarum declaravit et instituit.

ADDENDA AD MARTYROLOGIUM ROMANUM

îīonis Martii

In elogio s. Thomae Aquinatis post verba scientiae illustris, addantur sequentia: Quem Leo Decimus tertius Scholarum omnium Catholicarum caelestem Patronum declaravit.

URBIS ET ORBIS

Superiore anno Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII per Apostolicas Literas in forma Brevis sub die 4 Augusti datas, quamplurium Dioecesium sacrorum Antistitum aliorumque Virorum scientia, pietate atque ecclesiastica dignitate eminentium votis obsecundans, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto Angelicum Doctorem sanctum Thomam Aquinatem cunctis Catholicis Universitatibus studiorum, Academiis, Lyceis et Scholis peculiarem apud Deum dedit patronum. Quo autem huiusmodi solemnis actus in sacra quoque liturgia perennis extaret memoria, Sanctissimus ideo Dominus Noster voluit ut tam in Lectionibus historicis Breviarii quam in Martyrologio mentio de hoc fieret: quod Sacrorum Rituum Congregationi exequendum commisit. Bine ad mentem Sanctitatis Suae novae Lectiones historicae necnon addenda ad elogium in Martyrologio elucubrata sunt, quae a me infrascripto Cardinale Sacrae eidem Rituum Congregationi Praefecto subsignata die exhibita, prouti huic praeiacent Decreto, idem Sanctissimus Dominus suprema auctoritate sua approbavit, mandavitque ut ea ab universae Ecclesiae Clero tum Saeculari tum Regulari, haud excluso Praedicatorum Ordine, in posterum recitari debeant, suppressis omnino Lectionibus secundi Nocturni in Officio praefati Sancti Doctoris hucusque adhibitis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 14 Octobris 1881.

L„ *i%* S. **D. CAJRD. BARTOL1NIUS s. R. C. PRAEFECTUS.**

PBO R. P. D. PLACIDO RALLI Secretario

Ioannes Can. Ponzi Substitutus.

Responsum SS. D. N. Leonis XIII allocutioni, quam coram Eodem habuerunt Praesules Romam- conventi solemnis canonizationis causa.

Venerabiles Fratres

Periucundum solatium, quod acta vobiscum solemnia nuper Nobis attulerunt, augetur ac prope cumulatur hodierno die, cum et vos loco tam frequentes intuemur, et sapienter graviterque dicta consideramus, quibus est huius frequentiae vestrae causa ratioque declarata. Fides enim et pietas erga Iesu Christi Vicarium permovit unumquemque vestrum: qui auspicia redeundi ad vestras sedes tunc optima fore censuistis, cum vestrae in Nos observantiae essent renovata testimonia. Qua in re nec dubium divinae benignitatis vestigium, nec mediocris curarum Nostrarum consolatio inest. Nihil enim potest magis gratum optatumque contingere, quam ut singularum Ecclesiarum Episcopi summa animorum concordia idem ac Nos velint, idemque sentiant, non officio solum et munere, sed etiam gaudiorum et molestiarum voluntaria communicatione Nobiscum coniuncti. In hac quippe conspiratione et velut concentu animorum expressa imago et forma perspicitur unitatis eius admirabilis ac plane divinae, ex qua fortitudinem suam et robur ducit Ecclesia catholica, atque ipsas adversariorum mentes tum invictae magnitudinis admiratione percellit.

Huius rei caussa, diviti in misericordia Deo et agimus gratias et habemus, exemploque Filii sui enixe petimus, ut omnes quotquot sunt christiani perpetuo et constanter *unum sint______et sint consummati in unum;* eodemque tempore vobis, Venerabiles Fratres, libenter profitemur gratum animum et caritatem Nostram benevolam, quae eximio amori vestro pariter aequaliterque respondet.

Atque huius concordiae, quam diximus, nunc est et Nobis necessitas maior, quod qui rem christianam gerunt, iis maxime sunt difficultates superandae , vehementesque perferendi dolores. Audacius enim et licentius, quam fortasse

alias unquam aetate hac nostra cum Ecclesia Christi, cum Deo ipso exercentur inimicitiae : ardent omnia sacrilego et detestabili bello, cuius acerbior in hanc|Sedem Apostolicam est modo vis et fiamma conversa. Quod autem intolerabile est, ea oppugnatur auctoritas divinitus instituta, quae spem salutis in praesenti rerum discrimine praecipuam et exploratam afferret. Revera si quid est, quod possit indómitas hominum cupiditates compescere, si quid effrenatam insolentia multitudinem in officio continere, id maxime Ecclesia catholica virtute sua, et doctrina, et legibus potest. Neque minor est stultitia aut temeritas insectantium hostili odio Pontificatum Romanum, quem, si nihil aliud, at certe res ab eo gestae et collata in omnes gentes beneficia tueri deberent. Atque utinam gens italica prae ceteris intelligat quidquid operae in Romani Pontificis libertate iuribusque vindicandis collocatur, non in periculum, ut saepe diximus, sed in mansuram prosperitatem magnitudinemque italici nominis redundare.

Interea, Venerabiles Fratres ad nos quod attinet, propositum constanter habeamus tamquam finem, officium insistere, et communi hominum, vel inimicorum, saluti diligentissime servire. Eruditi enim sumus disciplina et exemplis principis Pastorum Iesu Christi, qui cum sibi male diceretur, non male dicebat, mundumque divinitus sanavit invitum ac repugnantem. Nos pari modo necesse est ut nosmetipsos incolumitati populorum devoveamus, et quanto in nos vehementius homines invehuntur tanto illos fortius diligere, et Deo auspice et adiutore, liberare contendamus.

Ceterum, in tanta rerum ac temporum conversione, peropportunam Nobis et Ecclesiae universae opem confidimus allaturos viros sanctissimos, quibus coelestes honores superioribus diebus decernendos curavimus. Hac freti iucundissima spe, vobis omnibus, Venerabiles Fratres, et populis fidei vigilanti aeque vestrae commissis, bonorum coelestium auspicem et praecipuae benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimur.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

PII RELICTI

Die 29 Ianuarii 1881.

COMPENDIUM FACTI. Onuphrius Soriente extremas tabulas condidit die 5 Septembris 1656, atque inter pia legata, pluribus Ecclesiis relicta, recensendum est illud peractum favore Cappellae s. Mariae Gratiarum, sitae in loco Casalis Cicalensium Dioecesis N. de quo ita in testamento : relinquo Cappellae s. Mariae Gratiarum modia quatuor cum dimidio terreni . . . cum onere in perpetuum, ut ex reditibus Cappellanus quotannis tot celebret Missas pro anima mea. . . . De veniens postea ad designationem personae* pro praescriptorum onerum adimplemento, constituit testator : Missas, quae celebrari debebunt in Cappella s. Mariae Gratiarum, celebrandas esse ab eo, qui primus ex Cicalensibus sacerdotalem amplectatur statum.

Anno 1830 volvente, ad preces Parochi s. Ioannis Baptistae ad Clyvum, in cuius ambitu Cappella s. Mariae Gratiarum sita invenitur, adhuc vivente eiusmet Rectore Dominico Cicalese, regium decretum prodiit, vi cuius istaec Cappellania in Paroeciam s. Ioannis transferebatur, adhibita tamen cautione, ut plena translatio fieret post rectoris mortem. Clericus Gherardus e Casali Cicalensium originarius, cum sacris ordinibus initiandus esset, atque titulo sacrae ordinationis destitutus maneret, ratus sibi ius esse fundum ab Oiiuphrio relictum possidendi, pro eiusdem relaxatione institit pe-

nes enunciatum Parochum. Hic pro titulo s. Patrimonii, edito instrumento die 24 Maii 1872, sollicitus fuit Gherardo assignare super redditibus praedii, a Soriente legati, annuas libellas 363 cum onere persolvendi annuas Missas tercentum', reservatis sibi (ceu refert Episcopus) libellis 826 cum onere 65 sacrificia quotannis litandi.

Istius Cappellaniae titulo ad sacra promotus, atque presbyteratus ordinem consequutus, quum incassum integri fundi restitutionem a Parocho expostulavisset, Gherardus ad Curiam habuit recursum. Tempore igitur s. Visitationis hac super quaestione partes auditae fuerunt, atque die 1 Novembris 1879 ipse Praesul quaestionem diremit favore Clerici Gherardi.

Appellavit Parochus ad Metropolitanum, qui sententiam protulit. « Curam legati Soriente a Parocho pro tempore s. Io-
» annis Baptistae ad Clyvum esse gerendam, ita tamen ut
» singulis annis Ordinario Dioecesano rationem reddat de
» administratione peracta. R. Gherardum sacerdotem ca-
» salis Cicalensium, pro eiusdem legati adimplemento, ius
» habere ad integram Cappellaniam, seu ad Missam quoti-
'» dianam celebrandam cum stipendio, iuxta taxam Dioecesa-
» nam, et insuper ad aliquod supplementum ab Apostolica Sede
» impetrandum pro titulo sui sacri patrimonii. Reliquas mis-
» sas, quae, expensis detractis, ex redditibus praefati fundi
» satisfaciendae supersunt, esse iuxta eamdem taxam cele-
» brandas a Parocho pro tempore praedictae Paroeciae, vel
» per se vel per alios sacerdotes. »

Hanc sententiam aegre ferens Gherardus, sub die 14 Iunii ad S. C. C. confugit, ut illa nullius valoris declararetur.

Disceptatio Synoptíca

DEFENSIO PRESBYTERI GHERARDI. AC in primis patronus actoris contendit sententiam Metropolitanae Curiae esse infirmandam. Quod ut probet, principio meminit, utriusque iuris canonem esse, constanter, per ss. Congregationum

resolutiones firmatum, testatorum voluntates, ac praesertim ad pias causas et fundationes, ad instar legis haberi, eisque omnibus modis esse obsequendum ex *L. XII Tabularum, Novell. 22 cap. 2, Can. 4 caus. 13 qu. 2, Clement. Quia contigit, De relig, dom.; Reiffenstuel. lib. 3 Decret, tit. 26 num. 798.* Huiusmodi autem, subsumit, indeclinabile onus, tribunalibus incumbit, quorum officium non est leges condere, bene vero easdem practicis casibus applicare, ut unicuique suum reddatur, *Fagnan. Cap. Quod superbis de maiorit, et obedient.; Barbosa de off. et potest. Episc, alleg. 93 num. 29, Piton, de controv. patr. all. 33 n. 37; S. C. C. in Civitatis Plebis 26 Ian. 1760 §. Ad ius.*

Unus tantum, prosequitur, Romanus Pontifex, iusta et legitima interveniente causa, testatorum voluntates et fundationes *ad certas pias causas, in alios usus vel causas* commutare potest, quia voluntas testatoris pro lege habenda est : *Reiffenst. lib. 3 tit. 26 num. 804 et 807, cit. Clem. quia contigit,* et quaevis pia fundatio, dum ceterarum humanarum potestatum auctoritatem quoad inadimplementum, infractionem, reductionem aut commutationem effugit, tacitam clausulam continet : *salva auctoritate Summi Pontificis, Amostaz de caus. piis lib. 1 cap. 14 num. 12;* S. O. O. in millenis resolutionibus, ac praesertim in *F aven. Capellaniae 7 Maii 1791 §. Deliberandum.*

Quae cum ita sint, urget, in piis fundationibus, in iis scilicet testamentariis dispositionibus, quae Deum et animam concernunt, solius Pontificiae potestatis est sese immiscere, in iisque nullum ius habet sese ingerendi saecularis potestas : *Card. De Luca in adnot. ad Concil. Trid. disc. 21 n. 4 et seqq. Rota decis. 408 part. 12 recent.* Quapropter concludit, nemo non videt, regiam auctoritatem in themate suae potestatis fines excessisse, quando pium relictum Soriente commutare vel variare praesumpsit. Fortius autem, instat, id tenendum, quia commutatio in publicum damnum vergebat, finis enim piae fundationis penitus tollebatur. Nam peracta commutatione, habitatores illius loci , pro qui-

bus pium relictum fundavit Soriente, cogebantur, ad sacrum audiendum, petere Paroeciam, quae uno saltem milliario distat. Insuper de hac facultate favore Regis praesumpta, **om**nino reiicitur in Concordato ; facultates vero quae a Pontifice asseruntur concessae, non praesumi sed ineluctabilibus et authenticis documentis demonstrari debent.

Minusque iuvat adducere rescriptum R. Fabricae s. Petri, quo facultas Parocho data fuit, memoratam retinendi Cappellaniam; huiusmodi enim rescriptum ad triennium tantum concessum fuit, et triennium anno 1830 expiravit, unde ipsum suas vires prorsus amisit.

Neque est pertimescendum ex lege 15 Augusti 1867 aliquid detrimentum in pium relictum. Expensis enim testamenti verbis, aperte fluere tenet Orator, testatorem non beneficium aut Cappellaniam ecclesiasticam instituisse, sed legatum Missarum reliquisse, quod, uti accessorium Cappellae, ens autonomum non est, neque cadere potest sub lege suppressio* nis praesentis gubernii.

Perperam autem, pergit orator, obiicitur administrationem fundi esse penes rectorem Cappellae s. Mariae, et Missas, iuxta sententiam Curiae, partim a Capellano Cicalensi, partim a Parocho celebrandas esse. Siquidem Cappellae Rector est Sacerdos Gherardus, eique propterea qui unicus Cicalensis sacerdos est, fundi administratio ac ius omnes Missas celebrandi competit. *De Luca De Legat. disc. 25 num. 2> quia quando legatum directum est in Ecclesiam, quia nempe dictum est relinqui Ecclesiae annuam summam pro Missis celebrandis, tunc legatum debetur eiusdem Ecclesiae Rectori.* Ad eundem ergo pertinet celebratio Missae quotidianae in Cappella s. Mariae iuxta claram testatoris voluntatem, ac ius pium relictum administrandi, omnesque fructus percipiendi. Testator quod voluit expressit, quod noluit reticuit : voluit ut sacerdos Cicalensis omnes Missas celebraret, quin de divisione Missarum inter sacerdotem Cicalensem et Parochum obmussitaret quidem ; ergo Parochus respuitur ex non voluntate testatoris.

Sed et ulterius, prosequitur, sententia infirmanda est, quia communitas Cicalensis expoliari non poterat *passivo* iuspatronatus, quod illi testator in perpetuum reliquerat. Quaestio hic non est de patronatu activo, quem exercet testator ipse vocans semper primum Sacerdotem Cicalensium; sed de passivo, ad quod ius exclusivum habent omnes indiscriminatim Oicalenses, qui Ordinem sacerdotalem amplecti velint.

Accedit, sententiam Metropolitani falso inniti super factum constitutionis sacri patrimonii a Parocho, favore Gherardi, constituti anno 1872 ex parte pii relicti Soriente. Gherardus enim ius habet ad integrum relictum, et factum constitutionis patrimonii tali modo peractae, adamussim demonstrat etiam Parochum, bonum Gherardi ius recognovisse: quod ceteroquin adstruunt et ipsa verba instrumenti diei 24 Maii 1872, in quo ipse Parochus nullo prorsus iure iuspatronatus activum sibi addicit.

Inutiliter, urget Patronus, ex adverso opponere tur **D.** Gherardum facto suo renunciasse administrationi et fruitioni integri pii relicti. In primis enim de renunciatione in citato instrumento neque verbum neque vola reperitur; cum Gherardus, tunc in minoribus, titulum tantummodo pro tunc sibi constituere intellexerit, ut ad maiores Ordines valeret ascendere. At etiamsi tacitam renunciationem facto suo emisisset, actus semper nullus et irritus retinendus est, quia voluntatem testatoris immutare non poterat, permittens ut Missae partim in Paroecia, partim in Cappella s. Mariae, partim **a** Parocho, partim a sacerdote Cicalensi celebrarentur. Accedit, Gherardum nec libere egisse, cum enim, necessitate sibi constituendi patrimonii pressus, in ius Parochum rapere non valeret ob extremam inopiam qua detinebatur, Parochi exigentiis collum subiugare coactus fuit, et meliora tempora ad ius suum vindicandum expectare.

DEFENSIO PAROCHI. Statuta competentia Curiae in proferenda sententia, eiusdem iustitiam intrinsecis argumentis protueri conatur Parochi patronus. Ac primo adversarii pretensioni obicem parare sustinet transactionem, cum suo Cliente

initam, die 24 Maii 1872 nedum comprobante, sed ipsomet Episcopo proponente. Transactionis siquidem effectus est ut litem dirimat, habeatque vim rei iudicatae ac iurisiurandi inter partes ex *Leg. 2 ff. Be iureiur., Leg. 20 Cod. Be transad. , Voet ad Band. lib. 2 tit. 15 num. 21.* Cum igitur transactionis ope quaestio ita composita fuerit, ut administrationem praedii retineret Parochus, cum onere rependendi Gherardo annuam libellarum 364 summam cum onere 300 Missas celebrandi, meridiana luce clarere concludit, eumdem, donec usura vitae fruatur, nihil aliud quam conventum inter partes portendere posse. *Nihil enim tam fidei congruit humanae, quam ea quae placuerunt custodire. Leg. 20 Cod. de transad.* Cum igitur ex sententia metropolitanae Curiae, aliquid amplius quam transactio inita ferebat, Gherardo fuerit attributum, sua sorte contentus esse debet, et a proferendis contra sententiam questubus desinere.

Mox testamenti verba expendens, nil evidentius esse certat quam proprietatem fundi Cappellae s. Mariae Gratiarum fuisse relictam ; quae ceteroquin alia possidebat bona, aliisque praegravabatur oneribus. Ius igitur possidendi praedium eiusque redditus administrandi, nonnisi quam rectori Capellae tam ex iure, quam ex presumpta testatoris, voluntate spectare posse affirmat et tenet defensor, numquam testatorem voluisse dominium et possessionem fundi a Cappella s. Mariae auferre, atque in Sacerdotem Cicalensem transferre. Cum enim in sua potestate non esset rectorem dictae Cappellae eligere, cumque omnium reddituum administratio ad rectorem ipsius Cappellae spectet, pafam fieri concludit administrationem fundi, a Soriente relicti, ad rectorem Cappellae spectare debere, et sacerdotem Cicalensem nil aliud ab eo exigere posse quam eleemosynam pro Missis celebrandis a testatore demandatis. Quod autem Cicalensis Presbyter a testatore nominatus nullum ius ad Rectoriam Cappellae possidendam habeat, definitum fuisse dicit anno 1703 per sententiam a Curia metropolitana editam contra Carmelum Soriente.

Hucusque dicta magis magisque confirmari adurget ex eo quod testator Missarum sive numerum sive eleemosynam haudquaquam praefinivit, sed tantum ex redditibus praesignati fundi voluit celebrandas esse tot Missas. Indubie ideo statui posse adurget tot Missas in praesens celebrandas esse, quot possunt cum redditibus fundi iuxta Dioecesanam taxam. Hoc enim exigit praesumpta testatoris voluntas, quae nihil determinando maiorem suffragiorum numerum voluisse dicendum est in expiationem animae suae et propinquorum. Age redditus fundi in praesentiarum tales sunt, ut iuxta dioecesanam taxam, praeter quotidianam Missam, etiam alias sinant celebrandas. Sed Cicalensis Sacerdos a testatore vocatus nonnisi quam unum quotidie sacrificium valet litare. Remanet ergo generalis regula a testatore constituta, quod aliae debeant celebrari a Cappellano, seu Rectore Cappellae Gratiarum, cui etiam per consequens administratio et fundi possessio competere debet. At rector praenunciatae Cappellae est Parochus *pro tempore* s. Ioannis Baptistae ad Clivum, cui Paroeciae de anno 1830 bona omnia ad Cappellani s. Mariae Gratiarum spectantia unita et translata fuerunt. Ad parochum ergo s. Ioannis possessio et administratio fundi a Soriente relicti spectare concludit, sacerdotemque Cicalensem nil aliud quam ius quotidianam Missam celebrandi cum eleemosyna taxae dioecesanae respondenti, portendere posse.

Perperam obiici censet unionem et bonorum translationem, utpote **a** laica potestate provenientem, illegitimam esse, et nullitatis vitio infectam. Etenim perpendendum praeprimis esse dicit, in vim Concordati utriusque Siciliae , Regem valuisse beneficia et Cappellanias quascumque unire et transferre ; perpendendum secundo Regem decretum illud edidisse, ut morem Episcopo gereret, qui unionem et translationem illam percupiebat ; perpendendum tertio Episcopum illico decretum praefatum exequutioni demandasse, quod constanter observatum et ratum habitum fuit **a** successoribus Praesulibus usque ad praesentem diem. Unio prop-

terea, subdit, et praememorata translatio est habenda potiusquam a Rege, ab Episcopo peracta. Episcopum autem legitimis de causis beneficia et Ecclesias in sua Dioecesi unire posse latet neminem, post dispositionem *Cap. Sicut unice* ***8*** *De excess. Praelat. Cap.* ***33*** *de praeb. ;* idque docet *Ferraris Bibi. Eccl. Un. verb. Unio num.* ***9,*** *Fagnan. Cap.* ***8*** *De excess. Prael. n.* ***8*** *et* ***9*** cum aliis. Iusta vero causa uniendi beneficia, tenet cum *Ferraris loc. cit. est Ecclesiae necessitas vel utilitas : cap.* ***33*** *De praeb.... Necessitas autem Ecclesiae tunc censetur intervenisse quando Praebenda, cui unio faciendaxst, caret sufficientibus redditibus. Utilitas vero tunc intervenit quando, propter fructuum tenuitatem, non inveniuntur Clerici idonei ad deserviendum ;* prout examussim evenisse propugnat in praebenda parochialis Ecclesiae s. Ioannis ad Clivum, cui ope regii Decreti Cappella s.- Mariae Gratiarum una cum bonis ad eam pertinentibus fuit unita.

Hisce igitur aequa lance perpensis, sequens EE. PP. rogati sunt resolvere

Dubium.

An sententia Curiae Archiepiscopalis sit confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. S. C. C. re mature discussa, sub die 29 Ianuarii 1881 censuit respondere:

Sententiam esse confirmandam.

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Testatorum voluntates, praecipue ad pias causas et fundationes haberi legis instar; ita ut solus **R.** Pontifex, iusta interveniente causa, possit easdem voluntates et fundationes in alios usus vel causas commutare.

II. Qua de re saeculares potestates omni carere iure sese immiscendi in piis fundationibus, nisi id iuris eisdem indultum fuerit per Concordata a RR. Pontificibus.

III. In themate videri Regem valuisse, vi Concordati beneficium transferre, illudque transtulisse ad Episcopi petitionem, qui necessitatem et Ecclesiae utilitatem adesse noverat in casu.

IV. Videri pariter in themate proprietatem fundi a testatore fuisse relictam Cappellae s. Mariae Gratiarum, quae alia possidebat bona aliisque praegravabatur oneribus ; ita ut Cicalensis sacerdos nil aliud exigere possit ab illo rectore quam eleemosynas pro Missis celebrandis a testatore demandatis.

V. Quum pius testator neque numerum neque Missarum eleemosynam praestituerit, videri, ex praesumpta eius voluntate, tot celebrandas esse Missas in expiationem animae 'suae, quot possint cum reditibus fundi relicti, iuxta dioecesanam taxam.

VI. Ex quo autem in praesens fundi relicti reditus tales sint, ut ultra quotidianam, a Cicalensi sacerdote recitandam, aliae etiam celebrari possint Missae, ideo ad praesumptivam testatoris voluntatem,alias litabit Missas rector capellae s. Mariae Gratiarum, qui post decretum regium anni **1830,** est idem Parochus s. Ioannis Baptistae ad Clivum.

IURIUM PAROCHIALIUM

Die 24 Iulii 1880 et die 29 Ianuarii 1881.

COMPENDIUM FACTI. Extat in oppido N. Sodalitas SSmae Annunciatae sub nomine *Suffragii de Misericordia,* canonice erecta cum propria Ecclesia et iam ab anno **1681** Archiconfraternitati Gonfalonis Almae Urbis aggregata.

Haec anno 1775 in ius vocavit Parochum coram supremo magistratu Pedemontani Gubernii ob liberum exercitium quarumdam functionum ; et lis acriter exarsit usque ad diem 5 Augusti 1780, in qua finis eidem impositus fuit solemni transactione, agente ac praesente tunc temporis Generali Vicario, rite inita, atque ultro citroque acceptata. In ea utriusque iura et onera distincte declarata fuere, adeo ut res usque ad annum 1879 pacifice processerint. Imo cum confratres supplici libello ab Episcopo quaesivissent, ut eorum Ecclesiam in Paroeciae succursalem erigerei, Episcopus benigne preces excipiendas existimavit, et edito die 13 Iunii 1867 erectionis decreto, sibi ius nominandi rectorem reservavit, atque expresse cautum voluit ne functiones in dicta Ecclesia succursali peragerentur a Confraternitate, quin prius Parochus invitaretur, et uno verbo, ut nil de inita transactione immutaretur, et res in posterum in eodem statu perseverare deberent. At Confratres, agentibus nonnullis, quorum vivendi rationem iam antea Parochus aliquando corripuit, tum ex erectione propriae Ecclesiae in succursalem, tum ex pluribus ss. Congregationum decretis contendere satagunt, ipsis competere ius functiones peragendi independenter a Parocho; ideoque ut propria iura tuerentur, Episcopum adierunt, qui quaestionem dirimere recusans, administratoribus Confraternitatis suasit, ut apud **S.** C. Concilii recursum haberent: sed interim Rectori dictae Ecclesiae praecepit, ut nil innovare praesumeret, interdixitque ei sub poena suspensionis ipso facto incurrenda, ne functiones perageret sine Parochi venia. Hoc accepto responso Confratres statim supplicem libellum **S. O.** Congregationi obtulerunt.

Disceptatio Synoptica.

IURA SODALITII. Confraternitatis patronus ius peragendi enunciatas functiones pio sodalitio totis viribus vindicare conatur. Ac primo id evinci affirmat ex fine sodalitatum, qui praesertim in eo consistit quod fideles congregati pietatis opera

perficere valeant ; ex quo fluere putat posse confratres mortuorum corpora ad sepulturam comitari, hoc enim enfici tur non solum *ex publica utilitate vivorum, sed etiam pro bono animae defuncti, Amostaz, De caus. piis Lib. 6. cap. 7. n. 5.*

Secundo loco contendit Confraternitatem exemptam esse a parocho in functionibus non parochialibus celebrandis. Ut hoc probet, affert notissimum decretum generale s. Congregationis ss. Rituum diei 10 Decembris 1703. Proposito enim dubio « An Confraternitates in aliis Ecclesiis publicis habeant, > quoad easdem functiones *(non parochiales)* aliquam depen- » dentiam a parocho, intra cuius parochiae limites sitae sunt > Ecclesiae? Responsum fuit: *Negative.*»

Eidem Decreto s. C. ss.Rituum innixus orator pio sodalitio vindicat ius habendi in propria Ecclesia conciones tempore quadragesimae et adventus, praevio Ordinarii consensu, nec non ius missae cantatae, sub ea tamen conditione, quod festis diebus id minime fiat antequam missa parochialis celebretur; in citato enim decreto n. 10 statuitur posse confraternitates missam solemnem celebrare in *festivitatibus solemnioribus eiusdem Ecclesiae vel Oratorii.*

Haec attentis iuris generalis principiis. Ast non magis iuvari parochum, pergit Orator, aliquo iure speciali ; conventio enim seu transactio facta post mortem parochi Bergontii, fuit omnino personalis et amicabilis compositio quae eo tendebat ut inter successores Bergontii et Confraternitatem perfecta et permanens concordia haberetur. Ideoque eius valor et obligatio ad successores minime transit.

Ast dato etiam quod vera fuerit transactio: quid inde? Nullius fuit roboris, nam *quaecumque transactio de re ecclesiastica irrita est sine beneplacito apostolico, etiamsi agatur de transactione facienda inter personas ecclesiasticas, Pignat. Cons. 114 n. 17.* Quam doctrinam confirmari subdit a Concilio Tridentino *Sess, XII Cap. 11 de ref.* anathemate percutiente, qui bona aut iura Ecclesiae usurpare praesumpserit vel eius iurisdictionem impedire.

Neque consuetudinem invitandi parochum ad functiones

celebrandas in casu, aliquod ius peculiare eidem quaesivisse contendit ; quandoquidem consuetudo obligatoria et coactiva exurgere non potest ex actibus facultativis C<ms¿<m¿m¿ *vat.* ***447 n. 84*** *Surdius Constit.* ***127*** *n.* ***81*** S. Rota in *Calaguritana - Decimarum s.* ***Petrini*** *Iunii* ***1697*** §. *absque, cor.* Molines.

Demum neque officere dioecesanam synodum in qua tantum prohibentur confraternitates novas inducere functiones absque Ordinarii licentia, ac suis functionibus turbare parochiales; ex quibus nullo pacto inferri posse concludit, cappellanum independenter a parocho functiones non parochiales peragere non posse.

IURA PAROCHI. EX altera vero parte ante omnia de definiendis controversiae terminis dimicat Praepositi defensor. Parochus Sodalitio functiones explendi ius non inficiatur, sed pro viribus pugnat ne *novas* functiones sibi sodalitium vindicet ac ne illas celebret, *irrequisito parocho.*

Praeterea ait, sacrae Rituum Congregationis ac Benedicti XIV auctoritate fretum , Sodalitium ius sibi competere putat functiones omnes explendi quas hodie inducere vellet. Quod enim ad decretum s. Rituum Congregationis attinet, multas quidem functiones inter iura parochialia non recenseri s. Congregatio constituit, sed haec adiecit: « Et ita salvis > tamen conventionibus et pactis in erectione Confraterni- » tatum forsan factis, concordiis, inter partes initis et a s. Sede » approbatis, Indultis, Constitutionibus synodalibus ac pro- » vinciàlibus, consuetudinibus immemorabilibus, vel saltem » centenariis. » Quod Benedictus XIV iisdem fere verbis tradidit in Institutione C V. Ideo tota quaestio ab eo pendere videtur ut servari debeant quae *consuetudo Synodi dioecesanae* et *concordiae* inter partes *initae* statuerunt. Et quoad consuetudinem neminem latet, qualis in controversiis omnibus centenariae vel immemorabili observantiae vis sit.

Orator censuit id non esse confirmandum doctorum sententiis; sed unum animadvertit quod specialem consuetudo vim obtinet cum de praeeminentiis agatur, teste *De Luca*

disc. 19 de regul. num. 7 et in disc. 1 de Regul. num. 61. Ex citato autem decreto Urbis et Orbis, ceu quisquis videt, talis consuetudini adscribitur vis, ut decretum ipsum illi cedere debeat.

In themate immemorabilis consuetudo ius exploratum in Parocho conficit: triginta enim numero testes, una voce in pago deposuerunt, *seniores* omnes ex visu atque *ex auditu a maioribus* testantur, et quae ipsi tradiderunt, quoad functiones a Parocho peragendas cum parochorum, sacerdotum, arcariorum Sodalitii depositionibus conspirant. Haec de vetustissima, ad recens usque tempus, consuetudine: nec post novissimam erectionem Ecclesiae in paroeciae succursalem novas functiones peractas fuisse ait, prout testes apertissime asseruerunt.

Post enucleatam consuetudinis rationem , de *dioecesana lege* disserit. Porro in omnibus fere subalpini regni dioecesibus sive ex consuetudine, sive ex dioecesanae Synodi praeceptis, Ecclesiae facultatibus a s. Rituum Congregatione concessis uti nequeunt, prout tradunt *Synodi Albae Pompéien. Derthonen. Ventimilien. Nicen. Taurinen,* aliaeque plurimae. Nec mirum cuique videri debet, Episcopum posse non modo secundum, sed etiam praeter ius constitutiones Synodales edere. *De Luca de emphyt. disc. 36 n. 6.* Haec igitur causa fuit cur s. Rituum Congregatio in decreto Urbis et Orbis, immutandi, et interpretandi ius Episcopis tribuit, qui prae ceteris quod pro gregis bono expediat, perspiciunt, iis verbis « *salvis_____constitutionibus synodalibus ac provincialibus* ». At quales dioecesanae Synodi constitutiones hac de re in casu fuerint, Sodalitium non latet. Anno 1764 Episcopus Casati Synodum coegit quae *hodie in dioecesi viget,* ac statuit: a Confraternitatibus haud esse suscipiendas novas functiones, absque Episcopi licentia in scriptis expressa— - et mox - *Sacerdotes in Sodalitatibus ad rem divinam adhibiti, parochis obsequantur in omnibus.* Neque novas peragendi functiones Sodalitium veniam ab Episcopis obtinuit.

De concordia demum disserit quae maximam in praesenti

iudicio sibi auctoritatem vindicare contendit. Sacra enim Rituum Congregatio illud inter exceptiones apposuit « *salvis tamen______concordius, inter partes initis* » ita ut pactionibus potius quam legibus sit iudicandum. At in controversia per solemnem concordiam inter partes initam, nihil immutandum, ac debitum parocho obsequium esse tribuendum, statutum fuit: « Licebit, in concordia edicitur, illas peragere functiones pu-
» blicas in oratorio, quae fieri consueverunt ; quaeque peragi
> nequibant absque praevia invitatione et interventu Parochi,
> aut eius vice-Parochi ; neque quocumque titulo novae pu-
» blicae functiones introduci poterunt. »

Quod autem concordia haec a civili auctoritate confirmata non fuerit, haud obest eius firmitati: eoquod numquam auditum sit, initam inter partes transactionem esse a iudice confirmandam. Privati enim iuris est litem instituere ac privati pariter iuris illam componere : ex notissima vero lege partibus ius est lites pactione definire, absque iudicantium auctoritate.

Quod vero ad Apostolicae Sedis decretum, cautum ait, tunc apostolicum beneplacitum requiri cum de iuribus alienandis agatur ; non autem cum de praeeminentia aliqua per concordiam liti finis imponatur. *Rota in dec. 607 coram Olivatio to.* ***6*** *num. 50, decis. 891 to. 3 par. 2 num. 11-12 coram Motines.* Sed, licet apostolicum beneplacitum necessarium fuisset, illud ex triginta annorum lapsu necessario praesumendum tradit, cum praesertim diuturna et .constans fuerit concordiae observantia, quia absonum esset, post tam diuturnum temporis spatium, eiusmodi mutationes inducere quae dissidiis viam procul dubio sternerent. *Rota in decis. 897 num. 11 coram Molines to. 3 par. 2, atque in alleg, decis. 891 num. 11, decis. 44 §. 6 par. X Recent. De Luca disc. 68 de feud. num. 11.*

Et pro nihilo habendam esse obiectionem, quod scilicet, omnes peragere liceat functiones in Oratorio, ex quo in succursalem paroeciae erectum fuit: Episcopus enim quum decretum ad hoc edidit, iussit, *nihil innovandum esse;* et Sodales libenter id acceperunt.

Neque ab Ecclesiae succursalis natura, sive a iure ipso praesidium exquiri a Sodalitio posse tradit, quia ideo Ecclesia aliqua in succursalem erigitur, ut paroeciae commoditati provideatur, nec proprium illa aliquod adquirit, sed derivatum, ac tantum quantum ex literalis concessionis textu deducitur. *Rota decis.* ***239*** *num.* ***4*** *to.* ***2*** *coram Olivatio* - ibi - « *Stetque pro regula id omne filiali et adiutrici Ecclesiae censeri negatum, quod non apparet concessum.* Quinimo filialem et succursalem Ecclesiam matrici vel parochiali omnino subiici ait, auctoritate *Card. De Luca disc.* ***33*** *num. 6 de parocho, Reiffenstuel to.* ***1*** *lib.* ***1*** *dec. tit.* ***28 §. 29. Rotae*** *decis. 536 num.* ***2*** *coram Olivatio.*

Posita vero succursalis subiectione, amplius disceptationi locum non esse adfirmat, quia s. Rituum Congregationi in notissimo decreto, quod Sodales pro se attulerunt, proposito dubio: « *An dictae Confraternitates erectae in Cappellis vel Oratoriis, tum publicis, tum privatis, adnexis parochialibus Ecclesiis et ab eis dependentibus, habeant dictam dependentiam a parocho quoad dictas functiones (non parochiales)* » responsum edidit « *affirmative* ».

Hisce igitur hinc inde perpensis EE. PP. prudentiae remissum fuit diluere sequens

Hubium

An et quas functiones Sodales Confraternitatis explere valeant per Cappellanum, independenter a Parocho in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Congr. re disceptata sub die **24** Iulii 1880 respondit:

Servandam esse in omnibus concordiam diei 5 Augusti ***1780.***

Die autem 29 Ianuarii 1881, ad instantiam Sodalitii reproposita fuit quaestio haec sub dubitandi formula - *An sit standum vel recedendum a decisis in casu* - et responsum paruit - *In decisis et amplius.*

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Ex decreto *Urbis* et *Orbis* s. Rituum Congregationis colligi, conventiones, pacta et concordias initas inter partes, talem sibi vindicare vim, ut lex ipsa eisdem cedere debeat, quum legatur in praedicto decreto « *salvis tamen... concordas inter partes initis* ».

II. In themate per solemnem concordiam anni 1780, inter Sodalitium et Parochum initam, -atque ultro citroque acceptatam, utriusque iura et onera, distincte definita ac declarata fuisse.

III. Ideo rite s. C. Concilii respondisse: *servandam esse in omnibus concordiam diei 5 Augusti 1780 ;* qua iam definitum fuerat quaenam functiones fieri possent in praecitato oratorio, cum Parochi interventu.

COMMUTATIONIS VOLUNTATIS

Die 29 Ianuarii 1881

Per summaria precum

COMPENDIUM FACTI. Hieronymus Dingli supremis quibus decessit tabulis anni 1791, legavit Ecclesiae Minorum Conventualium in civitate M. existenti humiliorem cubiculorum ordinem vulgo *mezzanino,* ea tamen sub lege, ut ex reditibus eiusdem scuta tria Confraternitati ssmae Conceptionis, ea in Ecclesia" erectae cederent, reliquum vero in eleemosynas pro Missarum celebratione erogare tur.

Haec autem domus pars, quae a Confraternitate praedicta administratur, quaeque circiter tribus libellarum millibus aestimatur, et 150 locata est, ultimis hisce temporibus ex

benigna s. Sedis concessione fuit in titulum s. Patrimonii cuidam Alphonso Dingli concessa, una cum onere solvendi legatum Confraternitati et celebrare faciendi annuas Missas duodecim. Verum hic habitum clericalem dimisit, et legato perfrui prosequutus est, quod nonnisi litis ope, initio an. 1879 fuit a Sodalitio receptum.

Quae omnia rite pernoscens Francisca Dingli testatoris proneptis, mater 8 filiorum, quibus vir suo labore et industria subvenire non, valet, ad S. C. C. convolavit, humiliter petens , ut sibi praedicti fundi administratio concederetur, ea tamen conditione adiecta, solvendi nempe quotannis tria scuta Confraternitatis favore , nec non satisfaciendi quibusdam Missarum oneribus a S. C. C. determinandis ; reliquum vero cederet in suae familiae substentationem.

Episcopus , de more rogatus , retulit, Confraternitatem mutationi obsistere, dum a pio legato exigere debet circiter biscentum scuta, ob dictam litem aliasque summas aliis de causis impensas; Oratricem commendat, quia vere proneptis testatoris existit, et constare dicit ex testimonio proprii parochi, eam haud esse divitem, dum numerosa praegravetur familia. Ideo censuit, quod, reservatis tribus scutis pio Sodalitio fructuum dimidium sit oratrici tribuendum, subventionis causa, reliquum dimidium Sodalitio cedat usque ad extinctionem sui crediti.

Disceptatio synontica.

GRATIA DENEGANDA VIDETUR. Supremam morientium voluntatem, in pias praesertim causas directam pro lege habendam ac religiose servandam utrumque ius amico foedere clamat, ceu videre est in *Clement. Quia contingit. De relig, domib., et Leg. I Cod. De sacros. Eccles.;* unde commutatio difficile conceditur, nisi iusta et necessaria causa intercedat, hoc praescribere *Conc. Trid. sess. 22 cap.* ***6*** *de Be form.* Et etiamsi descendentium egestas soleat inter iustas et sufficientes commutationis voluntatis causas connumeran, haec

tamen debet esse gravis, et cui nequeat alio faciliori modo opitulari. Iamvero haec extrema minime in themate videntur occurrere, Franciscae siquidem vir adhuc in vivis est, et ita sanus ut operibus vacare valeat; ac proinde aliquid, etsi non abunde, sufficiens tamen quo familia vivat lucrari posse videtur. Quod pariter relè vari potest ex testimonio Episcopi, qui eamdem non absolute pauperem , sed minime divitem enunciat.

Accedit Confraternitatem, quae in id interesse habet, a commutatione voluntatis dissentire , neque dissensus huiusmodi aspernabilibus innititur argumentis. Quandoquidem Confraternitas, tum ob litem cum Alphonso Dingli, tum ob alias causas non levem summam favore legati impendit: unde nedum spes eidem adimeretur solutam pecuniam modo recuperanda sed et magno cum damno, quanto tempore expectare deberet, ignoratur.

GRATIA INDULGENDA VIDETUR. Praesumendum e contra est testatores subsidium denegaturos non fuisse consanguineis sibi stricte coniunctis, si eorum infortunia, aerumnas et inopiam prae vidissent. Quapropter ad testatorum descendentes sub veniendos aliquid de testamenti tabulis immutari, non proprie contrarium, sed imo potius interpretative testatorum voluntati conforme dicere licet. Quam praesumptionem iustissimam in iure quoque valere ostendunt sexcenta S. C. C. decreta; ceu videre est in *Taurinen. 30 Martii 1776, Ferrarien. Réduction. Missarum 22 Febr. 1793, Sor ana suspen. nominationis 3 Decembr. 1831* § *Iamvero, Camerinen. 20 Decembr. 1834.* aliisque quamplurimis. Et licet extrema paupertas inter iustas commutationis voluntatis causas recenseatur, tamen non desunt S. C. C. exempla, in quibus commutatio etiam ob gravem inopiam indulta fuerit, veluti perhibent exempla in *Ianuen. Capellaniae 31 Iulii 1819, Callien. Pergulana Absolut. Reductionis 20 Decemb. 1823, et Sabinen, relata inter Summaria precum diei 8 Augusti 1863.* Nec absolutam tantum, sed imo relativam paupertatem respicere S. C. C. consuevisse constat ex *Asculana Disp. 20*

Maii 1786, Aquen. Cappellaniae 3 F ehr. 1787, Montisalti Beneficii 27 Iunii 1829, Camerinen. Cappellaniae 23 Martii 1819, et alibi.

In themate autem plura occurrunt, quae suadere videntur, Oratricem non in relativa et communi tantum, sed imo in absoluta et non ordinaria versari egestate. Ipsa enim mater est octo filiorum, quibus victum, vestes et habitationem providere debet, et cui vir succurrere sufficienter non valet. Neque in materia lucri respici debet ad id quod est in abstracto possibile, sed ad id quod est in facto. In omnium porro oculos insilit, unum hominem solo suo opere et labore tantam familiam sustentare non posse. Quibus proinde angustiis, quanam ex hoc amaritudine materfamilias quotidie vivat, quisque sibi facile suadet, qui vel parum matris amorem erga filios intelligit. Oratrix ergo aliqua miseratione digna revera apparet.

Quibus notatis quaesitum fuit quonam responso essent dimittendae preces oratricis.

RESOLUTIO. Sacra **C.** Concilii sub die **29** Ianuarii **1881,** re discussa, censuit respondere:

Firma remanente una missa in singulis mensibus, pro gratia, iuxta votum Episcopi, ad quinquennium, facto verbo cum SSmo.

ABSOLUTIONIS ET EXONERATIONS

Die 29 Ianuarii 1881

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Comes Georgius Rossi anno **1827** favore animae suae legatum perpetuum instituit unius Missae quotidianae. Libellae annuae octingentum constitutae fuere uti eleemosynae celebranti rependendae , independenter ab Ordinario.

Pro adimplemento onerum enunciatorum vocavit descendentes, maiores natu e familia B. Licet Aloysius B. aetate sexagenarius supradicto legato, longo temporis spatio perfruitus sit, atque in praesentiarum perfruatur, tamen numquam annexa onera Missarum adimplevit, ob supremam egestatem qua laborat, et magnum, filiorum numerum, quo premitur. Subinde provolutus ad pedes EE. VV. supplex instat pro absolutione quoad praeteritum, et exone ratione praescriptorum onerum in futurum. Episcopus de more rogatus ait: Parochum oratoris sibi retulisse, quod familia Aloysii B. maxima di vexatur egestate, et quod implorata gratia digna sit. Hinc sese censere ait, quod indulta absolutione pro tempore acto, pro futuro impendenda sit eidem familiae, tantum Rosarii recitatio aut alia parva christianae pietatis opera, pro tempore praestituto.

Disceptatio synoptica

GRATIA DENEGANDA VIDERETUR. Ac prae primis Oratori non videretur esse concedenda absolutio a praeteritis omissionibus ob malam eius fidem, qua adstante, s. Congregatio gratiam denegare assolet ut, inter alias resolutiones, exemplum perhibetur in *Bononien. Servitii chori 26 Novembris 1797 ad 2 Dubium.* Et iure meritoque, cum conveniens non sit, ut quis ex malitia praemium reportet, uti docent *Nov. 123 tit. de sanet. Episcopis 6 Cap. Sed neque I. 1 ff. de dol. malo* et perpenditur *inNeapolit. Miss. Conv. 29 Maii 1880* §. *Neque absolutio.* Optimo subinde consilio traditur in *Benevent. Absolut, et Exonérât. 21 Iunii 1879 §. Hisce* quod fundamentum ad gratias huiusmodi obtinendas sit bona fides.

Age vero, in facto dubitari nequit de mala Aloysii B. fide. Ipse siquidem sollicitus fuit proventus legati sibi applicare, sed Missarum celebrationem minime curavit, idque impune diuturno temporis spatio, ceu aperte colligitur tam ex supplici oblato libello, quam ex Praesulis informatoriis litteris.

Item Oratori videretur deneganda exoneratio in futurum. Scitum enim est, et utrumque ius conclamat, quod voluntates defunctorum sancte et religiose sunt custodiendae *L. 120 ff. de Verb. Sign., Cap. Contingit et Clem. 2 de Relig, domibus,* praesertim si ad divinum cultum sese referant *Can. Ultima volunt, caus. 13 q. 2.* In themate vero agitur de oneribus Missarum relaxamus, quae maxime divinum cultum respiciunt, proinde eorum conservationi omni studio est consulendum , uti pluries respondit S. C. C. et praecipue in *Nullius Montis Virginis Reductionis servitii Chori et Missar. 14 Iunii 1823* et recolendum *quod fundationes Missarum usque ad summam necessitatem conservare S. C. C. in more habet,* ceu perlegitur in *Romana Subsidii 1852 §. Verum in causa.* Neque iuvatur Orator ex eo quod ipse egestate laboret, et numero filiorum praegravetur; siquidem s. **O.** pluries deletionem oneris Missarum denegavit, licet de pauperibus ageretur personis , ceu fidem faciunt decreta edita in *Mediolanen. Fund. 20 Maii 1752* Melevitana 23 Aprilis 1768, Nullius Nonantulae 17 Decembris* **1791.** Ex hucusque disputatis videretur quod Orator a gratia expetita omnino esset arcendus.

GRATIA CONCEDENDA VIDERETUR. Altera vero ex parte favore Oratoris expendi potest, quod iusta intercedente causa, nedum absolutio a praeteritis omissionibus, sed etiam exoneratio in futurum concedi solet. Porro impotentiam supplendi praeteritis omissionibus legitimam esse causam , ut absolutio indulgeatur etiam quoad missarum celebrationem, facile eruitur ex quamplurimis S. O. O. decisionibus , iis praesertim quae prodiere in *Feretrana 17 Septembris* **1808** *Civitatis Çastellanae Absolutionis* **22** *Ianuarii* **1842,** *Massen. Pii legati* **23** *Aprilis* **1842** quae in thesauro prostant, nec non in *Eugubina et Civitatis Castelli* **20** *Novembris* **1824** per Summaria precum propositis: exonerationem ob eamdem causam autem concessam fuisse probant *Firmana Leg.* **31** *Maii* **1721,** *Spalaten. Exonerationis* **15** *Februarii* **1879.** Et optimo sane consilio, cum in omnium ore adagium per-

volitet, quod impossibilium nulla est obligatio L. **135** *ff. de R. L, L.* **185** *Cod., Regul. 6 Iuris in 6.*

De morali autem impossibilitate Oratoris legati Missarum adimplendi non videtur ullo modo posse dubitari, siquidem Parochus oratoris testatur de extrema paupertate familiae Aloysii B., et Antistes refert quod Orator sit in absoluta impossibilitate onera legati adimplendi. Quare videretur quod eius votis posset concedi, praesertim si attendatur quod agitur de succurrenda familia maxime dilecta a Testatore, utpote qui eam voluit perfrui patronatu super relicto Missarum legato.

RESOLUTIO. Sacra **C. C.** sub die **29** Ianuarii **1881** respondit:

Pro gratia iuxta votum et arbitrio Episcopi, facto verbo cum SSmo.

DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE

Die 29 Ianuarii 1881

Per summaria precum

COMPENDIUM FACTI. Ludovicus G. Diaconus epiléptico morbo quatuor ab hinc annis miserrime correptus, die **3.** Martii **1880** supplices S. **C. C.** obtulit preces, ut super incursa irregularitate sibi largirete dispensationem ad hoc, ut licite ad sacri presbyteratus ordinem posset promoveri.

Hae preces per ipsum Antistitem datae fuerunt una cum ipsiusmet commendatione propter pietatem et scientiam, qua *eminet* praefatus Diaconus. De statu autem valetudinis dicti Diaconi sequentia adnotabat Praesul : « In statu admodum « acerbo versatur. De ipsius morbi causa inter se dissen- **te** tiunt medici, solutionemque quatuor ab hinc annis expe-

« etat. Huiusmodi aggressiones, quae rariores fiunt, et ex « stomacho praesertim proveniunt, per diem non experitur, « sed noctu quum prima quies incipit. Diaconi munere pu- « blice est functus, et numquam morbo fuit correptus. »

Quibus consideratis sub die 14 Aprilis rescriptum fuit: *« Dilata »*. Preces vero per Episcopum expositae, renovatae fuerunt ab enunciato Oratore sub die 20 Novembris, anni nuper effliixi, quas iterum enixe commendabat ipse Praesul, qui insimul, ut antea, adnotabat Ludovicum Diaconi munere saepe functum esse, et morbo numquam correptum fuisse, subdens *munia Cappellani quotidie sine ulla difficultate exercere, et iuxta Medici attestationem integram sanitatem sperare et recuperare posse.*

Disceptatio Synoptica

GRATIA DENEGANDA EST. Epiléptico morbo laborantes ab ordinum exercitio, magisque ab eorumdem ascensu arcendos esse, fugit certo neminem, post dispositionem textus in *Cap. In tuis 7. q. 1 Cap. Communiter 3 dist. 33 et Glossa ibi.* Ad rem praestat inter alios *DD.* audire *Gonzalez Comm. in Cap. 21 De elect. et elect. post. n.* 18 - ibi - « *Tam graviore quam mitiore* (epilepsia) *laborans, non valet ad sacros Ordines ascendere.* Et idem sentit *Ferraris Biblioth. Can. Univers, verb. Irregularitas num. 12, Bei ff. lib.l Decret, tit. 20 num. 19.* Neque de facili istaec Canonum sapientissima dispositio relaxanda est, cum indecens et periculosum sit, quod Sacerdos in consecratione Eucharistiae morbo epiléptico victus cadat, ceu perbelle animadvertit Alexander II in *cap. 1 q. 2*. Accedit ex relata medicorum fide asseri eumdem semel in mense dicto morbo afflictari ; unde epilepsia in themate ratione assiduitatis gravior diiudicanda videretur, subindeque maxime ss. Canonum rigori adhaerendum.

Quin dicatur Ludovicum tantum noctu praefato morbo laborare, subindeque periculum cadendi in consecratione Eucharistiae averti omnino. Quandoquidem, experientia teste, comitialis morbus magis magisque quandoque ingravescere

solet, subindeque neri potest ut eveniat in die quod nunc accidit sub silentio noctis.

ORATI A CONCEDENDA EST. Verumtamen ex alia parte perpendendum est de morbo in themate agi absque culpa contracto, ex quo absolute non oritur irregularitas ; sed qui tamdiu facit ut quis irregularis habeatur, quamdiu ex medicorum iudicio ad altare morbum passus tuto possit admitti: *Schmalz gr ueb. in Ius Can. tom. 1 part. 3 tit. 20-num. 1.* Iamvero si attendantur medicorum attestationes, et quod in tam brevi temporis spatio iam aggressiones in dies rariores fiunt, semperque in nocturno tempore manifestantur, perfacile deprehenditur quod dictus Diaconus ad altare tuto possit accedere. Quod adeo verum est, ut ipse testetur Antistes eumdem Diaconi et Capellani munere saepe functum fuisse, et morbo numquam correptum. Si igitur Diaconi munere absque periculo fungi valet, nil vetat quominus tuto ad altare accedere possit pro fungendo munere Sacerdotis.

Nec absona est S. C. C. in huiusmodi gratiis largiendis, similibus in casibus. Praetermissis enim resolutionibus in *Volaterrana diei 9 Iulii 1825 apud Camberini,* necnon in *Treviren. Dispensationis ab Irregularitate diei 11 Ianuarii 1868* inter supplices libellos relatis, satius duco nuperrimam referre editam in *Tropien. Dispensationis ab Irregularitate diei 26 Ianuarii 1878* pariter relata inter *Summaria Precum.* Ibi porro agebatur de Clerico Rafia qui nocturno tantum tempore caduco morbo laborabat et praecise dum gravi premebatur somno. Licet autem a tresdecim annis tali morbo affectus fuisset, facultatem expetivit ut ad sacros Ordines promoveri posset, et voti compos factus fuit edito rescripto : *Pro gratia habilitationis et dispensationis, facto verbo cum SSmo.*

RESOLUTIO. Sacra C. C. sub die **29** Ianuarii **1881** respondit :

Pro gratia dispensationis et habilitationis, facto verbo cum SSmo.

EX S. CONGR, EPISCOPORUM ET REGULARIUM

SUPER IURE QUAESTUANDI

Die 18 Martii 1881.

COMPENDIUM FACTI. Pater Theodorus Custos Fratrum Cappuccinorum in civitate R. Dioecesis S. libellum S. C. Ep. et Reg. exhibuit, exponens: usque ab anno 1626, quo conventus sui Ordinis in dicta civitate fundatus est, facultatem Fratribus Cappuccinis fuisse concessam eleemosynas colligendi tantum in civitate et territorio R. ne proximorum conventuum religiosis familiis praeiudicium afferretur. Sed Patres a Passione D. **N.** I. **C.** qui sacrum V. recessum habitant (dictum s. Angeli) fere septem passuum millibus ab R. civitate dissitum, nonnullis abhinc annis, et ipsos in civitate et territorio R. eleemosynas quaerere cepisse, quamvis notum ipsis esset iam anno 1760, Custode Cappuccinorum tunc reclamante, ipsam S. C. Ep. et Reg. per Epistolam datam die 7 Decembris anni illius, dictis Patribus a Passione inhibuisse ne mustum quaererent, quia mustum tantum eo tempore quaeritare ceperant. His de causis postulabat a s. Sede contra Patres a Passione provisionem capi.

Informationibus de more sumptis, qui S. C. praesunt rem plenae Congregationis iudicio submittendam esse decreverunt.

Disceptatio Synoptica.

PROVINCIALIS CAPPUCINORUM DEDUCTIONES. IS ab origine conventus R. discedens, factum prae caeteris magno in pre-

tio habendum esse proponebat, quod nempe anno volvente 1628, quo conventus R. erectio locum habuit, ne ex quaestione eleemosynarum a Fratribus Cappucinis exercenda aliis mendicantium Ordinibus praeiudicium obveniret, facultatem eleemosynas colligendi cohibitam fuisse ad R. civitatem et territorium. Immo hanc ob causam, Cappuccinis Municipium annuas libellas 223 et Gubernium libellas 60 concessisse, quae ob iniquam suppressionis legem in vanas auras abierunt.

Relate adamussim ad Patres Congregationis Passionis, existere iam decretum ab eadem S. C. Episcoporum et Regularium editum, die 28 Novembris 1760 quod ita se habet - « proposita causa Eminentissimi dixerunt Ordinario, quod » non permittat Patribus Passionariis V. quaestuam musti » in civitate R. »

Incassum ipsos opponere Bullam Clementis XIV Sa: me : quae incipit *Supremi Apostolatus*, editam die 15 Novembris 1769, quo Patribus Passionariis facultas tribuebatur eleemosynas colligendi tribus anni temporibus videlicet, messis, vindemiae, et expressionis olei, in qualibet Dioecesi; nam id fieri nequibat absque praevia Ordinarii licentia. Immo anno 1782 Vicarium Capitularem Patribus a Passione huiusmodi licentiam concedere detrectasse, cum praeiudicium Cappucinorum novisset, et mediorum ad vitam ducendam deficientiam.

Successores Episcopos permissionem eleemosynas quaerendi Patribus a Passione concedere consuevisse certum esse: sed aeque certum haberi, ipsos Episcopos, infra annum, Cappucinis extraordinaria subsidia largiri solitos fuisse, uti ex administrationis libris eruitur. Post suppressionem anni 1875 Patres Passionarios in quadam domo civitatis R.convenisse et tunc Fratres Cappucinos nullas movisse querelas, quod illi elemosynas colligerent. Sed cum Patres Passionarli ad recessum s. Angeli redire potuerint, tolerantiam eamdem servari nequire: ideo aequum esse Patres Cappucinos vocem extollere, quia

rebus ita procedentibus, quae ad vitam ducendam necessaria sunt, Patribus Cappucinis deficient.

Nec valere responsum, quod ita Bulla. « *Supremi Apostolatus* » posthabetur. Etenim Patribus Passionariis manere quaestiones eleemosynarum quas in proximioribus Dioecesibus, agunt. Insuper, eamdem S. C. Ep. et Reg. in una Ventimilien. 22 Iunii 1674 decrevisse « ne in posterum prae- » fatorum Ordinum Conventus, proprios suos Restrictus ad » quaestuam egrediantur, sed inter suos limites se quisque > contineat, ut ab eis quibus inserviunt facilius substentari > possint. » Porro ad hunc finem, ne aliis alimenta auferantur, Clementem XIV in eadem Bulla cautum voluisse, ut nonnisi de Ordinariorum licentia eleemosynarum collectionem exercerent Patres Passionarli, *praevia tamen licentia Ordinarii.*

Itaque hoc inevitabile factum esse, in praesentibus rerum circumstantiis, ut vel pro derelicto habeatur Cappucinorum conventus, vel religiosa familia diminuatur cum Divini cultus et spiritualis fidelium boni iactura. Quapropter locum fieri applicationi Canonici axiomatis quod habet: *Privilegium partim favorabile et partim odiosum debet restringi, quatenus praeiudicat alteri vel Cultui divino (Fagnan. de praebend. Cap. Licet num. 13).*

Nec iuvare asserere quod Patres a Passione et ipsi interdum ad spiritualem eiusdem populi utilitatem adlaborant. Aliud enim esse continuam ac perseverantem adsistentiam quam Fratres Cappucini praestant, aliud auxilium illud adventitium quod- bis vel ter infra annum Patres Passionarli conferunt.

PATRUM A PASSIONE RATIONES. EX citata Bulla Clementis XIV. quae incipit « *Supremi Apostolatus* » data die 15 Novembris 1769 ius sibi competens pro eleemosynarum quaesitione deducebant (1). Cum enim Bulla haec novem post annos ab epistola Cardinalis Cavalchini s. Congregationis Ep. et Reg. Praefectus data fuerit, cumque Pontifex Patribus Pas-

sionariis indulserit ut nequeant « a nemine in eleemosynis » quaesitandis, si premat inopia, etiam per Dioeceses ubi » nulla adhuc eiusdem Congregationis Domus extructa sit, » impediri, turbari, prohiberi »; et haec facultas eis concessa, cum munita sit expressa derogatione cuicumque privilegio aliis Ordinibus etiam Regularium et Mendicantium concesso, arguebant,- iniuria prorsus sibi facultatem eleemosynas colligendi in civitate R. contendi.

Nec deficit, addebant, in casu Ordinarii licentia. Etenim ab actualis Dioecesis S. Antistite, statim ac in suam Sedem advenit, scriptam facultatem petiit et obtinuit Rector domus s. Angeli quaerendi eleemosynas per integrum Dioecesis S. territorium. Immo omnes actualis Ordinarii Antecessores idem rescriptum confecerunt, haud excepto defuncto Episcopo N. qui de Cappucinorum Ordine erat.

Praetereundum non est, aiebant, quam ob causam ita amplam circa eleemosynarum collectionem facultatem induisent sancta Sedes. Etenim Ordinis a Iesu Christi Passione proprium est, non solum propriae sanctificationi sedulo incumbere, sed Ministerium Divinum assidue exercere domi pro iis qui ex vicinus ad se veniunt, et in aliis Dioecesibus ad quas ab Ordinariis vocantur. Quapropter, ut Ordo duplici huic fini respondeat, religiosorum numerus pro unaquaque domo haud exiguus requiritur. Ita fit ut in recessu s. Angeli ad triginta evehatur, qui numerus nec sufficiens est populorum necessitatibus. Ita quoque fit, ut recessus inter se pluribus passuum millibus distent, ne ex pluribus in unum collectis eleemosynis hisce religiosorum familiis alimonia deficiat.

Una obiicitur dispositio Vicarii Capitularis Dioecesis S. edita anno 1782. Sed obiectio diluitur, quum certum sit subsequentes Dioecesis Antistites huiusmodi dispositionem de facto abrogasse. Factum autem ita longaevum evidenter praeiudicium aliorum excludit. Et reapse prodigium est, quod augmento Religiosarum familiarum, constans eleemosynarum augmentum responderit.

His latius disputatis, sequens Patribus Eminentissimis oblatum est dirimendum

llubium

An Patribus a Passione domus s. Angeli V. permittenda sit eleemosynarum collectio in casu?

RESOLUTIO. Sacra Congregatio Ep. et Reg. in plenis comitiis diei 18 Martii 1881 responsum dedit - *Affirmative.*

Ex **HIS COLLIGES**

I. Privilegium Apostolica Bulla indultum Religioso Ordini, cum expressa derogatione iurium aliis Ordinibus in eam causam competentium, esse observandum.

II. Ideo, ex notissimo iuris axiomate, non censeri iniuriam alteri facere qui suo privilegio ita concesso utitur.

III. Fortius privilegium esse servandum si, prout in casu, causa perseveret quae ad illud concedendum Pontificem impulit.

TAURINEN **ET** MONTIS PESSULAN

SUPER FACULTATE AUDIENDI CONFESSIONES REGULARIUM

COMPENDIUM FACTI. Quum diu agitata fuisset quaestio in Congregatione Missionis, utrum aliquod eiusdem membrum *valide* propria confiteri posset peccata Confessario externo, tandem per Superiorem Generalem, quaestio haec iudicio Sedis Apostolicae submissa fuit. Duo insimul remissa fuere vota a duobus eiusdem Ordinis fratribus concinnata: quorum alter pro affirmativa, alter pro negativa resolutione strenue decertavit.

Quum tamen a s. Congregatione Ep. et Regularium aliud exquisitum fuerit votum ab alio Consultore, istud referimus, quippe quod nucleum quaestionis intimius tetigisse et accommodatius ephemeridi nostrae videatur brevitate et claritate.

Disceptatio synoptiea

VOTUM CONSULTORIS. EX Bulla erectionis Urbani VIII, ex Brevi Alexandri VIII diei 22 Septembris 1655, atque ex declaratione Benedicti.XIII 17 Septembris 1825 constat, ait consultor, Congregationem Missionis donatam fuisse plena exemptione a iurisdictione Ordinariorum, his exceptis quae Missiones tangunt. Constat etiam Congregationem Missionis privilegium huiusmodi recepisse, absque ulla exceptione. Hinc quisquis denegare factum hoc praesumeret, plenis probationibus evincere deberet, Congregationem Missionis privilegium exemptionis haud recepisse, saltem quoad iurisdictionem fori interni; et insuper hoc privilegii repudium a s. Sede admissum fuisse. Ast pro his evincendis nulla ab aliquo affertur probatio. Adsunt 'quinimo positiva argumenta, quibus probari queit acceptio haec tum in scriptis primorum Superiorum Generalium, tum in Regula ipsa. In ea enim quoad Visitatorem legere est • *Reg. Visitatoris cap. 2. §. 2 n. 4 « Penes ipsum est in qualibet domo duos nostrorum confessarios ordinarios constituere. . . Designabit etiam Superiori Generalis... externorum Confessarios... praevia tamen approbatione Ordinariorum. »* Ex quo magna exurgit, ut quisquis videt, differentia, a Regula posita, inter institutionem Confessariorum pro membris domus Missionis, a Visitatore peractam, et approbationem Ordinarii, expetitam pro confessariis personarum externarum. Praeter recensita facta, aliud diversi ordinis factum est constatandum; quod nempe consuetudo extat a qua membra huius ordinis tenent sibi facultatem, modo generali concessam esse, peccata confitendi extra eorum Congregationem.

Inde diversitas opinionis duorum consultorum societatis

eiusdem : quia alter eorum iuri scripto innititur, alter vero contrariam iustificare conatur consuetudinem, quam saepe in sui favorem allegat. Ex hisce factis transiens Consultor ad ius ait: in genere haud dubitari posse societatem aliquam aut Congregationem, plene exemptam a iurisdictione Ordinariorum, subiectamque directe Sedi Apostolicae, frui iurisdictione supra omnia sua membra *in utroque foro,* exclusa omni dioecesana iurisdictione. Incontroversum pariter est ait, hisce in adiunctis solummodo Superiores Congregationis posse delegare iurisdictionem necessariam ad absolutionem membrorum Congregationis eiusdem. Est etiam extra dubium positum Superioribus sufficere etiam posse implicitam delegationem, vel etiam tacitam, qualis illa esset quae promanant ex consuetudine, tacite ab eisdem approbata.

Hinc, ait Consultor, ex his quae supra innuimus, colligitur, pro casu nostro particulari , neminem habere posse iurisdictionem, etiam *in foro interno,* super membra - Congregationis Missionis, nisi qui eamdem receperint a Superioribus Congregationis eiusdem. Et consequenter membrum praefatae Congregationis nequit *valide* sua confiteri peccata Sacerdoti, qui explicite aut implicite, expresse aut tacite potestatem ad hoc haud receperit a Superioribus dictae Congregationis.

Hisce praemissis, EE. PP. rogati fuerunt enucleare sequens

Bubium

Utrum membrum Congregationis Missionispossit,absque licentia superioris, confessionem sacramentalem valide peragere apud sacerdotem externum approbatum, dum facile habere posset sacerdotem confessarium, etiam in Congregatione.

RESOLUTIO. Sacra Cong. Ep. et Reg. re discussa sub die 23 Septembris 1881, censuit respondere: *Negative.*

Ex QUIBUS COLLIGES

I. Religiosum Ordinem a iurisdictione Episcoporum exemptum, manere subiectum quoad utrumque forum immediatae iurisdictioni R. Pontificis.

IL Romanum Pontificem, posthabitis Episcopis, regere Ordines religiosos per commissarios vel delegatos, quales sunt praepositi generales, provinciales et locales ordinis cuiuslibet, qui vere et proprie habentur uti praelati uniuscuiusque religionis approbatae atque exemptae.

III. Exemptio ordinum religiosorum quum valeat pro utroque foro, superiores Ordinis fiunt Ordinarii, quibus solummodo ius competit approbandi confessarios pro excipiendis confessionibus membrorum eiusdem Religionis.

IV. Quamobrem nullum confessarium, etsi ab Episcopo approbatum, sacramentales confessiones viri religiosi excipere valide posse, nisi ab istius superioribus potestatem ad hoc acceperit.

V. Hinc in themate quum Missionis Congregatio sit omnino exempta, nullum eius membrum, qualibet non obstante contraria consuetudine , valide peragere posse confessionem sacramentalem apud sacerdotem externum, etsi ab Episcopo pro confessionibus approbatum.

VI. Attamen virum religiosum huius Ordinis posse valide propria confiteri peccata apud externum sacerdotem , quoties vel impossibile sit vel admodum difficile habere confessarium suae Religionis.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

COMPENDIUM VITAE

virtutum et miraculorum, nec non actorum
in causa canonizationis

B. BENEDICTI IOSEPHI LABRE (1)

Ortum, suum habuit Benedictus Ioseph Labre in Civitate Galliarum vulgo *Amettcs* , intra Dioeceseos tunc Bononiensis nunc Atrebatensis fines sita; atque anno reparatae salutis MDCCXLYIII die festo Octavae Sancti Iosephi Deiparae Sponsi, septimo kalendas Aprilis, a patruo suo Iosepho Francisco sacro Baptismate ablutus, gratiam regenerationis recepit, quam ad extremum usque spiritum integram servavit , et mirifice auxit. Parentes Ioannes Baptista Labre et Anna Barbara Grandzir , religionis studio longe praestantiores quam copia divitiarum , in id praesertim incubuerunt, ut puer Benedictus ad pietatem quamprimum institueretur. Eorum curis plene respondebat Benedictus; quinquennio enim nondum expleto , christianae doctrinae rudimenta iam expeditus perlegens memoria tenaciter retinebat. Studiorum curriculum mox ingressus sedulam eis dedit operam ; quippe qui iuvenilia solatia fastidiens quodcumque , etsi minimum , temporis frustulum plurimi faciens , ad animi sui cultum ac profectum conferebat. In eo eluxit egregia animi indoles, modestia ac praesertim humilitas, quam a primaeva aetate , utpote ceterarum christianarum virtutum solidum fundamentum , summopere coluit. Erga Deiparam impensum fovit amorem, ita ut ipsius in obsequium aediculas luminibus ac floribus decoraret, ad quae praestanda suos quoque fratres , quorum ipse natu maior erat, convocabat; cum ipsis psallebat, suoque exemplo alios ad Virginis cultum excitabat. Pari virtutum exercitio praedixit discipulis in scholis, quos omnes eadem complectebatur dilectione: et quamvis incessu gravis, vultu tamen erat semper hilaris

(1) Decretum pro solemni canonizatione habes Vol. VII, pag. 204; decretam quo probantur duo miracula ad effectum canonizationis adest Vol. VII, pag. 202; decretum de novis miraculis a b. Iosepho Labre patratis adest Vol. III, p. 265.

atque affabilis; cautus in verbis, raro loquens, saepius auscultans, adeo ut omnium benevolentiam sibi conciliaverit. Hinc est quod eius praeceptor facile professus sit se numquam adolescentem reperisse, in quo tot ac tanta eximia virtutis exempla lucerent.

Anno supra decimum vix absoluto, missus fuit Benedictus in Civitatem vulgo ***Er in***, penes eius patruum : ibique per manus Episcopi Bononiensis, sacram tunc temporis in eadem Civitate visitationem peragentis, beatus adulescens eo animi fervore quo in Iesum inde a pueritia flagrabat, caelicum panem primo excepit. Quo frequenter, de consilio moderatoris conscientiae, toto vitae suae tempore pasci consuevit, hinc eius charitas in Deum quotidie magis effervescebat. Ibidem studiis impigre vacavit, et ad latinam praesertim linguam addiscendam sese applicuit, in qua bene versatus sacram Scripturam saepe et libentissime perlegebat, cuius sensum, divino collustrante lumine, facile assequebatur; atque ita memoriter sacra verba retinebat, ut ea haud exacte referentibus prompte vera depromeret.

Charitate flagrans in proximum, perquam laeto animo obviam ibat indigentibus, quibus et victum et vestes non semel subministravit, tantaque in eos sollicitudine urgebatur, ut assidue de his sublevandis cogitaret. Eodem affectu de infirmorum sanitate studiosus eorum languores suos veluti facere vehementer optabat. Mirum qua alacritate nullis fractum laboribus, nullis deterritus periculis, contagioso morbo laborantibus praesto fuerit anno 1766. Quum enim in praefata civitate eius patruus tunc temporis parochi munere fungens, uti bonus pastor de ovium salute sollicitus, insanabili morbo contracto, pretiosam in conspectu Domini mortem oppetiisset, nepos, quo minus amantissimi pastoris defectum cives persentiat, omnibus omnia factus, viHssima quaeque officia in publicis nosocomiis, ubi peste infecti recipiebantur, alacriter suscepit; exinde factum est ut sibi Angeli nomen promeruerit. Verum probe intelligens Benedictus quot periculis iuvenilis aetas undique in hoc saeculo circumveniatur, claustri solitudinem, eligendam cogitavit. Hoc autem animi sui propositum parentes vix agnoverunt, statim adversati sunt, quod eo virium robore destitutum adolescentem animadverterent, ad id vitae genus amplectendum omnino necessarium. At dein verità pia mater ne voluntati divinae obsisteret, tandem filium sui voti compotem fecit.

Venia proinde obtenta, ad Trappenses Religiosos statim confugit, rigidamque Instituti disciplinam alacer arripuit. Verum ob

gracilem corporis habitum pius iuvenis brevi morbis laborare incoepit, eumque Moderatores , licet inviti, dimittere coacti sunt. Attamen Dei famulus , vehementiori in dies solitudinis atque austeritatis desiderio incensus, nihil non egit, ut inter Carthusianos primum , deinde inter Cistercienses fratres cooptaretur. Sed non multo post, non absimili valetudinis defectu, utrumque Institutum deserere debuit. Quod sane non sine providentiae divinae consilio contigisse tenendum est: ut nimirum ipse, quamvis extra claustra, vitam palam ageret aegritudine refertam, humilem omniumque rerum inopia laborantem, sicque mundi senatoribus superbiam vitae, oculorum et carnis concupiscentiam suo exemplo exprobraret. Quamobrem Benedictus divinae voluntatis certior factus, relicta patria omnique abdicata rerum humanarum cura , uni Deo inservire statuit , vitaeque genus prorsus novum amplexus est quolibet etiam religioso severius instituto. Etenim obsolata ac detrita indutus veste , fune praecinctus , male calceatus ad invisenda celebriora Europae Sanctuaria longissima itinera pedibus aggressus, solis ardorem, rigorem hyemis, famem, sitim tolerans, ac saepe a recta via divertens per vallium concava, et inaccessa montium iuga pererrans, difficultates et incommoda vix credibilia perpessus est.

Pridie kalendas Septembris anni 1770 Benedictus iam peregrinus aetatis suae anno vigesimo secundo vix exacto , longo itinere laboriosoque confecto, ad Pedemontis civitatem *Qwiers* vulgo nuncupatam pervenit , ubi postremas litteras suis parentibus conscripsit , quibus absolute valedicens , insimul eos solaba tur se , brevi vitae huius peregrinatione consummata, eos in aeternae beatitudinis gaudiis esse complexurum.

Statim deinde viam inivit Pioenae Provinciae, primum invisurus templum Lauretanum totius christiani Orbis veneratione celeberrimum. Decimo quarto igitur kalendas Decembris Benedictus loseph, qui a iuventute ardentissimo in Virginem aestuabat amore, aedem sanctissimae Dei Genitricis ingressus est, in qua continentes fere dies ineffabili pietatis sensu commotus traduxit. Inde Sanctuarium Assisiensem petiit, ubi cooptari voluit inter Seraphici Patriarchae confratres ***coi'dig evos*** nuncupatos : quae sodalitas a Summo Pontifice S. Pio V sacris Indulgentiis ditata est. Quas ut condigne lucrari mereretur , Benedictus loseph antequam sacro cingulo sese praecingeret , per poenitentiae Sacramentum animam suam expiari voluit, et sancta de altare libare.

Tertio nonas Decembris eiusdem anni Romam contendit, mo-

numenta Martyrum sacrasque potissimum Apostolorum Principum exsuvias veneraturus. Tribus autem transactis diebus penes templum sancti Ludovici ***Francorum*** nuncupatum, Romae ad mensem usque Maium permansit ; die quidem invisendo Martyrum sepulcra , diversas circumiens Urbis sacras aedes , noctu vero manens ad Amphitheatrum Clavium, fidei christianae insigne monumentum.

Mense Maio insequenti Lauretanum Sanctuarium repetens , Fabriani consistit, et sancti Romualdi corpus Camaldulensium fundatoris singulari pietate visitavit. Ibi Benedicti sanctimonia ita effulsit, ut pientissima quaedam Matrona ad visendam mulierem quamdam infirmam instanter eum compulerit. Quae statim ac intuita peregrinum lacera veste indutum , cingulo ad lumbos districtum , Crucifixi [imaginem praeseferentem et Rosarium ad collum appensum, nudipem domum ingredientem, etsi antea spiritus angoribus quam maxime oppressa, mirabiliter recreata est. Eam dein suavibus verbis Beatus Dei famulus allocutus , secreta animi sui pandidit , quae nonnisi ope divini luminis internoscere potuerat. Inde modico cibo refectus , grati animi ergo divino spiritu plenus scriptam reliquit percelebrem illam orationem quae incipit: ***Iesus Christus Rex gloriae venit in pace etc.:*** quam ad divinam miserationem impetrandam perutilem fore praedixit: quod primo Fabrianenses experti sunt saeviente praesertim terraemotu anno 1781.

Aliis quoque per viam Sanctuariis invisis, Deiparae aedem denuo adivit mense Septembri insequentis anni. Ibi quum pietatis suae votis in Iesum eiusque sanctissimam Matrem satisfecisset, Neapolim versus progressus est. Qua in peregrinatione magno fervoris affectu in Tolentinate ac Barense Cathedrali utriusque Nicolai sepulcra est veneratus. Idibus Februarii anni eiusdem Neapoli subsistebat, ubi diu preces effudit penes aram sancti Ianuarii Episcopi. Decimo sexto kalendas Martias Neapoli Romam rursus iter coepit, quo in itinere eius devotionem Cassinense Caenobium non effugit. Roma decedens tertio Lauretum profectus est. Varia deinde nec sane facilia expertus est itinera Dei Famulus. Quippe pari semper religione Tusciae Sanctuaria perlustravit, et ad sacrum praecipue Alverniae montem perrexit, quod in Franciscum Assisinatem speciali devotionis affectu ferebatur.

Ex Italica dein regione egressus, Hispaniarum templa divino cultu celebriora adeunda peroptavit. Ad Cathedralem in primis Compostellana»! se contulit, deinde ad Beatae Virginis Montis-

Serrati Sanctuarium, nec non percelebre Manresae specum. In Italiam reversus , Lauretana aede denuo breviter revisa, Romam redivit anno 1774, ex qua non multo post discessit, peregrinationem longe laboriosam suscepturus. Peragratis enim Tusciae* et Aemiliae regionibus, in Germaniam quoque se transvexit. Et gens Helvetica Dei famulum illustriora regionis suae Sanctuaria invisentem demirata est, inter quae insigne Beatae Mariae Virginis ***Einseldense.*** Verum solemni indicto Iubilaeo a Summo Pontifice Pio VI anno 1775 Romam mature remeavit sacras Indulgentias lucraturus.

Anno vero insequenti Helveticam regionem reversus est, non omissa iter faciendo visitatione Almae Domus Lauretanae. Tandem plurimis aliis absolutis peregrinationibus, anno .1777 Urbem repetiit , ubi usque ad obitum moratus est , etsi quolibet anno Lauretum se conferre aliasque per propinquas urbes peregrinationes agere haud praetermiserit , ubique sanctimoniae suae non indubia vestigia relinquens.

Tot vero ac sane laboriosa itinera beatus Benedictus perfecit eadem semper obsoleta ac lacera veste, aestivo pariter ac hiemali tempore confectus: aliquando sub porticibus, aliquando sub diu brevem humi somnum carpebat. Quod si ex paupertatis et squaloris eius aspectu eleemosynae titulo stipem aliquando reciperet, aliis indigentibus libenter erogabat. Durissimi panis fragmentis, proiectis per viam oleribus et brassicarum tyrsis, aut aliorum fructuum corticibus sibi comparatis famis inediam relevabat, neque precibus adduci umquam potuit, ut latiuscule aliquando et salubri aliquo cibo reficeretur. Brevi: ita vias duras poenitentiae custodivit, ut sua facere merito posset Psaltis verba: ***a Induebar editio, humiliabam in ieiunio animam meam, et oratio mea in sinu meo convertetur ».***

Macie confectus, squalore obsitus, si forte fastidiose reiiciebatur aut ludibriis, contumeliis a procaci petebatur plebecula, commoveri numquam visus fuit: immo quidquid irrisionum, quidquid iniuriarum sibi irrogabatur , laetus et hilaris perferebat. Maximam diei partem in templis transigebat vel ante imaginem Genitricis Dei, quam ut Matrem suam tenerrimo cordis affectu prosequebatur, genuflexus diu manebat. Et quo pietatis suae sensa Deiparae ferventius aperiret in templum ***Sanctae Mariae ad Montes*** quotidie sese recipiebat, eamque devote precabatur ; animo siquidem suo plane volvebat illud divinae sapientiae effatum , quod de Virgine canit Ecclesia: ***u*** *Beatus qui* ***vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei ».***

Nec minus mirabili colliquescebat ardore ante Augustissimum Eucharistiae Sacramentum, praesertim in ***Oratione quadraginta horarum*** solemniter expositum: quod pium exercitium ita frequentabat , ut romani cives Dei famulum nuncuparunt ***u il poverello delle Quarant'ore ».*** Haec vero pietas Benedicti Iosephi, quam Deo foret accepta etiam miraculis haud semel comprobatum est. Cum enim Benedictus alterius charitate, biennio antequam obiret, noctu fuisset exceptus in hospitium a quodam pio presbytero pauperibus recipiendis erectum , hospitii eiusdem conturbernales Dei famulum vespere secum cubantem vidisse, eumque per noctem ab eodem loco numquam se dimovisse testati sunt. Verum alii plures asserere , iuramento etiam interposito, non dubitarunt eumdem Dei Servum fer venter orantem intempesta nocte simul aspexi sse in pluribus sacris aedibus, in quibus venerationi Augustissimum Sacramentum expositum colebatur. Item contigisse dicitur Nocte Dominicae Nativitatis , in hospitio siquidem cum suis degere, et insimul in ***Sanctae Mariae ad Montes*** templo sacris functionibus adesse conspectus est.

Frequenter vero ad poenitentiae sacramentum accedebat, ac divinissimo Christi Corpore animam reiiciebat tanto spiritus fervore , ut exterius etiam panderetur. Servatoris nostri cruciatus iugiter et effusissima charitate recolebat, ex quorum meditatione vim maiorem sumebat ad acerbitates quasque tolerandas. Hinc in deliciis habuit pium Exercitium ***Viae Crucis,*** quo certe nil aptius ad amorem erga Christum Crucifixum fovendum : quare Flavium Amphitheatrum adire consueverat, ubi erectas per gyrum aediculas, depicta passionis mysteria referentes , perquam saepissime visitabat.

Tandem quum decimo sexto kalendas Aprilis Feria IV maioris hebdomadae anno 1783 in templo ***sanctae Mariae ad Montes*** sacrosancto Missae Sacrificio adstitisset , ac plures precationi dedisset horas, correptus deliquio est; exceptisque in cuiusdam bènefactoris domum , posteaquam humi prosterni ac deponi frustra innuisset, in lectulo, quamvis invitus, depositus est ; deficienti - busque in horas viribus , quae nullo prorsus medicamine revocari valuerunt , omni iam fere spiritu destitutus quum videretur , sacro Oleo delibutus est, consummatamque tot austeritatibus vitam, hora circiter vigesima quinta, Urbis Ecclesiis pro defunctis animabus requiem deprecantibus, exitu placidissimo explevit quum trigesimum quintum aetatis suae annum vix attigisset.

Ubi primum de Benedicti morte percrebuit per Urbem rumor, ingens confestim populi multitudo cubiculum obsedit, in quo pauperrimi hominis iacebat corpus, et laciniosi amictus particulam aliquam venerationis causa sibi habere quisque decertabat. Omnes enim cuiusvis aetatis, sexus, et gradus turmatim properabant Benedictum Iosephum defunctum in ***sanctae Mariae ad Montes*** templo conspecturi, et intercessionem apud Deum in suis necessitatibus expostulatur!. Cuius opinioni magis in dies invalescenti accessere etiam prodigia , quibus Deus humilis Servi memoriam decorare dignatus est.

Porro ex ardenti studio, quo Dei Famulus vitam suam exemplis divini Magistri fieri conformem nisus est, omnium christianarum virtutum heroicum exercitium elucescere , nemo est qui non videat. Enimvero Fidem ac Spem, quae ex operibus patefiunt, satis superque ostendunt innumerae et asperrimae peregrinationes in honorem Dei , Beatae Mariae Virginis , ac Sanctorum , ab eo ad mortem usque susceptae , pro quibus tot tantaque perpessus est. Charitas autem tum in Deum , quae praesertim in suis assiduis orationibus foris etiam erumpebat , tum in proximos pro quibus sublevandis haud semel supremo vitae periculo semet obiecit , mirifice effulget. Prudentia, quae, uti docet s. Bernardus, ***virtutum omnium moderatrix et auriga est ,*** totam vitam suam gubernavit , quippe non alium sibi praestitum finem agnovit , non alium assequi studuit, quam Dei gloriam aeternamque salutem. Iustitiae autem sectatorem fuisse beatum Benedictum ex eo patet quod ampliorem, quo potuit, Deo honorem tribuit et cultum; ac de proximi bono ita sollicitus , ut miram liberalitatem in egenos exhibuerit, quamvis prae ceteris egenus. Temperantia in eo enituit ob durissimum vitae genus quod amplexus est , corpusque suum vigiliis , ieiuniis, flagellis semper affligi voluit; nec non Fortitudo per quam, domo , parentibus patriaque relictis, Dei mandata unice custodire statuit. Humilitatis demum iugi exercitio omnia opera sua praeclare illustravit, quae in dies augebatur ob vehementissimum, quo aestuabat, desiderium vitae Iesu prosequi vestigia pro nobis exinaniti et formam servi accipientis. Ut quemadmodum per humilitatem martyriumque Crucis a morte, ad vitam translatus est homo, qui per sensus illecebras superbiamque a pristina innocentia ac felicitate corruerat; ita evangelicis innutritus documentis Benedictus, arctissimam perfectionis viam aggressus , ut quo magis Crucis

mortificatione caro deprimebatur , eo caelestibus affluens deliciis spiritus erigeretur.

Quare factum est ut mense Maio anni eiusdem, quo Servus Dei Benedictus quievit in Domino, Emus Card. Colonna Urbis Vicarius, instante Caietano Palma Sacerdote Congregationis Piorum Operariorum Ecclesiae *sanctae Mariae ad Montes* Rectore ac ipsius Causae Postulatore legitime constituto , super Vita ac Virtutibus et Miraculis Servi Dei ac insimul super obedientia Urbani Papae VIII Decretis informativum Processum instituent. Quod pariter actum fuit in Curiis Ecclesiasticis tum Lauretana tum Bononiensi , nec non in Abatia septem Fontium per delegationem Antistitis Augustodunensis, quibus Processibus maturo examine ac iudicio expletis, ac eorum aperitione Romae peracta, ad Congregationem S.*R. E. Cardinalium legitimis Ritibus tuendis praepositorum res delata est; in eaque primum agitari coepta est quaestio de servi Dei introductione Causae ad eius beatificationem et canonizationem , instante praefato Causae Postulatore. Ad quam referente Emo ac Rmo Cardinali Arcliinto , sacrae Rituum Congregationi Praefecto, Causae Relatore , quum unanimiter omnes convenirent, Pius Papa VI pridie kalendas Aprilis 1792 *Commissionem introductionis Causae venerabilis servi Dei Benedicti Josephi Labre* propria manu signavit.

Quum vero deinde propositum fuisset Dubium *super Cultu Servo Dei non exhibito* in praefata sacrorum Rituum Congregatione, huius favorabilem sententiam Summus idem Pontifex Pius VI confirmavit tertio kalendas Februarii 1793. Ita feliciter omnibus praemissis de iure stylo et consuetudine servandis iuxta sacri fori disciplinam, super scriptis Venerabilis Servi, nec non super validitate processuum omnium tam Ordinaria quam Apostolica auctoritate constructorum, nono kalendas Decembris instante Philippo Maria Colonna Sacerdote, Rectore piae Domus Catechumenorum ac altero ex Postulatoribus Ven. servi Dei Causae, Pius Papa VII, ad relationem sacrae Rituum Congregationis Secretarii, facultatem concessit proponendi Dubium super Virtutibus heroicis Ven. Servi Dei Benedicti Iosephi Labre, etsi terminus quinquaginta annorum, ab obitu illius computandus, a lege praescriptus, absolutus nondum fuisset. Hinc anno 1828 decimo tertio kalendas Decembris in Aedibus cia. me. Cardinalis de Somalia tunc sacrorum Rituum Congregationi Praefecti ac Causae ipsius Relatoris, coacta fuerunt Antepraeparatoria Congregationis Comitia super heroicitate Virtutum a

Venerabili Benedicto Iosepho Labre exercitarum : deinde in aliis Comitiis praeparatoriis in Palatio Apostolico Vaticano ac tandem generalia habita fuerunt Comitia tertio Nonas Augusti anno 1841 in Quirinali Apostolico Palatio in conspectu sa. me. Gregorii Papae XVI, in quibus, quum Emi et Emi Cardinales sacris tuendis Ritibus praepositi, nec non Rmi Patres Consultores circa v. Servi Dei virtutum praestantiam unanimi suffragio in eamdem affirmativam i vissent sententiam, kalendis Iunii anno insequenti 1842 Summus Pontifex solemni decreto virtutes venerabilis Servi Dei heroicas pronunciavit.

Ita feliciter examine circa ven. servi Dei Benedicti virtutum heroicitatem absoluto, de ipsius Ven. Beatificatione ac proinde de assertis miraculis iudicium peragi incoeptum est. Licet vero e compluribus , quae Ven. Benedicto Iosepho suffragante patrata ferebantur, prodigiis, duorum dumtaxat ex lege demonstratio requireretur ad Beatificationem impetrandam. Postulatio tamen, ut luculentiorem splendidioremque exhiberet divini testimonii accessionem, tria eligenda censuit sacrorum Rituum Congregationis examini subiicienda. Et de his quidem actum primum fuit quarto Idus Ianuarii anno 1852 in Antepraeparatorio Coetu penes cia. me. Card. Constantinum Patrizi Episcopum Albanensem s. Rituum Congregationis Praefectum Causaeque Relatorem ; deinde in Praeparatorio Conventu ad Vaticanas Aedes coacto, decimo septimo kalendas Octobris 1857; ac demum in Generalibus Comitiis ibidem habitis coram sa. me. Pio Papa IX, idibus Martii anni 1859, in quibus cum laudatus Cardinalis Causae Relator Dubium proposuisset : ***u An et de quibus Miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitar? »*** Emi Cardinales adstantes ac Rmi Consultores singuli suffragium, protulere suum. Idemque Summus Pontifex, in patriarchali Basilica Lateranensi, die solemni Dominicae Ascensionis anni 1859, supremum ac definitivum iudicium edidit atque solemniter definivit: ***u*** Constare de tribus Miraculis ; nempe de priore ***n*** in secundo genere: ***Instantaneae perfectaeque sanationis Mariae » Rosae de Luca a phthisi pulmonar i confirmata*** - de altero in » tertio genere - ***Instantaneae perfectaeque sanationis Teresiae n Tartufoli ab inveterato ulcere sinuoso fistuloso calloso*** - ac de » tertio in secundo genere - ***Instantaneae perfectaeque sanationis n Angelae Iosephae Martini ab inveterata obstructione scirrhosa » seu lapidea lienis gravissimis symptomatibus aliisque morbis n stipata, ri***

Tribus hisce Miraculis Pontificio Decreto sancitis iterum in sacrorum Rituum Congregatione Generali quarto nonas Iunii anno 1859 coram Pio Papa IX in Aedibus Vaticanis habita , quum laudatus Cardinalis Patrizi s. Rituum Congregationi Praefectus et Causae Relator Dubium proposuisset: ***An stante Virtutum et trium Miraculorum approbatione, tuto procedi possit ad Ven. Servi Dei Beatificationem f*** ab omnibus suffragantibus affirmativa prolata est responsio. Qua perspecta, Pontifex memoratus , decimo octavo kalendas Septembris, die festo scilicet Assumptionis Beatae Mariae Virginis , eiusdem anni in Patriarchali Basilica Liberiana supremam ac definitivam sententiam suam solemniter pandidit ac pronunciavit ***u Tuto procedi posse ad Ven. Servi Dei Benedicti Iosephi Labre Solemnem Beatificationem ».***

Decimo igitur kalendas Iunias, Dominica nempe infra Octavam Ascensionis Domini nostri Iesu Christi, in Basilica Vaticana Beatificationis solemnia celebrata fuerunt ac vix Beati Benedicti Iosephi Labre imago, remoto velamine, caelitum splendoribus circumdata apparuit, nova portenta a Deo eius interventu patrata sunt, ut hominibus, qui caelestibus posthabitis thesauris, fallaces saeculi divitias et voluptates veluti unicum sibi finem proponentes, ad eas comparandas omnes exerunt vires, splendidius pateret , quantum gloriae fastigium sit in caelis adeptus pauper Dei Servus et humilis. Ex iis autem portentis duo praeclariora selecta, sacrae Rituum Congregationis iudicio subiecta sunt.

Hinc signata a sa: me: Pio Papa IX. Commissione reassumptionis Causae, de iisdem Miraculis Apostolici Processus statim conditi sunt. Miracula autem fuerunt huiusmodi, nimirum:

L Infirmo corporis habitu ac lymphatico temperamento praedita Theresia Massetti Romana complures passa est labente aetate aegritudines, quarum nonnullae vitiosam sanguinis dyscrasiam luculenter portendebant. Anno 1859 aetatis suae quadragesimo tertio iam expleto, dolorem persensit in uberibus ita vehementem, ut ad dorsum usque extenderetur. Viri artis medicae peritissimi arcessiti statim intellexerunt rem ad stadium cancri occulti devenisse ac in abscissione dumtaxat spem salutis esse repositam : hinc dexteram mammillam, graviorem in se morbum ostendentem, inciderunt. At infestum cancer alteram mamillam aggreditur, et unius anni spatio tantas adeptus est vires ut peiorem quam alter indolem proderet. Ad ferrum iterum confugere , non remedium , sed inanem cruciatum fore medici testati sunt; mors itaque ineluctabiliter im-

minebat. Quare pia mulier, quum nulla in hominum ope et scientia spes valetudinis recuperandae amplius superesset, animum precesque ad b. Benedictum Iosephum Labre convertit, cuius beatificatio solemnis mox erat peragenda. Itaque auspicatissima die 26 Maii 1860 carpento vecta cum suis Basilicam Vaticanam adivit : cumque sacra solemnia celebrarentur, enixe patronum caelestem deprecata est. Sensibus ferme abrepta Imaginis Beati Viri detectionem minime animadvertit, ast monita a puella comite coepit illam defixis oculis intueri : dumque in illo obtutu haereret , nullus amplius dolor eam perculit, hinc infirmum über manu compressit; illudque, quod antea nec ungentis plumam ferre poterat, iam nullam sub compressione olebat molestiam. Refectis viribus , corpore erecto, prae gaudio gestiens domum redivit liberata prorsus a cancro . qui semel divino eiectus imperio , amplius renasci ausus non est.

II. Sor. Maria Aloisia ab Immaculata Conceptione Monialis a Visitatione B. M. V. in Coenobio Divini Amoris Montis Falisci haud paucis vitae suae annis stomacho tam graviter laboravit, ut anxietatem', anorrhexiam , vomituritionem perpateretur. At anno 1860 recruduit stomachi dolor , vomitusquc factus . frequentior. Quare infirma , licet invita lectulo decumbere coacta est ; et , rigidiori quamvis curae subiecta medici sane periti , morbus tamen ingravescebat. Accessit enim cum molesto ponderis sensu , femoris ac dexteri brachii acerbus dolor , nec non in regione stomachi exterior livor qui in dies magis obscurus fiebat, ac sanguinis partim liquescentis partim concreti per vomitum amissio. Hinc, digestivis functionibus undequaque deturbatis, augebatur anorrhexia; hectica febris et sitis miseram urebant ; et deficientibus sensim viribus , eam absumebat macies , ac tussis et deliquia vexabant. Remediis omnibus incassum tentatis , medicus indubitanter asseruit scirrho aut alia sane gravi laesione detineri infirmam. Videns porro valetudinaria Soror Aloisiam praeter modum afñictari, suasit amicae ut beati Benedicti Iosephi Labre , cuius imago in pariete prostabat, opem invocaret. Verum illa prae tristitia primo impatiens nullam fiduciam sibi esse in eo ostendit; sed postea contraria subiit piam mentem cogitatio : atque aegritudinem animi ob ostensam diffidentiam sociae significans, humiliter et confidenter Beato Viro commendavit, ac paullo post semisopita conquievit. In somnus tunc sibi visa est intueri imaginem ore coelitum referentem laetitiam ac praefulgenti iubare circumfusam venerandi cuiusdam iuvenis

asserentis se esse Benedictum Iosephum ; qui frontem, stomachum alvumque Aloisiae Crucis signo benedixit , ac demum splendida obvolutus nube inter Angelos in sublime elatus abi vit. Expergefacta mulier obmutuit, ast illico oculis tactuque exploravit morbi signa omnino evanuisse. E lectulo surrexit , vestibus induta ad coenaculum, ubi sorores coadunatae erant, perrexit; ac ad mensam cum ipsis accumbens, cibis, quibus ceterae sorores vescebantur, libenter est usa. In posterum item pia monialis ita se habuit ac si nullum unquam morbum fuisset perpessa.

Primum vero de iis examen peractum est in Antepraeparatorio Conventu penes eumdem Cardinalem Patrizi Episcopum Ostien. et Veliternen. sacrae Rituum Congregationi Praefectum Causaeque Relatorem nono kalendas Iunias 1.870. Dein alterum agitatum fuit in Praeparatorio Coetu in Aedibus Vaticanis collecto nono kalendas Maias anni 1872. Demum tertium institutum fuit in Generalibus Comitiis ad easdem Vaticanas Aedes coadunatis coram sa. me. Pio Papa IX decimo tertio kalendas Decembris eiusdem anni ; in quibus praelaudatus Cardinalis Dubium proposuit : ***u An , et de quibus Miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur ».*** Omnes autem unanimiter sententiam protulerunt tam Emi Cardinales quam Patres Consultores. Quibus auditis, Summus Pontifex Pius IX singulos de more adhortatus est, ut in tanti momenti negotio divini laminis opem a Deo implorarent antequam suam proferret sententiam. Die igitur Festo sancti Thomae Cantuariensis Archiepiscopi, quarto nempe kalendas Ianuarias , eiusdem labentis anni hostia salutari piissime libata , in nobiliorem Aulam Vaticani Palatii procedens solemniter declaravit ***u*** Constare de ***n*** duobus Miraculis in secundo genere, nempe de primo : ***Inst ant a-» neae perfectaeque sanationis Theresiae Musetti a scirrho can-» ceroso in sinistra mamilla;*** et de altero: ***Instantaneae perfectae-» que sanationis Mariae Aloisiae ab Immaculata Conceptione » Monialis Professae in Venerabili Manasterio Divini Amoris n Montis Falisci a cancro exulcerato stomachi ».***

Nil aliud igitur desiderandum erat, ut Causa haec praeclarissima Canonizationis ad exitum perduceretur , nisi quod Dubium proponeretur in eadem sacra Rituum Congregatione, ***u An stante » approbatione duorum Miraculorum post indultam a Sede Apo-» stolica venerationem, tuto procedi possit ad solemnem, beati » Benedicti Ioseph Labre Canonizationem? »*** Cum itaque Dubium huiusmodi enunciasset praefatus Cardinalis Causae Relator in Ge-

neralibus Comitiis coram sa. me. Pio Papa IX habitis in Palatio Apostolico Vaticano decimonono kalendas Februarias anni **1873**, uno animo in affirmativam concessere sententiam tum Cardinales tum Patres Consultores.

Et quinto idus Februarii eiusdem anni Dominicam Septuagesimae selegit Pontifex, ut suam decretoriam pronunciaret sententiam: ideoque edixit: « *Tuto procedi posse ad solemnem Beati Benedicti Iosephi Labre Canonizationem* ».

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM

Feria II die 5 Decembris 1881

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio apostolico vaticano die o Decembris 1881 damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera:

DIE THOMAS — Encyclica Leo's XIII vom **4** August **1879**. Vortrag gehalten zu Bonn am. **14** Februar. **1880** von Professor Dr. Peter Knoodt. Bonn **1880.** *Latine:* Oratio, quam Professor Dr. Petrus Knoodt die **14** Februarii **1880** circa Encyclicam Thomisticam Leonis XIII die **4** Augusti **1879**, Bonnae habuit. Bonnae, **1880.**

ANTON GUNTHER. Eine Biographie von Peter Knoodt, *Latine:* Vita Antonii Günther. Auctore Petro Knoodt. Vol. **2.** Viennae, **1881.**

SICILIANI PIETRO, Professore di filosofìa e Incaricato del corso pedagogico nell'Università di Bologna. Sull'insegnamento religioso ai bambini secondo i dettami della filosofia scientifica. Quarta edizione riveduta ed aumentata. Bologna, Nicola Zanichelli libraio-editore-tipografo, **1881.**

— La scienza nell'educazione. Seconda edizione interamente rifusa, accresciuta e col ritratto dell' autore. Bologna , Nicola Zanichelli libraio-editore-tipografo, 1881.

La Religione e i partiti estremi. Studii di Candido Arasieve. Un voi. Lecce, presso l'editore Gr. Spacciante, 1881.

Auctor (Bombelli Rocco) ***operum cui titulus :*** L'infallibilità del Romano Pontefice ed il concilio ecumenico Vaticano , dialogo fra un teologo ed un razionalista. Milano 1872. — Storia critica dell'origine e svolgimento del Dominio Temporale dei Papi scritta su documenti originali ed autentici. Roma 1877, prohib. ***Decr. 12 Jul. 1877, ante mortem laudabiliter se subiecit et Opera reprobavit.***

Die et mense.- praedictis proposita fuerant sequentia dubia :

I. Utrum libri ad sacram Indicis Congregationem delati et ab Eadem dimissi seu non prohibiti , censeri debeant immunes ab omni errore. contra fidem et mores.

II. Et quatenus negative, utrum libri dimissi seu non prohibiti a sacra Indicis Congregatione , possint tum philosophice tum theologioe citra temeritatis notam impugnari.

Eadem Sacra Congregatio respondit:

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita, legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 28 Decembris 1881.

FR. THOMAS M\ CARD. MARTINELLI Praefectus.

Fr. Hieronymus Pius Saccheri Ord. Praed.

Loco © Sigilli. S. Ind. Congreg, a Secretis.

Die 30 Decembris 1881 ego infrascriptus Cursor testor supradicta Decreta aßsca et publicata fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia Mag. Curs.

innuentes opportune et mature esse opprimenda dissentionnm initia, quibus materiam praebent tum aliqua ephemeris, tum doctrina philosophi dari inter recentiores.

tfii •

VENERABILIBUS FRATRIBUS
ARCHIEP. ET EPISCOPIS PROVINC. ECCLESIASTICARUM
MEDIOLANENSIS TAURINENSIS ET VERCELLENSIS

LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES

Salutem et Apostolicam Benedictionem

Cognita Nobis est sapientia Vestra et vigilantia in omni genere diligens: itemque praeclara in hanc Apostolicam Sedem voluntas, quam cum saepe alias, tum etiam superiore anno et amantissimis litteris et coram confirmavistis. Atque illud magnopere laetamur episcopalibus laboribus Vestris uberes, Deo iuvante, evenire fructus. Quibus de rebus gratulamur unicuique Vestrum meritasque laudes libenti animo publice tribuimus.

Nonnihil tamen istis ipsis in provinciis est, Venerabiles Fratres, quamobrem non sumus a sollicitudine plane vacui. In iis enim passim apparent quaedam dissensionum initia, quae nisi opportune matureque opprimantur, evadere in maius aliquod malum videntur posse. Ea igitur volumus a Vobis diligenter considerari, et Vestra cura operaque provideri ut, amotis dissidiorum caussis, sententiarum et voluntatum concordia retineatur, quae .cum in omni republica, tum praecipue in Ecclesia maximum atque optimum est vinculum incolumitàtis. — Iamvero metuendum est, ne haec animorum concordia dirimatur contrariis partium studiis, quibus materiam praebet quaedam inter Insubres ephemerides, et doctrina dari unius viri, cuius inter recentiores philosophos nomen percrebuit.

Quod ad primum caput, sunt in istis provinciis vestris ephe-

merides, quarum auctores veri rectique principia tuentur, sanctissima Ecclesiae iura, Apostolicae Sedis Romamque Pontificis maiestatem strenue defendunt. Huic generi favendum maxime est ; et omni ratione curandum ut scriptores huiusmodi non modo floreant studiis hominum et gratia, sed etiam multos ubique nanciscantur similes sui, qui quotidianos improborum impetus sustineant, et honestatis religionisque patrocinio redimant impunitam plurimorum in scribendo licentiam. Hac de caussa Nos haud semel illorum probavimus voluntatem, vehementerque hortati sumus, ut tueri iustitiam et veritatem scribendo insistèrent, et nulla re deduci sese a proposito sinerent.

At vero convenit in caussa gravi et nobili modum adhibere defensionis aeque nobilem et gravem, quem ultra progredi non oportet. Scilicet pulchrum est, eos qui catholicum nomen scriptis quotidianis defendunt prae se ferre veritatis amorem constantem, minimeque timidum; sed simul oportet nihil eosdem suscipere, quod bono cuiquam viro iure displiceat, neque ulla ratione temperantiam deserere, quae cunctarum comes debet esse virtutum. In quo nemo sapiens probaverit aut stilum vehementem plus quam satis est, aut quidquam vel suspiciose dictum, vel quod temere a personarum obsequio indulgentiaque discedere videatur.

In primis vero sanctum sit apud catholicos scriptores Episcoporum nomen; quibus in excelso auctoritatis gradu collocati dignus officio ipsorum et munere habendus est honos. Neque licere sibi homines privati putent in ea, quae sacri Pastores pro potestate decreverint, inquirere; ex quo sane magna perturbatio ordinis consequeretur et non ferenda confusio. Atque istam reverentiam, quam praetermittere licet nemini, maxime in catholicis auctoribus ephemeridum luculentam esse et velut expositam ad exemplum necesse est. Ephemerides enim, ad longe lateque pervagandum natae, in obvii cuiusque manus quotidie veniunt, et in opinionibus moribusque multitudinis non parum possunt.

Ad alterum caput quod attinet, de philosophicis disciplinis iam declaravimus cuius .viri vestigiis ingrediendum putemus. Litterae Nostrae Encyclicae die IV mensis Augusti anno MDCCCLXXIX ad universos Episcopos datae aperte monent, avere Nos et cupere ut iuventus ad disciplinam sancti Thomae Aquinatis instituatur; quae plurimum ad excolendas sapienter hominum mentes semper valuit, et est maxime accommodata ad pravas refutandas opiniones, quae homines tanto iam numero transversos agunt, cum ingenti et sa-

lutis suae discrimine et reipublicae detrimento. Istud Litterarum Nostrarum propositum poterat omnium animos concordia iunctos facile retinere, excepta interpretationis subtilitate nimia, servataque moderationis ratione in rebus iis, de quibus ad studium investigandi veri, citra fidei caritatisque iacturam, viri docti utrinque disserere consueverunt.

Sed quoniam non sine animi Nostri cura videmus partium studia plus aequo in disputando conflagravisse, publice interest, buie ardori animorum modum aliquem imponi. Quapropter cum in iis quae in dies singulos scribuntur et multa commentatio et pacata iudicii tranquillitas, ut plurimum, desideretur, optandum est ut catholici ephemeridum scriptores ab huiusmodi quaestionibus tractandis abstineant. — Interim autem Sedes Apostolica, de gravioribus negotiis praesertim quae doctrinarum sanitatem spectant pro muneris sui ratione sollicita, ad renatas et crudescentes controversias vigilantiam et providentiam suam convertere "non praetermittit, ea adhibita consilii prudentia, in qua quemlibet catholicum virum aequum est conquiescere.

Ex qua tamen re nolumus detrimentum capere societatem religiosorum virorum *a Caritate* nominatam, quae sicut in iuvandis ex instituto proximis hactenus labores suos utiliter insumpsit, ita optandum ut vigeat reliquo tempore, fructusque pergat quotidie uberiores edere.

Interea Vestrum est, Venerabiles Fratres, dare operam ut haec consilia Nostra perficiantur, et nihil omittere quod ad firmandam concordiam pertineat. Quae sane eo magis est, ut probe intelligitis, necessaria, quo plures et acriores apparent hostes rebus catholicis imminentes: adversus quos exercere vires omnes necesse est, easque non dissipatione attritas, sed coniunctione auctas. Plurimum propterea prudentia, virtute et auctoritate Vestra confisi, Vobis omnibus, Venerabiles Fratres, et populis vigilantiae Vestrae commissis, auspicem divinorum munerum, et praecipuae benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud s. Petrum die XXV Ianuarii MDCCCLXXXII, Pontificatus Nostri Anno Quarto.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

REINTEGRATIONI IN PAROECIAM

Die it Septembris Ì880.

COMPENDIUM FACTI. Parochus C. dioeceseos P. ob avaritiam, animi asperitatem, suamque agendi rationem nedum plebis sibi commissae, sed etiam civilis auctoritatis aversionem in se concitavit. Rmus Antistes nihil omisit sive hortando, sivo increpando ut Parochus iste ad bonam frugem, charitatisque semitam rediret. At cum haec omnia in irritum cesserint, die 6 Maii 1878 huiusmodi decretum edidit: «Ob <c causas, quae nos digne movent, et de quibus Deo tantum « rationem reddere debemus, vigore facultatis a s. Trident. « Conc. *Sess. 14 cap. 1 de Reform,* nobis tributae, *ex in-« formata conscientia* te ab officio parochiali suspendendum « duximus, prout tenore praesentium te suspendimus. . . ad « arbitrium nostrum... Tibi insuper mandantes ut intra octo « dierum spatium, a praesentium receptione, coram D. Dno « Pro-Vicario nostro in spiritualibus Generali te sistere de-« beas, et cum eodem convenire de mercede tribuenda ex « reditibus tui beneficii alteri sacerdoti, a nobis pro cura ani-

4. marum dictae Ecclesiae subiectarum deputando...»

Huius decreti rigore Parochus perculsus, supplici oblato SSmo Principi libello, die 28 Ianuarii 1879 exposuit, se quatuordecim annorum lapsu operam suam diligenter navasse in Seminarii Clericis erudiendis, verbo Dei praedicando, et poenitentiae sacramento administrando, proque tot laboribus in

Ecclesia Dei exantlatis, a proprio Ordinario anno 1870 ad Archipresbyteralem praebendam memorati loci fuisse promotum. Octo iam ab annis hanc paroeciam Orator regebat, cum hac gravissima poena fuit multatus, post leves accusationes alicuius maligni paroeciani. Eapropter enixe expostulavit ut, declarata decreti nullitate, in propriam paroeciam redintegraretur.

Requisitus Episcopus pro informatione et voto, et ut de causis suspensionis referret, retulit : quod statim ac Parochus paraeciale munus accepit, coeperunt insimul populi et laicae auctoritatis inclamationes. Eius indoles dura odium plebis paruit adversus pastorem. Accusabatur etiam quod onera propria et Ecclesiae decus negligerei, quod pauperibus haud succurreret, quod siverit plures aegrotos emori absque sacramentis, ut pecuniam aucuparet, quae primum eius vitae obiectum constituere videbatur. Nam quidquid ageret opere et sermone sordidae inserviebat avaritiae. Hisce ergo modis eius ministerium rite vilescit eiusque reditus in Paroeciam quasi ab omnibus adversatur. Quamplurimorum animos in se concitavit illius pertinax voluptas adveçsandi desideria votaque omnium. Proh mitis et bonus pastor!

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO PAROCHI. AC imprimis ex parte Parochi notandum videtur, decretum remotionis, seu suspensionis ab officio parochiali, *ex informata conscientia,* nullitatis vitio laborare, cum Episcopus innixus *capiti 1 Sess. 14 de Ref.* ampliorem potestatem sibi arrogaverit, quam caput illud reapse concedat. Nam per caput illud Episcopis facultas tantum fit I° interdicendi *ascensus ad sacros ordines ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extraiudicialiter;* 2° suspendendi *ab ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus ecclesiasticis,* ut docent communiter ss. canonum interpretes, *Fagnanus in cap. Ad aures, de Temp. ordin. n. 12 et seq. Gonzalez in Decretalibus*

lib. i tit. 11 in cap. Eco tenore n. 15, Bened. XIV de Syn. Dioeces, lib. 12 cap. 8 n. 3 Van-Espen de Cens. cap. IO.* Ulterius non progreditur facultas per caput illud Episcopis concessa, ne in vim quidem interpretationis, quia cum de lege poenali agatur, quisque novit hanc stricte esse interpretandam. Atqui Episcopus vi illius capitis non suspensionem ab ordinibus Parocho inflixit, sed ab officio parochiali. Cum igitur contra claram Tridentinorum PP. dispositionem caput illud applicaverit, nullo pacto decretum sustinendum esse videtur.

Praeterea .et illud queritur Parochus, non ob occulta crimina, sed plane publica in se ex informata conscientia dictam fuisse sententiam. Quidquid enim disputent auctores de publicitate, aut notorietate criminis* nemo hanc in facti specie negare poterit, qui sciverit, bis Parochum ex Episcopi mandato admonitum fuisse, et licet in decreto asserat illum suspendere *ob causas quae nos digne movent* et de quibus Deo tantum rationem reddere debemus** in informatione tamen nullum occultum crimen producere valuit. Publicae existimationis amissionem ob odium populi, culpabiliter excitatum, Praesul allegat, ob quod illum indignum declarat, qui unquam posthac paroeciae regendae praeficiatur. Nihil igitur desideratur, quod ad proprie dictam criminis publicitatem, et notorietatem requiritur. Atqui ut in vim *cap.* **1** *Sess. 14 de Refor.* procedere possint Episcopi, opus est, ut crimen sit occultum. Communis enim Canonistarum sententia, cui semper huc usque adhaesit haec S. C., de crimine tantum occulto cit. caput intellexit. Ita *Barbosa* in *Ius Can. lib. 1* in *cap. Ad aures n. 4, Pirhing* in *Ius Can. tom. 1 tract. 11 sect. 1 n. 15j Pignat. tom. 1 Consult. 261 n. 1, Monacell. formul, tom. 1 tit. 13 form. 3 n. 29* Gaudentius De Ianua De Visit. Praelat, tom. 1 dub. S sect.* **6** *n. 39* Bened. XIV De Syn. Dioeces, lib. 12 cap. S n. 3;* ubi loquens de hac facultate Episcopis concessa, eam circa occulta crimina versari aperte docet. Et hoc tam verum esse ait, ut ne ipsi quidem reo causam suspensionis, seu delictum ma-

infestare teneantur Episcopi, sed tantum Sedi Apostolicae, si suspensi ad eam recursum habuerint, idque allatis S. O. C, resolutionibus opportune confirmat. Inter recentiores, qui huic doctrinae adhaerent, adest ci. Lucidi *De Visit.* SS. LL. *part. 1 ad* §§. III *Benedictinae Instruct, sect. VIII n. 273;* ubi monet Episcopos, ut caveant, *ne quod publicum et notorium iam est, proinde ac esset occultum, falso sibi animo reputantes, suspensionem ex informata conscientia decernant; huiusmodi enim decretum minime sustinetur, prout evenit in s. Agathae Qot. Suspens. Irregul. et Privat, benef. 26 Februarii 1853,* cuius haec species erat: Episcopus Archipresbyterum curatum D'Ambrosio ex informata conscientia suspenderat a dignitate Archipresbyterali, animarum cura, et sacrorum ordinum exercitio, absque ulla temporis determinatione. Huius sententiae validitatem duplici ex capite impetebat D'Ambrosio, 3, quod delictum, propter quod lata fuerat, erat publicum, 2, quod poena erat tempore indefinita. Proposito dubio: « *An constet de validitate suspensionis in casu* - responsum fuit - *Negative, salvo iure Episcopo procedendi prout de iure.* - Igitur, non quia deessent causae, ob quas D'Ambrosio puniri poterat, sed quia ea puniendi ratione usus est Episcopus, quae secundum 'ius ei non competebat, invalida declarata est eius sententia. Non competebat vero ei ex informata conscientia procedere ob rationem a reo allatam, quia nempe crimen erat publicum. Atque idcirco reservatum ei fuit ius procedendi prout de iure, id est iuridica adhibita processus forma.

Alio etiam ex capite, ex defectu nempe legitimae causae decretum hoc merito impeti posse videtur. Posita enim Parochi inamovibilitate, neque coercitio ad tempus, neque totalis privatio valet infligi nisi gravissimi criminis, plenissimeque probati reus evincatur. Et primo praestat notare ad maximum Parochi honorem vergere, nullum adfuisse, qui contra eius vitae integritatem aliquid opponere potuerit. Imo tres Parochi finitimi, a quibus Episcopus informationem, et votum hac super controversia requisivit, uno veluti ore aperte

fatentur illius vitae rationem quoad mores et fidem haud esse redarguendam.

Queritur quoque Episcopus , Parochum aversionem populi, et civilis auctoritatis in se concitasse, at re intimius prospecta, videtur suspensionis causa in populi aversione consistens minime in facto subsistere. Si demas enim inclamationes paucorum, Syndaci et Provinciae Praefecti, ceteri contra proprium Parochum, ne obmussitarunt quidem. Circa alias vero accusationes notandum, non agi nisi de quadam negligentia in parochialibus muneribus obeundis, et quidem nec erat tam „.gravis, quae Episcopum rationabiliter movere posset ut ad extremum remedium deveniret.

Ceterum adnotandum, Parochum plusquam duobus annis gravissimam suspensionis poenam sustinere : idcirco licet aliqua macula gravatus extaret, ipsam toto hoc tempore expiasse, ac redintegrationem in paroeciam mereri videtur. Rationis enim, et aequitatis principia suadent, *poenam esse commensurandam culpae* et pro culpae modo imponendam,* ipsa non excepta suspensione et interdicto : *Bened. XIV de Syn. Dioeces, lib. X cap. I n. 2 et 3.*

DEFENSIO EPISCOPI. Verum ex alia parte suspensionis decretum *ex informata conscientia,* contra Parochum ab Episcopo prolatum, in suo robore consistere plura suadent argumenta. Siquidem videntur Tridentini PP. in *Cap. 1 sess. 14* generaliter loqui, et amplissimam Episcopis potestatem facere suspensionem infligendi ex informata conscientia, tam ab ordinibus, quam ab officio. Animarum enim cura certe recensenda videtur inter *gradus** vel *dignitates ecclesiasticas** a quibus Clericos suspendendi Episcopis plena facultas tribuitur. Hinc *Ferraris Bibliotk. Eccl. univ. verb. Susp. art. 1 num. 19* tradit : « Plures etiam existimant, posse Episcopum ex informata conscientia suspendere a beneficio: idque quia ubi agitur de suspensione ab exercitio ordinis suscepti, videtur simul agi de suspensione a beneficio, ut praeseferunt illa verba : « *aut qui a suis ordinibus* seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus.* >

Nec contra Episcopi decretum quidquam obstat, quod crimina, de quibus Parochus imputatur, sjnt notoria, et publica, atque ideo ordine iudiciario cognoscenda, non vero remediis extraordinariis coercenda. Haec inquam difficultas non tanti videtur, ut praefatum decretum infirmare valeat. Imprimis enim non omnes conveniunt auctores, quaenam delicta dici vere debeant publica ; dein fieri non posse videtur, ut omnia adeo vulgata sint, ut ne unum quidem sit adhuc occultum. Atqui unum tantum crimen occultum satis esset, ut suspensio vel prout poena, vel prout censura, ex informata conscientia infligi posset. Ad rem Pignatelli *tom. 9 cons.* ***S*** *num. 5* inquit : « Quatenus censurae prolatae super pluribus « delictis non sustineantur super unoquoque illorum, satis « tamen est, quod ex uno tantum comprobarentur, cum ununi- « quodque sufficiens sit ad illas iucurrendas ».

Insuper licet communius doceant canonistae, sententiam ex informata conscientia in criminibus occultis tantum fieri posse, contraria tamen opinio sua probabilitate carere non videtur, cum Conc. Trid. facultatem Episcopis concesserit, extraiudicialiter hoc modo procedendi *ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen.* Dicendo enim *etiam ob occultum crimen* inclusisse videtur etiam crimen publicum.

Negari enim in facto non potest Parochum aspera, incivili, imprudenti sua agendi ratione, ac nimia lucri cupiditate parochianorum, civilisque auctoritatis animos ita acuisse, eorumque indignationem et odium in se ita concitasse, ut pluries eius remotionem enixe expetierint. Omnes enim in hoc conveniunt, nulla alia prorsus ratione huius paroeciae quieti et animarum saluti consuli posse, nisi Parochum removendo.

Cum itaque res ita sese haberent, videtur Episcopus sapienter egisse cogendo quibus poterat rationibus Parochum, ut a sua paroecia discederet. Cumque in Ecclesia salus animarum suprema lex sit, atque huc suas curas suasque cogitationes intendere debeat Episcopus, sui muneris non immemor , recte Parocho Oeconomum curatum seu vicarium

in paroecia regenda subrogavit. Quoties enim Parochi, gravi de causa, bonum animarum operari amplius non valent, iuxta *cap. 10 Propter malitiam de Renient.** et Tridentini sanctionem in *cap. 6 sess. 21 de Reform,* hoc remedio animarum regimini consulendum est.

Verum huiusce rei definiendae ratio iudicio BE. PP. relicta fuit, quorum sapientiae enucleanda remissa fuere sequentia

Dubia.

I. *An decretum diei 6 Maii 1878 sustineatur in casu.* Et quatenus negative

II. *An et quomodo providendum sit in casu.*

RESOLUTIO. Sacra O. C. re mature disceptata sub die **11** Septembris **1880** censuit respondendum:

Ad **I.** *Negative.* **(1)**

Ad **II.** *Affirmative et nisi parochus renunciare velit* Episcopus procedat ad Paroeciae privationem ad formam iuris* vetito interim parocho reditu ad paroeciam.*

(1) Pro deductionibus de more peragendis recole illas, per nos aetas in fine sequentis Appendicis III. Hic tamen notare placet s. O. Congregationem declarasse decretum in themate, latum *ex informata conscientia,* haud sustineri, quia nullum adfuit delictum occultum , cui irrogata censura inniteretur. Idque erui datum est, nobis videtur, ex ipso responso eiusdem s. Congregat, ad dubium secundum, quo ipsa iubet Ordinarium procedere ad privationem paroeciae, *ad formam iuris* , quatenus Parochus renunciare nolit. Et ideo haud admittit in themate formam iudicialem ab Episcopo illo, in casu sequutam.

Recolenda insuper est causa *Appellationis* relata Vol. VII pag. 559 har. ephem. ut magis innotescat hac forma extraiudiciali utendum esse *ob crimen occultum.*

APPENDIX III.

QUOAD SUSPENSIONEM EX INFORMATA CONSCIENTIA

Iuge nos iamdiu premit desiderium lectoribus porrigendi nostris aliquam normam, prae oculis habendam in perdifficili applicatione suspensionis, ***ex informata conscientia*** nuncupatae. Saepe enim conspeximus hanc iudicii formam haud applicari iuxta Tridentini mentem, a quo suam trahit originem. Quamobrem saepenumero accidit quod s. Concilii Congregatio, Tridentini interpres et vindex, declarare debuerit eiusmodi Episcoporum decreta non sustineri, si quando hac perculsus censura ad Apostolicam Sedem recursum habuerit.

Tunc recurrens, etiamsi forsan vitiis obrutus, ob relatam victoriam in superbiam elatus, enixis viribus sacram Praesulis vituperio auctoritatem prosequitur, ratus posse hac loquendi forma, proprium tegere dedecus , propriamque amissam recuperare dignitatem. Omnia haec prospeximus magno, fatemur enim, animi nostri moerore, quoniam ss. Antistitum auctoritas nobis omnino veneranda est.

Igitur, ut ex hac parte rarius id accidat, et ut eiusmodi auctoritas facilius integra atque in suo decore servari queat, perutile fore censuimus quaestionem referre, apud s. **C.** Congregationem agitatam sub die **8** Aprilis 1848. Siquidem in huius disceptatione et plurimorum dubiorum resolutione conspicere est, magno doctrinae apparatu et subtili canonum interpretatione enucleata fuisse multa, quae hanc perdifficilem iudicii formam tangere queant. Istam ergo prae oculis habentes Praesules, qui ex necessitate in rebelles subditos animadvertere debeant, rarius, confidimus, audient Apostolicam Sedem resolvisse, eorumdem decreta non sustineri.

Meminerint quoque, observantiae causa nobis addere liceat, ss. Antistites ne tam facile manus apponant his extraordinariis remediis, nempe suspensionibus ***ex informata conscientia :*** quoniam eorumdem est subditos tractare paterno charitatis affectu, iuxta monitum Tridentini Sess. 13, cap. 1. Sit ergo

LUCIONEN. SUSPENSIONIS ET APPELLATIONIS

Die 8 Aprilis 1848.

COMPENDIUM FACTI. Episcopus Lucionensis statim ac suae Dioecesis possessionem acceperat, graves undique accepit questus de prava vivendi ratione corruptisque moribus sacerdotis Piveteau,

qui paroeciam inamovibilem a decem et octo annis regebat. Rescivit etiam iam parochum in vitiis sordescere, ita ut etiam suo antecessori iugis afflictionis causa extiterit. Quapropter prius humanitate pastoris usus est; sed quum exhauserit omnia bonitatis officia in filium ingratum, ad iustitiae remedia descendit. Proinde mox in eum agi iussit secretam inquisitionem, ex qua ingens scelerum-congeries emersit.

Testes in ea inquisitione vocati fuerunt viri gravitate et pietate spectabiles,, qui pernoscentes parochum malitiosum et vindicem, et timentes odium eiusque vexationes, cupierunt, ut quod ipsi essent iureiurando affirmaturi, alto silentio conderetur. Hisce testimoniis innixus , habuit Episcopus plenam persuasionem de accusati parochi improbi tate; atque usus facultate Episcopis tributa a ***Tridentino Sess. 14 cap. 1 de ref.*** die 25 Maii 1846, s. Visitationem peragens, adstantibus suo secretario, et vicario generali, criminoso parocho ex ***informata conscientia*** suspensionem indixit ab omnibus eius functionibus, sive sacerdotalibus, sive paroecialibus. Aderat et parochus, qui visus est quodammodo habere aequam et iustam Episcopi sententiam aiens; ***a que s'il avait quelques torts, tout ce qui venait de passer, était propre à le faire rentrer en lui même, »*** Episcopus tunc decreti illius executionem suspendit, ea confisus spe, ut hoc temporis intervallo, reus conscientia maleficiorum extimulatus in aliquod se includeret coenobium, ibique poenas illorum exolvendo, vitae suae consuetudinem immutaret.

Spes autem evanida fuit; nam biduo post, Episcopus certior factus est in omni genere scelerum et flagitiorum sese volutasse parochum. Hinc facti veritate comperta, exquisitâque sui episcopalis consilii sententia, decretum suspensionis exequi mandavit die 15 Iunii, et paroeciae administrandae alium praefecit sacerdotem. Parochus die 16 Iunii epistolam dedit metropolitano burdigalensi, questus quod decretum ante praestitutum tempus executioni aman datum fuerit; ac sub specie interpositae appellationis , suspensionem violavit, tum se a divinis nequaquam abstinendo , tum nonnullis libere fungendo parochi muneribus. Ordinarius die 24 Iunii tertium condidit decretum, in paroeciali ecclesia publice denunciatum; quo duo priora confirmavit, et quo parochum irregulärem ex delicto pronunciavit.

Parochus die 29 Iulii ab Episcopo proprio et a triplici decreto ad Archiepiscopum burdigalensem rite appellavit, aiens absonum iuri et iniquum episcopale suspensionis iudicium, utpote quod,

se nec monito nec audito, omnique **via** suae defensionis prohibito, fuerit pronunciatum.Demum,quae perperam coram Episcopo diluere studuit nova sibi illata crimina, haec iterum penes Archiepiscopum nisus est excusare.

Archiepiscopus agnovit et-Episcopo significavit, nullum fuisse suspensionis decretum ob praetermissas canonicas monitiones, aliasque solemnitates. Et ideo si parochus appellaret ad auctoritatem civilem, iudiciumque episcopale penes eamdem reprobaretur, Episcopus traduceretur, tamquam arbitrarius, per omnium ora, cum suae dignitatis iniuria.

Episcopus respondit sese credere rite egisse in Parochum, iuxta quamplurimis s. C. Congregationis resolutiones et doctrinam Benedicti XIV.

Archiepiscopus his in adiunctis rogavit de sententia Archiepiscopos Lugdunensem , Rothomagensem, Bisuntinum, et Rhemensem; qui responderunt ut satageret ad Episcopum cum Parocho componendum ; sique hoc non succederet, de interposita appellatione iudicium pro tribunali pronunciaret. Hic re mature perpensa, censuram a poena distinguons, hoc postremo respectu censuit suspensionem sustineri posse absque canonicis monitionibus , aliisque solemnitatibus; et decretum Episcopi non esse confirmandum nec infirmandum, sed retinendum esse uti temporaneum, haud perenne. Haec Archiepiscopi sententia ansam praebuit parocho; qui quum iterum appellasset apud metropolitanum, Episcopus monuit istum ne iudicium pronunciaret , quoniam rem totam Apostolicae Sedis iudicio deferre decreverat. Cum id Parochus novit , apud s. Sedem institit orans, ut canonica in se institueretur inquisitio, qua suam valeret ostendere ***innocentiam.*** Animadversiones quoque utriusque Praesulis, hoc temporis intervallo, Romam missae fuerunt. Administer supremus a negotiis ecclesiasticis, concessit interea tres ex quinque partibus pensionis novo paroeciae presbytero, et ipsam domum paroecialem. Ut autem Emis Patribus prava eo magis innotesceret Parochi indoles, praemissum quoque fuit, ipsum de furto etiam redituum ad Ecclesiae fabricam pertinentium, deque nonnullis exactionibus, simoniam redolentibus, fuisse accusatum; Episcopum vero, servata iudicii forma, eum ad restitutionem damnasse sub excommunicationis poena, et privationis paroeciae, ipso facto incurrenda.

A qua sententia appellavit quoque apud metropolitanum, sed de hoc nil in praesenti quaestione.

Disceptatio synoptica

Quae contra suspensionis sen-

tentiam facere videntur, haec ferme sunt. Ac primum facultatem episcopis a tridentina synodo tributam in ***cap.*** 1. ***sess.*** 14. interdicendi clericis ascensum ad ordines ***ex quacumque causa , etiam ob crimen occultum, quomodolibet etiam extraiudicialiter,*** non esse protendendam ad secundam illius capitis partem, ubi agitur de suspensione ab ordinibus et gradibus iam susceptis, nisi observetur" forma iudiciaria a ss. canonibus praescripta , sustinet Van Espen in suo opere ***iur. eccl. unirci', part.*** 2. ***sect.*** 1. ***tom.*** 10. ***num.*** 27. sententiamque suam firmat ex textu conciliari, cum in prima tantum parte dictum fuerit ***quacumque ex causa etc. etiam extraiudicialiter,*** ac eas clausulas omissas fuisse ait in secunda; hanc enim rationem assignat, quia, scilicet admissio ad sacros ordines, ut plurimum gratiosa, non mirum quod a mero episcopi beneplacito dependeat. Suspensio autem ab ordinibus iam susceptis poenam importat, quae ordinem iudiciarium, aeque ac omnis alia censura, requirit, atque ideo ob crimen mere occultum , quod in iudicio probari nequit, eam infligi non posse concludit. Huic Yan Espen sententiae sunt omnino consentanea ea quae tradit Gibert. ***iur. can. tom. 1. part.*** 1. ***tit.*** 22. ***cap.*** 1. circa praefati capitis conciliaris interpretationem, rationem adiiciens, quia cum suspensio ab ordinibus privet clericum} iure quaesito, ignominiamque pariat suspenso et publicum scandalum, quod non evenit in denegatione ascensus ad ordines , non est eiusmodi suspensio extendenda, sed potius limitanda , quippe de odiosis agitur.

Deinde, etsi amplissima facultas episcopis per tridentinum attributa ***in cap.*** 1. ***sess.*** 14. locum sibi vindicet tam in prohibitione ascensus ad ordines, quam in ordinum susceptorum suspensione, prout sentire videtur ipsemet archiepiscopus, hic tamen illam episcopis minime concessam opinatur ; quum , uti evenisse autumat in casu, non modo de criminibus occultis, sed de publicis etiam agatur. In controversis enim decretis episcopalibus, ut ipse prosequitur, sermo est de imputationibus contra ***fidem, mores*** et ***iustitiam***, nec non de ***scandalis, ct transgressionem contra Ecclesiae praecepta,*** quae profecto crimina occulta esse non possunt. Hoc autem posito, servare formam iuris oporteret, cum huiusmodi crimina in publico iudicio probari publiceque poena multari possent ; atque ita intelligi debent tum conciliaris textus, tum s. Congregationis resolutiones, quae exadverso ab episcopo lucionensi proferuntur.

Ast, quamvis de occultis tan-

tum criminibus ageretur, non ideo tamen sustinenda esse videtur lata suspensio. Etenim ex dispositione ***Clementin. Saepe contigit, de verb. sign, et cap. Statata*** 20 ***.de liaeret.iriQ*** etiam de occultis delictis institui debet iudicium ***summarium et secretum,*** a quo omnia fere iure positivo, requisita abesse possunt uti tradit Reiffenst. ***lib-*** 2. ***tit.*** 1. ***de iudiciis numer.*** 41. ***et tit.*** 19. ***de praeb, numer.*** 29. ei 30. In eo enim requiritur solum ut iudici adsit persona publica, aut saltem duo viri digni qui testium depositiones et nomina audiant, et acta iudicii conscribant, nec non ut cum reo de criminibus saltem oretenus communicetur , quum nomina testium possint, si quid periculi subsit, occultare Quam formam facillime poterat episcopus sequi, quin incommoda, de quibus meminit, fuissent pertimescenda. Demum et illud est animadvertendum, testes fuisse adhibitos singulares, quorum nulla fides, quippe ne in materia quidem sollicitationis ad turpia, quidquam valerent, quia facultatem utendi testibus singularibus unice cardinalibus supremae Inquisitionis iudicibus concessam fuisse per bullas Gregorii XV. ***Universi dominici gregis,*** et Benedicti XIV. ***Sacramentum poenitentiae***, tradit Bordonius in opere ***Sacrum Tribunal. cap2%. numer. 107.***

Hisce quae ad archiepiscopi sententiam vindicandam in medium allata sunt, nonnulla magni ponderis exadverso opponuntur. Et primo, si excipias Gibert ac Van Espen, reliqui ss. canonum interpretes unanimiter sentiunt dispositionem ***cap.*** 1. ***sess.*** 14. ***de ref or.*** in parte priori positam, censeri et in posteriori repetitam, ac proinde episcopis licere non solum ascensum ad ordines prohibere, sed et suspensionem a susceptis ordinibus decernere ***ex quacumque causa, etiam ob crimen occultum, quomodolibet extraiudicialiter,*** uti disertissime docet Fagnan. ***in cap. Ad aures de temporibus ordin. num.*** 12. ***et seqq. et in cap. seq. Ex tenore num.*** 7. ***et seqq.*** quem sequuntur Gonzalez ***in decretal, lib.*** 1. ***tit.*** 11. ***in d. cap. Ex tenore numer.*** 15. De Luca. ***deben, disc.*** 14 ***numer.*** 5. Gagliardi ***inst it. canon. lib.*** 4. ***tit.*** 18. numer. 108. ***ct seqq.*** Barbosa ***in Conc. Trid. ad cap.*** 1. ***sess.*** 14- ***de ref. numer.*** 1. Gallemart. ***eod. loco numer.*** 1. Giraldi ***in commentariis ad d. cap.*** 1. nec non ipse Van Espen disertissimis verbis eamdem sententiam, parum sibi constans, defendit ***in iur. eccles, univer. num. 5. part.*** 2. ***cap.*** 2. §. 11. et 12. Praestat autem inter omnes immortalis mem. Ben. XIV. ***de syn. dioeces, cap.*** 8. ***n.*** 3. ubi plures ad rem afferuntur huiusce s. C. Congr. resolutiones.

Et sane talis fuit constans s. Congr. sententia circa illius capitis interpretationem. Anno siquidem 1582. die 22 iunii decisum fuit in Congregatione parem èsse episcoporum facultatem, sive prohibendi ascensum ad ordines, sive a susceptis ordinibus suspendendi, uti patet ***ex lib.*** 22. ***memorialium ad sess.*** 14. ***cap.*** 1. ***de ref. pag.*** 24. et cum fuerit dubitatum die 27. ianuarii sequentis anni 1583, utrum prohibitio et suspensio huiusmodi esse possent perpetuae, die 3. februarii 1593. resolutum fuit, ***caput I. sess.*** 14. ***de ref habere locum in prohibitionibus et suspensionibus, tam temporaneis, quam perpetuis ,*** ceu ***ex libr. 7. decretor, pag.*** 89. ***in Nullius;*** idemque s. Ordo sentiit ***in Alerien.*** 24. ***Novem.-bris*** 1657. ubi censuit, ***re sedulo examinata, non recedendum ab antiquis declarationibus, super hoc eodem dubio pluries datis,*** veluti ***ex lib. decretor.*** 21. ***pag.*** 134; ***idem in Bononien.*** 14. ***Novembris*** 1654. ***lib. decret.*** 19. ***pag.*** 416. ***in Isernien.*** 20 ***Decembris*** 1687. ***lib. decret.*** 37. ***pag.*** 714. ***ad primum dubium.*** Huiusmodi autem s. Ordinis resolutiones, nedum praefato tridentini capiti, sed et praecipue illius sessionis proemio quam maxime sunt consentaneae. In proemio enim de iis qui ad ordines debent promoveri, magis quam de iam promotis, ac praesertim de clericis ad animarum curam constitutis , sollicita est sacrosancta synodus; et hinc ad caput primum descendit, in quo tam amplam episcopis attribuit facultatem, ***ut liberius id exequi possint,*** quod eisdem superius iniungit, uti doctissime explicat Fagnan. in cap. ***Ex tunc de temp. ordin, numer.*** 15. et 16.

Firmata Episcopi facultate quoad suspensionem infligendam ***ex quacumque causa, etiam extraiudicialiter,*** exulat quaelibet formae iudicialis necessitas.

^Exceptionem autem ex eo petitam, quod in concursu criminum publicorum cum occultis, haud liceat episcopo uti facultate per saepius dictum caput tridentini eidem concessa, sed tunc sit iudicialiter procedendum, subtilitatis potius argumentum, quam verae difficultatis nodum, exhibet. In primis enim tam late patent clausulae, quae datam facultatem comitantur, ut nulli prorsus limitationi subiaceant. Sane clausula ***quacumque causa,*** universalis dicitur, et quemcumque modum comprehendit, ea etiam quae non venirent, etsi ratio universitatis reddi nequeat. Rota ***decis.*** 51. ***num.*** 5. ***part.*** 8. ***decis.*** 57. ***num.*** 10. ***part.*** 4. ***tom.*** 2. et ***decis.*** 335. ***num.*** 16. ***part.*** 5. ***tom.*** 1. ***recentior.*** Barbosa in ***Diction, usu frequentior. Dictio - Quicumque-*** de qua dicit ***omnia includens et nihil excludens.***

Quomodolibet vero est clausula •universalissima, et comprehendit etiam impropria. Rota *decis. 7. num.* 4. *part.* 4. *tom.* 2. *ét decis.* 14. *num.* *lo.* *part.* 8. *recentior.* *Etiam* est ampliativa, extensiva, et quandoque facultativa, stat augmentât!ve, et implicat casus praecedentes et minus dubitabiles. Rota *decis.* 30. *num.* 22. *part.* 5. *tom.* 1. *decis.* 81. *nu~mer.* 4. /)<zr¿. 10. *decis.* 367. mer. 2. joar¿. 1. decis. 164. *numer.* 1. /ratri. 15. *decis. 437.part.* 2. et decis. 47. *numer.* 8. /)&r¿. 8. *recent.*

Ex quibus profecto resolvendum, virtute clausularum huiusmodi, publica etiam delicta non excludi a praefati capitis dispositione; imo arguendo a maiori ad minus, si huiusmodi facultas comprehendit crimen occultum, quod profecto ante concilium poena multari nequibat *f* eò magis publicum comprehendere debet, quod certe ex ipsa sua *notorietate* nulla ratione negari potest, ac proinde defensionem non admittit. Praeterea s. Congregatio casum explicavit in cit. *Bononien.* 14. *Decembris* 1654; ubi resolvit, *suspendere posse Ordinarios ab ordinum exercitio ex legitima causa, etiam extraiudicialiter sibi constante, Clericos , et Presbyteros saeculares etiam Parochos:* ex qua resolutione probe patet causam, dummodo sit legitima et episcopo constet, quamlibet esse posse, ac proinde etiam publicam et occultam. Denique haec obiectio ad summum valere posset, ubi omnia delicta essent publica; at ubi publica mixta sunt cum occultis, debent absolute evanescere, quum, omissis publicis, persequi episcopus potest occulta, vigore facultatis ipsi concessae a Concilio in memorato capite primo sess. 14. Ad rem Pignatell. *consult.* 8. *tom.* 9. *num.* 5. inquit - *Quatenus censurae prolatae super pluribus delictis non substinerentur super unoquoque illorum,- satis tamen est quod ex uno tantum comprobarentur, cum unumquodque sufficiens sit ad illas incurrendas.* -Hisce autem omnibus posthabitis , repugnare videtur huiusmodi suspensionis naturae exceptio proposita, cum causae uni episcopo innotescere praesumantur, ac nemini proinda liceat contra easdem venire.

Quae ultimo loco proferuntur de summario processu super crimine etiam occulto conficiendo, deque rei defensione excipienda, cum a iure antiquo proficiscantur, post conc trid. sanctiones, quanti sint facienda facile quisque videt, praesertim cum s. Congregatio declaraverit, episcopum in huiusmodi poenis decernendis, *non teneri dicere causam suspensionis, seu delictum manifestare ipsi reo, sed tantum Sedi Apostolicae, si reus ad eam*

recursum habuerit, iti Vercellen. 21. ***Martii*** 1643. ***lib. decret.*** 17. ***pag.*** 180. Nullo vero in pretio habenda sunt quae ait Bordonius de testibus singularibus in materia sollicitationis, cum ex mera lectione const. Benedicti XIV, ***Sacramentum poenitentiae,*** patentissime contrarius sensus erumpat; in ea enim nulla legitur limitatio ad cardinales, ac ad supremam Inquisitionem, sed ad omnes aeque locorum ordinarios facultas impertita protenditur. Insuper testes in casu, etsi singulares videantur, contestes tamen dici possunt, cum, licet quisque de criminibus distinctis deponat, crimina pleraque eiusdem prorsus naturae dignoscantur.

Quaestio est in secundo dubio de iure appellationis, quod a similibus suspensionis decretis dari omnino existimat burdigalensis metropolitanus, hisce innixus rationum momentis. Primo est iuri naturali quam maxime conforme ius appellandi ab inferioribus iudicibus, et naturali consonat etiam ius civile , ac praesertim canonicum, a quo appellatio permittitur ***ex cap. Constitutis lib.*** 2. ***de appellation,*** a quocumque gravamine , etiam extraiudicialiter illato, uti monet Rota in ***dec.*** 287. ***num.*** 7. ***decis.*** 522. ***numer.*** 5. ***part.*** 2. ***et decis.*** 319. ***num.*** 6. ***part.*** 15. ***rec.*** cum communi doctorum sententia. Quod si a legitima morum correctione dicitur non admitti appellationem , hoc est intelligendum, si gravamen non fuerit illatum per excessum in corrigendo, ut docet Ferraris ***Biblioth. canon. v. Appellatio art. V. num.*** 1. et 2.; ac magis praecise intelligi debet denegata appellatio suspensiva, ceu tradit Fagnan. in ***cap. Ad nostram de appellat, num.*** 8. et 9. Barbosa ***ad Conc. Trid. sess.*** 32. ***cap.*** 1. ***n.*** 6. ***sess.*** 24. c. 10. ***num.*** 2. et 8. et ***vot. dec.*** 4. ***lib.*** 6. ***num.*** 73. et ***seqq.*** idem Ferraris ***eod. loc. num.*** 3. et ***seq.*** loquendo de correctione facta a praelato ***extraiudicialiter seu pater nalit er,nullo] formato processu, ex cap. Irrefragabili de officio, ordinar.*** apud Fagnan. et ex ipsa trid. syn. ***in cap.*** 1. ***sess.*** 22. ***et*** *cap.* .10. ***sess.*** 24. ubi Grallemart. s. Congregationis affert resolutionem, qua ea ***censuit hoc habere locum quando, non fuit processum iudicialiter, sive compilato ac prolato ac proposito processu,*** sicut fuit resolutum ***in una regni Sardiniae*** 15. ***Maii*** 1700. ***ad primum dubium.*** Idemque Grallemart. paulo inferius inquit decretum illius capitis non habere locum, quum episcopus processit compilato processu, et servatis servandis; hoc enim casu appellatio non solum esset in ***devolutivo,*** sed etiam in ***suspensivo,*** ut docet Fagnan. et Ferrar, ***loc. supra cit.*** Rota in ***decis.*** 399. ***num.*** 4. et ***decis.*** 458. ***num.*** 4. et ***h. part.*** 14.

rec. et Barbosa ***in Conc. Trid. sess.*** 13. ***cap.*** 1. ***numer.*** 7. et ***sess.*** 24. ***cap.*** 10. ***numer.*** 3. et 7. Hinc ambigendum non videt ar, quin a suspensione, de qua sermo, detur appellatio etiam in suspensivo.

Neque obiici potest egisse episcopum uti apostolicae sedis delegatum, ac proinde non dari ab eo appellationem nisi ad apostolicam sedem; nam certum est non tolli, vigore huiusmodi facultatis ius metropolitano competens, nisi quotiescumque episcopus procedit ex conc. trid. ut apostolicae sedis delegatus in causis, quae non sunt eius iurisdictionis; aliter vero dicendum, quum eadem praerogativa utatur in causis, quae sunt ordinariae ipsius iurisdictionis. Ita disertissime tradunt Barbosa ad ***sess.*** 24. ***cap.*** 40. ***num.*** 9. 10. et ***de officio et potest, episc, alleg.*** 73. ***num.*** 35. et ***all.*** 92. ***num.*** 14. Gallemart. ***ad sess.*** 13. ***cap.*** 2. ***num.*** 2. et ***sess.*** 14. ***cap.*** 4. ***num.*** 1. Fagnan. ***in cap. cit. Ad nostram de appellat, num.*** 9. Pigliateli, ***tom.*** 10. ***consult.*** 67. ***num.*** 12. et ***consult.*** 149. ***num.*** 15. Ventrigl. ***in prax. part.*** 2. ***adnot.*** 24. §. 2. ***num.*** 26, et pluries resolvit s. Congregatio ***in Tarraconen. lib.*** 1. ***decret, pag. 7. Zamoren. lib. decret.***2. ***pag.*** 139. et ***Ianuen, lib. decret.*** 10. ***pag.*** 106. ***ad*** 2. ***dub.*** Et merito quidem, alias suspensus potestatem suae defensionis non haberet. Hinc cum ex dispositione dicti capitis non adimatur aperte ius appellationis, ut innuit archiepiscopus, in dubio ad iuris communis sanctiones est regrediendum.

Quod si hisce non obstantibus velint admitti, quae ex auctoritate s. Congregat, docet Benedict. XIV. de ***syn. dioec. lib.*** 12. ***cap.*** 8. nunquam tamen haec habere locum in themate censet archiepiscopus; idque comprobat primo ex criminum natura, ob quae est inflicta suspensio. Cum enim ea sint publica , prout ex decretis suspensionis ipsemet colligit archiepiscopus, necessario formae iudiciales erant adhibendae, et validis probationibus reus convincendus. Ubi igitur hoc factum non fuerit, episcopum excessisse facultatem quam habet ***ex cap. 1. sess.*** 14. ***de reform.*** dicendum est.

Hisce acriter obstitit episcopus. Quamvis enim nihil detrahi possit auctoritatibus allatis exadverso pro tuenda appellatione saltem in devolutivo, conciliationem tamen admittunt tum doctorum sententiae, tum s. Congregationis resolutiones, quae secum invicem pugnare videntur. Siquidem loquendo de facultate, quam habet episcopns, procedendi ex informata conscientia vigore ***cap.*** 1. ***sess.*** 14. ***de reform,*** omnes doctores, nemine dissentiente, conveniunt inter se de respuenda absolute appellatione, nec nisi

recursum ad sedem apostolicam admittunt. Ita Barbosa ***ad sess.*** 14. ***cap.*** 1. ***de ref. num.*** 1. ***tom. 1. iur. can. lib.*** 1. ***in cap. Ad aures num.*** 5. Grallemart. ***eodem loco uum.*** 1. Fagn. ***in alias cit. cap. Ad aures num.*** 11. et 12. disertissime Card. De Luc. ***de ben. discur s.*** 71. ***numer.*** 5. Griraldi ***in iur. pont. part.*** 2. ***ad cap.*** 1. ***sess.*** 14.-et praestantissimus Bened. XIV. ***de syn. dioec. lac. cit. num.*** 4. et 5-.-ubi ad rem affert nonnullas resolutiones sac. Congregationis, quae quoties fuit interrogata, num dari posset appellatio ab episcopi iudicio procedentis ex facultate dicti capitis primi sess. 14, toties constanter negativum dedit responsum, sive quoad prohibitionem ascensus ad Ordines; ut in ***Calaritana Gravaminum*** 16. ***Iulii*** 1695. ***libr. decret.*** 45. ***pag.*** 10. ***ad'Q. dub.,*** et in responsione ad archiepiscopum rhemensem ***in lib. literar. IQ.pag.*** 400. 2. ***Aprilis*** 1668, sive quoad suspensionem ab ordinibus susceptis aut beneficio, ut in ***Verulana*** 3. ***Aprilis*** 1621. ***ex lib. memorial, ad sess.*** 14. ***cap.*** 1. ***de ref in Calaguritana*** 1624. ***lib. decr.*** 12. ***pag.*** 222. ***in Sagonen.*** 21. ***Iunii*** 1625. ***lib.*** 35. ***position, pag. 1. et in cit. Bononien.*** 14. ***Novembris*** 1654. et ***in Capritana*** 16. ***Decembris*** 1730, idemque servandum mandavit veneto nuntio, uti patet ex instructione, quam refert Ferrar, ***in Bibliot h. can. v. Suspensio ar tic.*** 1. ***num.*** 16.

Facilis hinc videtur huiusmodi apparentis repugnantiae conciliatio. In alteris enim auctoritatibus, sive doctorum, sive s. Congregationis, dispositio est generalis, in alteris vero dispositio est peculiaris, et nominatim restricta ***ad cap.*** 1. ***sess.*** 14. ***de ref*** Quare ubi agitur de suspensionibus latis vi capitis huius, firmum iugiter manebit nullam dari appellationem, nec in devolutivo, nec in suspensivo, sed tantum recursum ad apostolicam sedem; in aliis vero casibus appellationem admitti pro eorum varietate, sive in solo devolutivo, sive in devolutivo simul et suspensivo. Hanc conciliationem nobis exhibet ipsa sac. Congregatio in ***cit. Calaguritana an.*** 1624. in qua ita respondit « ***Si Episcopus in vim cap.*** 3. ***sess.*** 14. ***eiusdem Concilii contra clericos processerit tamquam illiteratos, a decreto suspensionis huiusmodi dari appellationem ad effectum devolutivum tantum, non autem suspensivum. Ceterum si processerit contila eos tamquam delinquentes, facultate sibi tributa a cap.*** 1. ***eiusdem sessionis, a suspensione lata ab eo dari nullam appellationem*** ». Idemque colligitur ex const. Bened. XIV. ***Ad militantis Ecclesiae,*** diei 30. martii 1742. in qua post plurimos casus enumeratos, inter quos et hunc, de quo incidit

quaestio, sub §. 38. statuit dari, vel appellationem ad superiorem in solo devolutivo, vel tantum recursum ad romanum pontificem, ***iuxta causarum naturam et qualitatem.***

Resolutio proinde s. Congregationis ex adverso illata in causa regni Sardiniae et instructio ad venetum nuntium, de iis suspensionibus sunt intelligendae, in quibus episcopus procedit non vigore ***cap.*** 1. ***sess.*** 14. ***de ref.*** sed alio titulo, aliáqne auctoritate. Quod si etiam accipiantur in sensum ***cap.*** 1. ***sess.*** 14. ***de reform.,*** probe animadvertendum est in iis, non agi de appellatione ordinaria ad metropolitanum, sed extraordinaria ad iudicem apostolicum delegatum, qui non procedit auctoritate ordinaria, sed tantum virtute peculiaris delegationis. Eoque minus valet exceptio ab naturali propriae defensionis iure petita.; nam sapientissime est constitutum, ut semper liceat suspenso auctoritatem Sedis apostolicae invocare, cui episcopus tenetur suspensionis causas aperire: ac proinde cum huiusmodi recursus abunde suppleat appellationis defectum, ut docet ad rem Barbosa ***vot. decis.*** 4. ***tom.*** 1. ***numer.*** 79. neutiquajn reo intercluditnr aditus de sua sibi defensione comparanda.

Tertium dubium a praecedentis resolutione pendet. Si enim s. Congregatio iudicaverit non esse appellationi locum, suo pondere concidet lata ab metropolitano sententia, ob evidentem iurisdictionis defectum, prout sibi persuasum habet episcopus lucionensis. Sin autem pronuntiaverit pro metropolita circa ius, quod ipsi erat cognoscendi huiusmodi controversiam, metropolitae nihilominus sententia ***substantialibus*** vitiis, sive ***extrinsecus f*** sive ***intrinsecus,*** inficerétur. ***Extrinsecus*** enim sententiae nullitas deprehenditur ex omissis solemnitatibus a iure canonico praescriptis; siquidem nulla citatio praecessit, nec auditio sive ipsius episcopi, uti partis, sive testium, nullumque fuit tribunal constitutum.

Deprehenditur etiam alius defectus , scilicet interpositio appellationis post lapsum fatalium; a sententiis enim latis die 15. et 24. iunii, facta est provocatio die 29. iulii, quum querela per epistolam ad metropolitanum delata, die 19. iunii, nunquam ab eodem pro legitima appellatione admissa fuerit.

Neque sustinenda videtur, si ***intrinsecus*** inspiciatur. Primo enim patet in ea metropolitam libelli limites excessisse, cum in hoc de nullitate ac revocatione sententiae episcopalis quaereretur; ipse vero nec de eius nullitate, nec de validitate pronunciavit , sed simplicem edidit declarationem de inflictae suspen-

sionis natura. Atqui iudex stare debet libello appellationis, ac secundum illum iudicare, quum in gradu appellationis agatur dumtaxat de confirmanda vel infirmanda lata sententia, ut monet Rota in ***dec.*** 231. ***n.*** 10. ***part.*** 12. ***recent.***

Praeterea decretum metropolitae laedit ius episcopale, ac proinde iniustum est: declarat enim absque causae cognitione, cum- ipse nullam habuerit criminum suspensi notitiam, inflictam suspensionem esse poenam mere ***provisoriam y*** seu ***temporaneam,*** contra ius episcopis concessum per bullas Gregorii XV. et Bened. XIV. superius relatas, nec non per supremae universalis Inquisitionis decretum editum die 5. augusti 1745. et relatum in ***append. ad tom.*** 1. ***bull. Ben. XIV. sub num.*** 8. in quo praeter ceteras poenas contra sollicitantes in confessione emanatas, de iis dicitur ***u perpetuam etiam inhabilitationem incurrant ad Sacrificii celebrationem ».*** Poterat enim episcopus ex hoc titulo suspensionem indicere, quo casu iniustitiam sententiae archiepiscopi, non est qui non videat. Quomodocumque demum sententia consideretur, nunquam fieri potest ut sustineatur; quippe nequibat archiepiscopus poenas criminibus applicare, quum illorum gravitatem non haberet perspectam.

Quaeritur in quarto dubio num parochus ita suspensus irregularitatem contraxerit, eo quod, spreto suspensionis decreto, ac sub quaesito appellationis colore, missam die dominico celebravit , baptismi sacramentum semel administra vit, aliasque sui muneris functiones stola indutus absolvit.

Illud prae oculis habendum est, irregularitatem contrahere suspensum non solum si sacra mysteria, durante suspensione, celebrare praesumat, sed etiam si baptismum solemniter ministret, vel sacramentaliter absolvat, aut in choro canat tamquam celebrans, seu hebdomadarius, eoque magis ubi stolam deferat, prout notat Bonacin. ***de censur. disp. 7. qu***. 7. ***punct.*** 6. ***n.*** 3. et ***seqq.***

Quibus praemissis ea est plurimorum sententia universaliter admissa, ut absque ulla distinctione irregularitas incurra tur ob spretam suspensionem , sive haec proprie censura sit, sive poena, ***arg. ex cap.*** 1. ***de sent. et re iudic, in*** 6. et ***ex cap.*** 1. ***de sent. excomm. ibid.*** ut tradunt Gibalin. ***de irregular it. p.*** 1. ***cap.*** 5. ***consect.*** 1. ***num.*** 6. Suarez. ***de Censur. disput.*** 26. ***sect.*** 2. Alter. ***eod. tract, part.*** 2. ***disp.*** 6. ***de suspens, cap.*** 2. §. ***Item et seq.*** et Bonacin. ***eod. tract, disp.*** 3. ***quaest.*** 6. ***punct.*** 5. ***prop.*** 3. ***numer.*** 6. addita ratione, quia scilicet suspensio, quae est mera

•poena, privat sacro ministerio, sicut privat suspensio, quae est proprie censura, nec minus indecens videtur, ut suspensus in poenam delicti, divinis se ingerat, quam qui ob contumaciam est censura suspensionis obstrictus.

Neque potest irregularitas vitari sub appellationis obtentu; ab huiusmodi enim suspensionibus, vel nulla admittitur appellatio, ut supra comprobatum est, vel si locus appellationi datur, haec numquam in suspensivo tenet, ut post s. Ordinis resolutiones iam ante allatas, docet clarissimus Ben. XIV. ***de synod, dioeces, lib.*** .12. ***cap.*** 8. ***num. 5. Ferr. v. Appellatio art.*** 10. ***numer.*** 31 ***in add. et v. Ordo art.*** 4. ***num.*** 37. et ***seq. in add.*** Quibus omnibus accedit s. huius Ordinis auctoritas, qui in casibus huic simillimis constanter resolvit irregularitatem incurri, uti respondit ***in Sagonen.*** 21. ***Iunii*** 1625 ¿¿6. 24. ***position, pag.*** 1. ***« Ab huiusmodi suspensione non dari appellationem, et Parochum, qui sacramenta ministravit, irregularitatem contraxisse*** », parique responsione eumdem omnino casum resolvit ***in Isernien.*** 20. ***Decembris*** lô87. ***libr. decretor.*** 37. ***pag.*** 714. et 10. ***April.*** 1688. ***lib. dec.*** 38. ***pag.*** 182.

Esto vero parochum incurrisse in irregularitatem, sequitur tamen dirimenda quaestio, utrum scilicet illa inter irregularitates debeat recenseri, de quibus, utpote ex delicto occulto provenientibus, ad episcopum, prout ipse iudicavit, dispensatio pertineat, vigore facultatis concessae a conc. trid. ***in sess.*** 24. ***cap.*** 6. ***de reformât.***

Missis doctorum in diversa studia abeuntium opinionibus, certa quaedam traditur regula ad dignoscendam episcopi facultatem ***ex conc. cap.*** 6. .sess. ,24. ***de reform,*** proficiscentem. Quam regulam omnes doctores sequuntur, eamque fuisse a s. Congregatione firmatam die 9. septembris 1582. testatur Fagnan. ***in lib.*** 3. ***Decretal, ad cap. Vestra de cohab. in fin. cap.*** hisce verbis *u* Sac. Congr. censuit, quando *n* delictum, ex quo provenit ir- » regularitas, est publicum, quam- » vis actus ille, quo interveniente » irregularitas incurritur, occul- » tus sit, Episcopum dispensare » non posse : veluti si Sacerdos » publice excommunicatus, vel *fí* notorie simoniacus occulte mis- *r>* sam celebraverit; quod si de- » lictum occultum est, ut puta » excommunicatio, vel fornicatio, *n* actus vero missam celebrandi, » ex quo irregularitas incurritur, » publicus, posse nihilominus Epi- » scopum ab omni irregularitate » absolvere ***ex cap.*** 6. ***sess.*** 24. ***» de ref. »*** Hanc autem distinctionem omnes ss. canonum interpretes, una cnm Fagnan. ***loc***

cit. amplectuntur, et praesertim Barbosa *in alleg.* 38. *num.* 26. et 27. atque *in capit.* 6. *dict. sess.* 24. *num.* 27. et 29. Monacen, *in formular, leg. t.* 2. *tit.* 13. *form.* 3. Bonacin. *disp.* ***7.*** *quaest.* 3. *punct.* 6. *prop.* 2. et Vanespenius *in iur. eccl. unio. tom.* 2. *p.* **2.** *sect.* 1. *tit.* 10. «iim. 19.

Quaestio igitur tota facti est, utrum scilicet suspensio, qua tenebatur parochus Pivetau, esset necne nota paroeciae *Roche-Serviere,* vel saltem aliquibus ex eadem: haec autem circumstantia quae rei substantia constituit, licet non satis aperte ex episcopi relatione colligatur, attamen intercessisse videtur, quum alteri presbytero paroecia fuerit delegata eo ipso die 15. iunii 1846, quo suspensionis decretum prolatum est. Ex quo facto praesumi quam probabiliter potest, suspensionem parochi plures saltem e paroecia non latuisse ; unde sequeretur dispensationem super irregularitate, non ad episcopum, sed ad romanum Pontificem pertinere.

Superest ut vos, Emi PP., quae sit parochi instantia cognoscatis. Hic enixe petit ut in se processus instituatur, servata ss. canonum forma et praescriptionibus. Hanc vero petitionem consonam ipse ait naturali iuri, quod praecipit nemini denegandam esse defensionem. Lamentatur denique miseram suam conditionem, in qua omni destitutus levamine, tum spirituali tum corporali, diu temporis versatur, ita ut ipsa suspensio in privationem ac depositionem penitus converti videatur.

S. autem Congregatio, etsi olim censuerit, ut supra dictum est, caput 1. concilii tridentini *sess.* 14. *dereform. habere locum .n prohibitionibus et suspensionibus, tam temporaneis , quam perpetuis;* recentiori tamen aevo ab illa sententia recedere consuevit, aliamque constanter sequuta est, qua id velle videtur, ut huiusmodi suspensiones, praesertim perpetuae, seu indefinitae, quae idem valent ac perpetuae, et sunt merae privationes, haud unquam in posterum ferendae sunt, nisi praemissis monitionibus aliisque solemnitatibus, ad praescriptum eiusdem synodus tridentinae *sess.* 21. *cap.* 6, latas fuisse repererit. Enimvero in quadam s. *Severini* 19 *septembris* 1778, dubium an parochus Laetti esset necne *redintegrandus ád regimen suae Ecclesiae parochialis,* a quo praeter normam *cit. cap.* 6. *sess.* 24. fuerat suspensus, hoc ipsa responso persolvit : *affirmative, reservato iure promotori fiscali agendi contra parochum Laetti ad formam concilii tridentini, et amplius.* Et novissime in *Piacentina Restitutionis in paroeciam* 26 *proxime lapsi februar ii,* id ipsum

rogata quoad parochum Franchi, consimili suspensione de paroeciali munere delectum, respondit: ***affirmative, peractis per decem dies exercitiis spiritualibus in domo religiosa.***

Quanti tamen haec facienda sint facile intelligent EE. VV. ubi hinc recolant ea, quae late in primo dubio disputata sunt de episcopi facultate procedendi contra delinquentes, omissis omnibus iuris solemnitatibus; illinc vero sedulo perpenderint criminum naturam et gravitatem, quorum parochus accusatur, et conditionem personarum, quae, firmiter attestante episcopo de illarum auctoritate et pietate, solo religionis zelo testimonium in parochum reddidisse censentur. Prae oculis insuper habeant EE. VV. alteram episcopi sententiam, de qua apud burdigalensem metropolitanum in gradu appellationis pendet iudicium, ut recte statuere valeant num parochi petitioni expediat inpraesentiarum indulgere. Verumtamen, quamvis vere sit deploranda parochi conditio, animadvertendum est cum Suarezio ***in tract, de censur. disp.*** 25. ***sect.*** 1. omnem censuram sive contumaciae sit, sive criminis, esse semper poenam semperque medicinalem , quae proinde ***praecipue fertur ad reprimehdam contumaciam, et ut homo a culpa recedat, ideoque non potest habere alium termi-: num, nisi donec recedat ab illa.*** Hinc, si parochi contumacia non frangatur, ipseque haud praebeat vera emendationis ac poenitentiae signa, episcopi arbitrio et prudentia probanda, non esse locum suspensionis relaxationi dicendum est, quemadmodum vel ipsa s. huiusce Ordinis disciplina docet.

Placeat itaque EE. W. quae sequuntur dirimere

DUBIA

I. ***An suspensio lata ex informata conscientia sustineatur in casu.***

II. ***An ab huiusmodi suspensionis decreto detur appellatio ad Metropolitanum, seu potius sit tantum locus recursui ad s. Sedem in casu.***

Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam .

III. ***An constet de legitimo iudicato Metropolitam burdig aiens is in casu.***

IV. ***An parochus ob violatam suspensionem contraxerit irregularitatem iu casu.***

Et quatenus affirmative

V. ***An, et ad quem spectet dispensatio a contracta irregularitate in casu.***

VI. ***An, et quomodo sit indulgendum precibus eiusdem Parochi in casu.***

RESOLUTIO. Sacra Congr. Concilii sub die 8 Maii 1848 censuit respondere :

Ad I. ***Affirmative, ad formam cap.*** 1. ***sess.*** 14. ***Concil. Trid. de reform.***

Ad II. ***Negative ad primam partem,affirmative ad secundam.***

Ad III. ***Provisum in praecedenti.***

Ad IV. ***Affirmative.***

Ad V. ***Affirmative ad s. Sedem.***

Ad VI. ***Dilata; et parochus recurrat postquam dederit signa emendationis.***

Ex QUIBUS COLLIGES: I Quasi unanimi consensu ss. canonum interpretes censeri, vi Tridentini ***sess. 14 cap. 1 de ref*** Episcopos posse nedum prohibere ascensum ad ordines, sed etiam suspensionem a susceptis ordinibus decernere ***ex quacumque causa, etiam ob crimen occultum, quomodolibet extraiudicialiter.***

II Hoc firmatum fuisse constanti interpretatione ***cap. 1 sess. 14*** a s. C. Congregatione, declarando nempe parem esse Episcoporum facultatem sive prohibendi ascensum ad Ordines, sive a susceptis ordinibus suspendendi.

III Etsi s. C. Concilii in ***Nullius*** 3 Februarii 1593 résolvent ***caput 1 sess. 14 Tridentini locum habere in prohibitionibus et suspensionibus, tam temporaneis, quam perpetuis,*** tamen ex recentioribus resolutionibus velle videtur ut huiusmodi suspensiones nequeant esse perpetuae.

IV Pariter in citata ***Nullius 3 Februarii 1593*** s. C. Congregationem declarasse: ***temporalem prohibitionem et suspensionem dici eam, ubi ex delicto occulto extraiudicialiter procedit Episcopus; ad suum beneplacitum prohibendo vel suspendendo.***

V. Hinc facili modo deprehendi , quamlibet exulare formae iudicialis necessitatem, quoad suspensionem ab Episcopis infligendam hac auctoritate ***ex quacumque causa, etiam extraiudicialiter,*** quomodocumque haec suspensio accipiatur, seu uti censura, seu uti poena.

VI In concursu criminum publicorum cum occultis, Episcopos posse uti suspensione ex informata conscientia, crimina persequendo occulta, aliis posthabitis: nam satis est ut ex uno crimine probentur censurae, cum unumquodque sufficiens sit ad illas incurrendas.

VIII Iudicialiter esse procedendum ex actuali iurisprudentia, quum omnia delicta sint publica; etsi clausula Tridentini ***quacumque causa*** et ***quomodolibet*** ita lata sit, ut comprehendere videretur etiam delicta publica: nam si haec facultas comprehendit delictum occultum, quod ante Tridentinum puniri nequiverat, eo magis publicum comprehendere posset.

VIII Doctores omnes, ipsamque S. C. Congregationem tenere,

non dari appellationem, neque in suspensivo, neque in devolutivo!, sed tantum recursum ad Apostolicam Sedem, ab Episcopi iudicio, procedentis ad normam capitis ***1 sess. 14. Tridentini.***

IX Eiusmodi recursum, directe habendum ad s. Sedem, cui Episcopus requisitus tenetur suspensionis aperire causas, supplere appellationis defectum : ideoque reo neutiquam intercluditur aditus ad suam sibi defensionem comparandam.

X Durante suspensione, Sacerdo tem, qui sacramenta ministrat, irregulärem fieri; quia ab huiusmodi suspensionibus non datur appellationi locus, saltem in suspensivo.

XI Episcopos non posse absolvere irregularitatem, quando delictum ex quo provenit irregularitas sit publicum; etsi actus ille, quo interveniente, irregularitas incurritur, occultus sit: veluti si sacerdos, publice excommunicatus, vel notorie simoniacus occulte Missam celebret; secus autem si delictum occultum est.

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die 12 Martii et 14 Maii 1881.

COMPENDIUM FACTI. Antonius et Assumpta anno **1870,** quamvis antea cum aliis sponsalia contraxerint, sub pressuris tamen parentum, coram parocho matrimonium ecclesiasticum celebrarunt. Ritu absoluto, unusquisque domum suam petiit; sed tantus moeror in animum incessit sponsae, ut ne "vultum quidem videre sponsi pateretur, et magno studio exinde huius praesentiam declinabat. Verum Antonius militiae causa, sequenti die profectus est, deinde post quadraginta dies domum reversus, sponsam, quae paternos lares numquam reliquit, ad municipalem auctoritatem adducere statuit, ut coniugium civili quoque vinculo communirei ur. Sponsa, quamvis prius noluisset, obiurgationibus tamen Parochi atque parentum , desiderio sponsi indulgere videbatur. Ast coram civili potestate sistens , interrogata utrum vellet in coniugem suum habere Antonium, respondit: ***Nolo.***

Mensibus aliquot transactis, clam a paterna domo abscessit Assumpta ut cum Dominico, cui promissionem de futuro matrimonio iam antea dederat, fugit, et subito cum eo civile matrimonium inivit, cum quo duos filios procreavit. Antonius autem ad Americanas regiones se contulit, ibique aliam uxorem cupiens, hortatu parochi a matrimonio celebrando desistens, donec de antecedenti a Sancta Sede definiretur, supplicationem de dispensatione sui rati matrimonii porrexit.

Archiepiscopus protinus processum instituere coepit atque sub iurisiurandi religione Assumptam eiusque matrem, necnon patrem et ävunculum Antonii audivit, qui omnes de non cohabitatione et inconsummatione matrimonii testati sunt.

Etiam Parochus, qui hos iuvenes matrimonio copulaveverat, ait Ordinarius, deposuit, ceu alii testes, illud matrimonium esse solummodo ratum et non consummatum. Tunc idem Ordinarius iussu S. C. C. processum confecit ; et ad tramites huiusce decreti Antonius penes Curiam Neo-Eboracensem examini suppositus fuit, atque per Curiam I. auditi fuerunt pater, nepos, et soror Assumptae, atque mater Antonii , qui omnes de inconsummatione et non cohabitatione pariter testati sunt.

]&acceptatio synoptiea

VOTUM THEOLOGI. Censuit iste matrimonium, de quo agitur, nullum et irritum fuisse ob defectum consensus. Matrimonium enim solo consensu contrahitur ; et ubi de ipso quaeritur, plena debet securitate gaudere cuius est animus iudicandus, ne per timorem dicat sibi placere quod odit, et sequatur exitus qui de invitis solet nuptiis evenire. Assumpta interius non assentiebat, quamvis voce protulerit se coniugem velle Antonium , quia animus eius ad alium amatorem inclinabat, cui spoponderat antea in matrimonium copulari. Etiam in solemni momento, quo matrimonium erat celebrandum animi mulieris repugnantia patefieri visa est ; nam a parocho in-

terrögata sensibili renitentia tacuit, deinde stimulata respondit. Puella enim simplex, sistens coram Parocho, cuius auctoritatem venerabatur, coram propinquis, testibus, amicis in decimosexto suae aetatis anno, dum omnes eius assensum audire praesumunt, quasi officium ab ea praestandum, quomodo poterat dissensum suum manifestare nisi tacendo? Si tacet nolle videtur; et tacuit. Anceps animus est non quidem de electione, nec de contractu perficiendo, quia contractum respuebat, sed de manifestatione animi. Pudor, metus ipsius animum agitabant, ipsa compellebatur ad affirmative respondendum.

Attamen actus eius subsequentes magis explicant animi dispositionem ; ipsa enim indifferens est cum sponsus militiae causa proficisceretur et absolutam repugnantiam ostendit coram civili auctoritate, quum rata sit matrimonium non posse amplius dissolvi ob civilem sanctionem.

Metus reverentialis in puella fiebat gravior ob minas et verbera patris negaturum ei dotem iurantis. Si metus reverentialis cum minis et alio metu coniunctus matrimonium annullat ex iure, matrimonium in themate nullum omnino dicendum est. Deficientia autem consensus, ex factis et circumstantiis subsequentibus matrimonium, evidenter demonstratur constanter perdurare. Matrimonium vero Assumptae cum Antonio adhuc ratum permanere evincitur, quia nondum intercessit coniugalem commercium, ut probatum est per animi dissensionem ex parte sponsae, per laesum Antonii honorem, per istius emigrationem ad Americanas regiones, atque per matrimonium civile celebratum consummatumque inter Assumptam et Dominicum.

Adesse causas pro dispensatione huius matrimonii rati et non consummati quisquis videt. Et prima harum in metu, quo matrimonium fuit contractum, ponenda est. Nam metus ille qui minus idoneus haberetur ad matrimonii nullitatem declarandam, sufficiens tamen causa dicitur ad dispensationem obtinendam. Adsunt praeterea aversio irresistibilis ex parte mulieris, proles legitimanda ex matrimonio civili nata, et repu-

gnantia Antonii redeundi ad sponsam, qui iam pro dispensatione obtinenda supplicationem porrexit.

VOTUM CANONISTAE. Angelicus Doctor *2 quaest. 104 art. 5* ait: « In his, quae ad naturam corporis pertinent homo homini > obedire non tenetur, sed solum Deo, quia homines natura » sunt pares etc. Unde non tenentur nec servi Dominis, nec » filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo. » Ex quo collegit Consultor, consensum in matrimonio esse debere omnino liberum. Quibus plane consonat ius canonicum in *caus. 27 quaest. 2, 62.* « Sufficiat secundum leges solus eo- > rum consensus ; si in nuptiis forte defuerit, cetera omnia, » etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur. »

Hisce aliisque in iure praehabitis, inquisivit Consultor an matrimonium in casu sit nullum ex defectu consensus. Ex testibus, si fides eisdem habenda sit, ait, innotescit Assumptam tum antea, tum in actu matrimonium contrahendi, nullum aut saltem meticulosum praebuisse consensum, et illam, ex coactione patris in illis instantibus voluntatis libertatem non habuisse. Neque dubium superesse potest si animad ve r-tamus in themate de puella quindecim annorum, suapte natura timida, quae ad matrimonium ineundum, contra suam voluntatem, suasionibus, precibus, minis ac verberibus inducitur ab iis, erga quos metum reverentialem experitur. Perbelle ad rem nostram ait Sperell. decis. 65 n. 67. « Sed » magis est in casu nostro, etiam verbera quae quidem non > erant ad probandum metum necessaria, cum [absque illis » sufficiant minae una cum metu reverentiali, non modo in » femina meticulosa, vel in puero, ut omnes fatentur, sed > et in masculo adulto. »

Insuper defectus liberi consensus, in muliere, argui potest etiam ex his quae matrimonium praecesserunt. Omnes enim testes conveniunt de eius aversione ac reluctantia ab huiusmodi matrimonio contrahendo; de quo etiam sponsorum parentes interrogati fidem faciunt. Haec omnia tamen respiciunt viam iustitiae, sed quum expetatur gratia dispensationis super matrimonio rato, ideo videndum est an matri-

monium fuerit consummatum et an adsint causae iustae et honestae pro obtinenda huiusmodi dispensatione.

Ad probandam inconsummationem, inter ceteras probationes, habentur iuramenta utriusque coniugis, qui uno ore asseruerunt, numquam fuisse consummatum per ipsos matrimonium ex deficientia temporis, et voluntatis mulieris. Adsunt autem iustae causae pro obtinenda dispensatione super hoc matrimonio; inter quas praecipue recensetur metus passus antea et tempore initi matrimonii, aversio ab invicem animorum, vel irreconciliabile odium, uti videre est penes Sánchez de matrim, *lib. 2 disp. 16.* Auctores autumant unam aut alteram ex. his causis sufficere pro hac obtinenda gratia, Ursaya discept. 21 n. 60 ad *72* tom. 3 part. *2*.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS S. VINCULI. Praemonuit defensor acta processus esse irregularia, et oportere ut saltem sanentur, ut deveniri possit ad causam in merito pertractandam. Hisce adnotatis ait: quamvis benigniores canonistae eousque devenerint, ut concedant coniugum assertionem posse dare *vehementem et concludentissimám* probationem, quales canones requirunt, id tamen admittunt si assertio quibusdam favorabilius adminiculis fulciatur, ut illud esset quod coniuges numquam simul cohabitaverint, vel soli fuerint. Ast assertio coniugum de non consummatione concors esse debet undequaque: quod in themate deficit. Nam interrogata mulier an, contracto coniugio, unquam una simul fuerint, respondit: post matrimonii celebrationem, ego cum parentibus ivimus in domum nostram, sponsus domum petiit suam. Sponsus vero interrogatus ait: peracto coniugio omnes sponsae domum petivimus; in qua solemniter celebrata fuit dies illa. Ex hac discrepantia quisquis videt deficere concludentissimám probationem pro dispensatione obtinenda super matrimonio rato. Adde etiam ex hac mora domi sponsae, enasci vehementem suspicionem, quod fortasse inter se convenerint sponsi. Et ideo superfluum videtur inquirere de causis, quum in iure proclamatum sit quod, consummationis matrimonii *possibilitate*

et *praesumptione obsistente,* deneganda est dispensatio S.C.C. *Thien. Matrim.* ***16*** *Decem.* ***1791.***

Quibus adductis, iudicio EE. PP. resolvendum propositum fuit

Ilubium

An sit consulendum SSmo pro dispensatione matrimonii rati et non consummati in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congr. Concilii, re cognita, sub die **12** Martii **1881** censuit respondere:

Affirmative praevia sanatione actorum ad cautelam **(1).**

Sub die **14** Maii **1881** quaestio haec reproposita fuit sub dubio « *An sit standum* vel *recedendum a decisis in casu* » et responsum fuit: « *In decisis* ».

(1) Confer, pro deductionibus de more Vol. XII pag. 629.

--v\A/\AArvv--

MATRIMONII

Die i4 Maii Í88Í

COMPENDIUM FACTI. Studio et opera Iosephi fratris nuptiae conciliatae fuerunt inter Antoniam Dioecesis D. et Antoninum loci Burgii Dioeceseos A. Huiusmodi nuptiae, praevia una tantum denunciatione, coram Sacerdote a Vicario Generali delegato, celebratae fuerunt in privata urbis P. domo, ubi paucis antea diebus Antonia una cum fratre Iosepho sese receperat.

Triduo a caeremoniis expletis, sponsi Burgium, parentes invisendi causa, petierunt, et inibi per plures menses com-

morati sunt, donec alio digressi, ad civitatem P. tandem denuo perrexerunt. Per quinque circiter annos coniuges, una cum geminis filiabus quas ex tali matrimonio susceperant, in eadem vitae consuetudine pacifice permanserunt, donec oborta inter ipsos discordia, mense Maio 1855 vir uxori suae valedixit, Burgium repetens.

Mulier anno 1861, oblato libello, Archiepiscopum P. adivit efflagitans ut matrimonium, ob clandestinitatis vitium, nullum atque irritum renunciaretur, ex eo quod parochus, coram quo celebratum fuerat, nullius proprius parochus erat.

Oblatus libellus etsi ab Archiepiscopo P. illico exceptus fuisset ; tabulae tamen processuales, ob politicas perturbationes quae totam insulam commoverunt, nonnisi anno 1878 incoeptae fuerunt ; quibus rite expletis, atque rationum momentis, ab utraque parte deductis, aequa lance libratis, tandem sub die 10 Iulii anni 1879 sententia pro matrimonii validitate prodiit. Huic sed vero Curiae iudicio mulier haud acquievit; quinimo, nulla interiecta mora, ad sacratissimum Principem con volavit, petens ut, *omisso medio** causa apud S. C. C. disceptaretur.

De huiusmodi libello habita, uti mos est, Ordinarii informatione, S. C. C. sub die 23 Augusti 1879 rescribere duxit *Relatum.* Quo peracto, causa, iuris ordine servato, penes Curiam C. ad tramites Constitutionis *Multis gravissimis* a fel. mem. Pio IX editae, agitata fuit, quae die 15 Aprilis 1880 mulieris petitionem reiiciens, sententiam Curiae P. confirmavit. Duplici hac sententia mulier victa, sed non fracta ad S. C. C. appellationem interposuit, ut causa in tertia iudicii sede pertractaretur.

Mox vinculi defensor ex officio instetit ut de hac caussa disceptari amplius non posse declararetur, obsistente re iudicata, ex duplici sententia conformi suborta. Quod utut ad notitiam pervenit defensoris Antoniae, illico obiectionem oppositam reiicere conatus est, altero exhibito supplici libello, in quo etiam restitutionem in integrum, quatenus opus esset, expetebat.

Disceptatio Syiaoptiea

DEFENSIO MULIERIS. De exceptione rei iudicatae praeprimis disserens mulieris defensor, recolit cum Gelasio in epistola 7 ad Episcopum Dardaniae missa anno 495, Sedem Apostolicam ius habere cognoscendi, et iudicandi quascumque ecclesiasticas caussas, quae in universo orbe geruntur, ad quam appellatio valet subinde deferri. Dignum imo et rationi valde consentaneum esse ducit cum Benedicto XIV in epistola ad Archiepiscopum Groanum data, graves et difficiles quaestiones examini Apostolicae Sedis subiiciendas esse. Quod maxime tenendum, subdit, de caussis matrimonialibus, quae iuxta Constitutionem *Dei miseratione,* ob cuiuscumque temporis lapsum, numquam in rem iudicatam abeunt, quaeque secundo et tertio apud s. Sedem ad trutinam revocari possunt ex *cit. Constit.* § *16 et Gloss, in cap. Ex litteris* ***4*** *De in inte g. restii.*

Neque regeras Benedictum XIV in sua Constitutione loqui de sententia conformi matrimonii nullitatem, minime vero eiusdem validitatem declarante. Quandoquidem reponit 1. Romanum Pontificem haud in re tanti momenti distinguere, proindeque alteri distinctionem hanc ponere non licere ; 2. hanc distinctionem prorsus evanescere post Apostolicas Litteras Pii Papae IX. S. M. *Multis gravissimis* diei 28 Ianuarii 1864, in quibus abolito tribunali, quod in Sicilia vocabant *Regia Legazia,* apertis verbis docet modum caussas in posterum cognoscendi, atque statuit in § 6: « Quaecumque pars a secunda sententia Metropolitani.... grava-
« tam se. sentiat_____ad Romanum Pontificem, pro tempore
« existentem, poterit appellare, ut causa in Romana Curia
« ad formam iuris absolvatur. »

In absurda at vero hypothesi, qua res iudicata statui velit, haud tamen, sustinet, remedium restitutionis in integrum denegandum esse, prouti in secundo dubio proponitur. Agitur namque de muliere nullitatem matrimonii expetente, et mulieribus quae minoribus comparantur, quaeque iura igno-

rant, huiusmodi remedio iugiter succurrendum esse evincit auctoritate *Molin. disp. 574* Sess. lib. 2. cap. 17 de Contract, in gen. dub. 9 et IO n. 67* idque ob maximam qua laborant animi infirmitatem, quam ipse Innocentius III in *recit. cap. Eoo litteris* perpendens supplicationem cuiusdam mulieris admisisse, et audientiam restituisse, licet de fraude taliter perpetrata satis non constaret. Verumtamen praetermissis fraudibus , quibus sua clientula subiecta fuit, haud tamen denegandum tuetur novae auditionis beneficium propter manifestam sententiarum nullitatem, quam in tertio dubio demonstrare conatur.

Hoc igitur ut conficiat meminit ex Tridentinae Synodi dispositione in *sess. 24 cap. 1 de Reform. Matr.* nulla et irrita diiudicanda esse matrimonia, quae coram duobus testibus et Parocho proprio minime contrahuntur, atque matrimonia taliter contracta ex quolibet temporis spatio non revalidan, nisi rursus adhibita conciliari forma *Scavini theol, mor. de Sacr. Matr. n. 878 q. 2* Sánchez de Matr. lib. 3. de disp. 19* Schmalz. Ius Canon. lib. 4 tom. 3 n. 134* Reiff, in lib. 4 decret, cap. 3 n. 55* Bened. XIV in Syn. Dioec. lib. 13 cap. 23 in Constit. Redditae nobis* Paucis abhinc annis* et in epist, ad Archiep. Ooan.* Ad huiusmodi vero effectum, proprium Parochum illum dici in cuius parochia alter ex sponsis domicilium, vel quasi domicilium obtinet.

Domicilium porro aliquo in loco contrahi, ait, facto habitationis cum animo ibi perpetuo manendi, quasi domicilium vero acquiritur facto habitationis cum animo inibi commorandi per maiorem anni partem *Reiff, ius can. un. lib. 2. tit. 2. % 2. n. 17;* et quoniam hunc animum nec Antonia, nec Antoninus habuit, quin imo neque praesto sit factum longae habitationis ex ipsorum vel alterutrius parte, hinc invalidum fuisse eorumdem connubium. Licet igitur subdit ex dispositione legis canonicae valeat filius domicilium vel quasi a patre diversum sibi eligere, denegari tamen non posse autumat, quod usque dum ab adversario evidentissime non probetur contrahentes in civitate P. domicilium vel quasi

domicilium posuisse, hoc penes respectivos parentes tunc temporis retineri.

Sed neque validitatem matrimonii protueri posse, subdit, ex quasi domicilio, quod sponsos minime eo tempore acquisivisse conatur evincere. Quandoquidem teste Benedicto XIV in *cit. Constit. Paucis* et *epist,* ad Archiepiscopum G-oanum, ut quasi domicilium acquisitum, dici possit, ad effectum valide aliquo in loco matrimonium contrahendi, necesse est « quod < antequam matrimonium contrahatur, spatio saltem unius « mensis, ille qui contrahit habitaverit in loco ubi matrimo- « nium celebratur.» Nil mirum subinde subdit si S. C. O. non semel neque bis matrimonii nullitatem clamavit, ex defectu longae morae aliquo in loco quae ostenderet contrahentes inibi domicilium vel quasi figere voluisse, ceu S. C. C. praecipue ostendit in *Mechlinien. 4 Maii, 20 Iulii, 14 Septembris 1878* (1) in qua matrimonii nullitatem declaravit ex defectu morae unius mensis continui in Londinensi civitate a coniugibus protractae. Quum itaque Bened. XIV constituisset habitationem habendam triginta dierum *antequam matrimonium contrahatur ;* cumque septem tantum dies coniunctim, ante et post matrimonium, sponsi commorati sint in civitate P. contendit Orator etiam figmentum quasi domicilii in tenues auras abire, proindeque pro matrimonii nullitate concludendum.

Neque oggeras, pergit Orator, Antoniam et Antoninum quasi domicilium habuisse in Civitate P. eo quia illa educanda fuit in monasterio Vallis Viridis, hic vero in Universitate studiis operam dabat. Siquidem Antonia monasterium deseruit ut patrios peteret lares die 25 Iunii 1849, fidem faciente ipsa monasterii Priorissa, atque animo illuc minime revertendi. Idem dicendum pergit de Antonino, qui nedum pericula in Universitate subiit, nedum accademicos gradus consecutus est ; ita ut potius recreationis causa in Civitate P. degisse dicendus sit. Ex quibus et ex facto quod nuptias conciliare percupiebat Antoninus,, manifesto pariter erumpere

(1) Confer hanc quaestionem Vol. Xl pag. 542.

tenet et ipsum aestivo tempore anni 1849 civitatem P. deseruisse quin cogitaret ad studia reverti.

In iure autem pronum esse dicit, discedentem a civitate amittere incolatum quamvis de novo veniat ad habitandum; *quia si de novo quis revertitur ad habitandum* non consideratur amplius primus incolatus* qui per discessum est in totum exstinctus: Gratian. Discept, for. c. 592'num. 16* Alex. cons. 43 num. 5 L 5.* Cum igitur tam Antonia, quam Antoninus, si educationis caussa quasi domicilium habuissent, illud per reditum in patriam amiserunt, cumque primus incolatus extinctus manserit ita, ut anteactum tempus cum posteriori, quando nempe illuc perrexerunt ad matrimonium contrahendum, coniungi non valeat ad amborum vel alterurutrius quasi domicilium constituendum, in aprico esse colligit, initum connubium nullum diiudicandum esse. Eo vel magis quia, eo inito, tres post dies sponsi convolarunt Burgium, ex quo maxime ostenditur defuisse etiam animum novum acquirendi domicilium vel quasi: elementare enim in iure est ex repentino discessu post matrimonium, contrariam ostendi adfuisse in contrahentibus voluntatem *Bened. XIV in Notif. 13 tom. 2 num. S et 9* Natal. Alex, theol, dogm. moral, lib. 2 De Sacr. matrim, cap. 2 art. 2.*

Inutiliter demum obiici posse, dimicat, sponsos coniunctos esse a Presbytero delegato aVicario Generali civitatis P. namque nomine Ordinarii in sensu Concilii Tridentini intelligitur Episcopus Dioecesanus, aut eiusdem Vicarius Generalis, non autem Episcopus alienae Dioecesis *Le ss. de lust. et iur. lib. 4 cap. 2* De ieiun. dub. 7 n. 46.* Sed neuter ex contrahentibus spectabat ad Dioecesim P. Concludendum ergo inquit, neque hoc sub respectu validitatem controversi matrimonii adstrui posse, ideoque Curiae C. sententiam a S. C. C. infirmandam esse.

DEFENSIO SACRI VINCULI. E contra vinculi matrimonii defensor primum suae orationis caput aggrediens, evincere studuit in themate non esse locum appellationi, ex eo quod, cum controversia sententiis conformibus dirempta fuerit, in rem

iudicatam transierit ; idque deducendum esse autumat ex § 304, 326 praxeos Codicis Gregoriani, cui in praesentiarum adhaerendum esse edisserit, et a quo ad tertiam iudicii sedem appellationis beneficium eo tantum casu admittitur, quo primi et secundi gradus sententiae difformes fuerint. Ad normam huius codicis nunc pertractantur causae apud Ecclesiastica Tribunalia et ss. Congregationes.

S. Gelasii -vero decretum ab adversario obiectum, ita intelligendum esse ait, ut s. Sedes ius quidem habeat ad appellationes ex toto orbe excipiendas, si fidelium bonum id exigit, quin tamen necessarium sit ad s. Sedem recurrere, si apud Episcoporum Tribunalia causa rite iudicata sit et duplici conformi iudicio dirempta. Si aliter res foret, id absurdi contingeret ut sententia ab Ordinariorum Tribunalibus prolata, nunquam expediri posset, quod falsum defensor propugnat, cum constet, Episcopos, post duas sententias conformes contra matrimonii validitatem in duabus iudicii sedibus prolatas, sponsis ad alias nuptias contrahendas potestatem facere posse.

Neque in maiori pretio habendam esse autumat difficultatem ex Benedictina Constitutione *Dei Miseratione* desumptam, quod nempe sententiae matrimoniales numquam in rem iudicatam abeunt. Quandoquidem in aprico esse edisserit huiusmodi Constitutionem de iis tantum sententiis agere quae matrimonii nullitatem, non vero de iis quae eiusdem insolubilitatem proclamant (1).

Verumtamen dato etiam quod iuxta Benedict. XIV in loco citato, appellatio ad s. Sedem interponi queat, etiam cum agitur de duplici conformi sententia matrimonii validitatem declarante ; propugnat tamen huiusmodi appellationem eo tantum casu locum habere, quo aliqua adsit legitima et iusta causa, quae eam reclamet. Nihilominus veram appellationem haud esse contendit, sed potius restitutionem in in-

(1) Matrimonium indissolubile esse debet, hinc si accidit ut solubile declaratum fuerit hominum sententia, optimum visum est, ex privilegio, ut quaestio iterum iterumque trutinae subiiciatur, etiam post duas conformes sententias , pro nullitate tamen matrimonii latas.

tegrum, ceu videre est in *Limana Matrimonii* diei 1 Septembris 1868.

Tandem relate ad Literas Apostolicas, *Multis gravissimis** a fel. mem. Pio IX die 28 Ian. 1864 pro Siculis, abolito tribunali vulgo *Regia Legazia* editas, animadvertit nihil a laudato Pontifice praescriptum fuisse quod iuri communi adversatur, ideoque ipsius verba iuxta regulam generalem esse accipienda, quae a sententiis tantum difformibus appellationem admittit. Quo vero ad causas matrimoniales sustinet Pontificis mentem fuisse ut eae ad tramitem Benedictinae Constitutionis pertractarentur, ex idque ipsis Literis Apostolicis luculenter patere. (1)

Post haec matrimonii defensor ad secundum suae allegationis caput descendit, ac praemisso restitutionem in integrum esse legis beneficium quod conceditur ut fraudibus et erroribus succurratur, quae in contractibus vel iudiciis intervenire possunt, concludit huiusmodi legis beneficium Oratrici denegari oportere, ex eo quod in themate nulla fraus, nullusque error intervenerit, cui succurrendum sit.

Pressius autem ad quaestionem nostram deveniens animadvertit causas matrimoniales, quae iam in rem iudicatam transierunt, tunc solum resumi posse et rursus in iudicialem controversiam revocari, quando ad tramites Benedictinae Constitutionis *Dei miseratione* § *11 nova res quae non deducta, vel ignorata fuerit* detegatur.* Hisce in iure praeiactis, ex facto constare urget, nullum documentum in praesentiarum afferri quod ignoratum fuerit, vel non deductum: nullum argumentum adduci ex quo pateat in primis iudicii sedibus huiusmodi documenta posthabita, vel leges canonicas pessumdata fuisse. Imo edisserit omnia rite iuxta canonicas praescriptiones peracta fuisse, ideoque mulieris preces pro impetranda in integrum restitutione porrectas, reiiciendas esse.

Tandem tertium dubium aggrediens Sacramenti Vindex pro fundamento decernit, ad matrimonium rite ineundum sufficere quasi domicilium, eoque esse capaces filios familias, et

(1) Habes has Litteras Vol. III. p. 177.

haud requiri ut sint aetate maiores. Nec ad stabiliendum quasi domicilium esse utendum regulis ex civili iure desumptis, sed sacrorum canonum decreta prae oculis habenda : *unius enim Ecclesiae est leges constituere quae vim matrimonii respiciunt,* ut docet Devoti Instit. Can. Tom. 2. Quaerens deinde requisita ad quasi domicilium constituendum affert verba Pignatelli *Tom. 5 cap. 79. Consilia* - ibi - *Ad contrahendum domicilium idest quasi, non solum exigitur factum seu accessio ad locum, sed etiam animus permanendi.* Hinc concludit in propatulo esse aequivocationem materialis morae, et proprie dictae habitationis.

Recolit tandem Constitutionem *Bened. XIV. Paucis ab hinc diebus,* in qua statuitur tempus unius mensis, animadvertens eos errare qui verba Pontificis ita interpretantur, quasi sola habitatio per mensem absque animo inhabitandi, ad acquirendum quasi domicilium sufficiat, materialiter sumpta mora ; perpendit enim ibi Pontificem tantum loqui de casibus in quibus aliunde constare nequit de animo commorantium, ideoque tempus habitationis esse tamquam adminiculum, quo possit animus agnosci. Quae cum ita sint , prosequitur huiusmodi terminum esse designatum ad praesumptionem faciendam, ita ut si de animo aliunde innotescat ah eo mense praescindatur (1). His in iure praestitutis, demonstrare studet Antoniam in civitatem P. venisse, ibique nuptias iniisse cum animo permanendi, ceu plures autumant testes : proinde quasi domicilii iure potitam esse, et valide nupsisse.

Verum licet non constaret de huiusmodi animo, adhuc tamen, cum nihil ex adverso adducatur, quo contrarium probetur, acquisivisse quasi domicilium dici posse contendit ex eo quod ante matrimonium morata fuit temporis spatio, a Bened. XIV statuto, ad praesumptionem pro domicilio in dubio inducendam. Nam certum est illud fuisse celebratum die 25 Octobris 1849; et constat sponsam civitatem P. petiisse

(1) Confer Vol. XI pag. 567 quoad doctrinam de domicilio vel quasi domicilio pro matrimonii validitate.

die 30 Septembris; hinc spatio 25 vel 26 dierum ante nuptias ibi permansisse in comperto est. Hoc evinci nedum ex assertione sponsae, sed etiam ex testimonio Officialis sanitatis portus civitatis huius, exhibentis inter viatores maritimos sub die 30 Sept. etiam Antoniam. Admisso itaque quod Antonia per lapsum 25, vel 26 dierum in civitate P. ante nuptias morata sit, de ipsius quasi domicilio ibi acquisito nullatenus ambigi posse censet, ex eo quod mensis de quo loquitur Pontifex non taxative est accipiendus.

Quapropter ex simplici sponsorum post nuptias discessu vanum esse edisserit argumentare, ipsos haud habuisse animum in loco manendi, ubi nuptias contraxerunt (1). Aliquando enim contingere potest ut urgente aliqua inopinata causa discedere debuerint, etsi animus manendi in loco celebrati matrimonii ipsis haud abfuerit. Causam autem discessus in themate adfuisse, nempe officia pietatis et reverentiae quibus sponsus de vinciebatur erga parentes, quorum aliquis longissima iam afflictabatur infirmitate, et a quo idem sponsus dimidium sui patrimonii obtinuit. Cum igitur de legitimae causae discessus existentia ambigi nequeat, sua sponte fluere tenet, hunc nullum suppeditare argumentum ad excludendum animum in civitate P. uti in proprio domicilio commorandi.

Post haec gradum faciens ad domicilium vel quasi domicilium Antonini propugnat certo certius de eo constare, illudque pro matrimonio sufficere : cum exploratum in iure sit validum haberi matrimonium in loco celebratum, in quo alter ex coniugibus domicilium vel quasi domicilium acquisierat. Ut autem evincat Antoninum domicilium habuisse in civitate P. animadvertit, omnes quasi domicilium tribuere scholasticis, medicis, iudicibus, educandis aliisque qui non per transitum, sed per maiorem partem anni alicubi

(1) Benedictus XIV in Constit. *Paucis al hinc* nihil constituit quoad moram faciendam post matrimonium pro quasi domicilio. Ideo moram hanc habendam esse"ceu adminiculum censet Fagnanus, ad animum cognoscendum, non ad quasi domicilium adipiscendum.

inhabitant. Imo communiter receptum esse ait, sufficere habitationem per aliquam notabilem partem anni, causa alicuius officii. Ita Benedictus XIV Notifie. 15, 32, 83; quem sequuntur s. Alphonsus *lib. 1 n. 156; lib. Il n. 115,* Currier, Bouvier, Vecchiotti, Scavini *lib. 3 Tract. 11 Disp.* ***3*** *Cap.* ***1.*** Hoc statuto iure ambigi non posse urget, Antoninum uti scholasticum, ac uti negociorum familiae gestorem eius patre annuente et adprobante, non per unum vel alterum annum, sed ab anno 1837 usque ad annum 1849 et ultra in civitate P. commoratum esse. Adeo ut si quotannis discesserit ad invisendas parentes, semper redeundi animum habuerit, et tam brevi tempore, ut nonnisi ad rusticandum in patriam perrexisse dicendum sit.

Nam Antoninus, praeter studiorum causam, degebat in civitate P. ut patris negociis gerendis vacaret ; ubi ob sua privata desideria commorari elegerat. Eius tandem desiderium inibi figendi domicilium ab eius patre confirmatum fuit ob eam causam, ut scilicet per domicilium in magna civitate augere familiae nomen, eamque illustrium familiarum societate nobilitare valeret ; cum aliunde divitiis abundaret. Hanc autem causam satis superque esse contendit; ut argui possit Antoninum animum habuisse domicilium sibi acquirendi in civitate P.

Denique obiectioni a Gratiano mutuatae , quod nempe qualecumque domicilium per discessum in patriam amittitur, respondet animadvertens illam regulam contra illos valere qui discedunt animo relinquendi civitatem , non vero contra eos qui fovent animum redeundi, ad exemplum Antonini, qui quoties * apud patrem se conferebat, remeandi civitatem P. in animo iugiter habebat. Idque eo vel magis, quia raro id eveniebat, tempore aestivo, et per tam breve tempus ut pergere ad rusticationem videretur. Id autem semper fecisse animo redeundi colligi etiam potest ex eo quod in civitate P. habuerit conductam domum. Animadvertit tandem hoc etiam evenisse anno 1849 et affert actum locationis et conductionis apud tabellionem existentem , ex quo apparet

huiusmodi contractum, a mense Augusto **1849** ad mensem Augustum **1850** initum fuisse.

Hisce habitis, concludit argumenta allata pro quasi domicilii existentia, ad matrimonii validitatem requisiti, tot tantaque esse ut de ea in themate nullo modo ambigi queat. Hinc remissum fuit EE. PP. prudentiae et doctrinae sequentia dirimere

Dubia.

I. An sit locus Appellationis in casu.

Et quatenus negative.

II. An sit locus restitutioni in integrum in casu.

III. An sententia Curiae C. sit confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. **O.** re cognita sub die **14** Maii **1881,** respondere censuit:

Ad I. Negative.

Ad II. Negative.

Ad III. Provisum in praecedentibus.

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Matrimoniales sententias, etiamsi duo sint conformes pro nullitate matrimonii, numquam abire in rem iudicatum, ex privilegio causis matrimonialibus indulto , quia matrimonia indissolubilia esse debent.

II. Ex *Constit. Dei miseratione* §. *11.* sententias favore matrimonii latas, quae iam in rem iudicatam transierint, tunc in iudicialem controversiam revocari posse, cum nova res, quae non deducta vel ignorata fuerit, detegatur.

III. Cum restitutio *in. integrum* sit beneficium, a lege concessum ad praecavendas fraudes et errores in iudiciis et contractibus, ideo concedi non solere nisi evictâ reiiudi-

catae iniustitia, ex iudicio falsis documentis innixo, vel ex posthabita et palam proculcata lege.

IV. Ad matrimonium valide ineundum sufficere quasi domicilium; pro quo stabiliendo non leges civiles, sed sacri canones prae oculis habendi sunt: eoquod unius Ecclesiae est leges constituere, quae vim matrimonii respiciunt.

V. Matrimonium valide contrahi coram proprio Parocho, qui talis fit per domicilium vel quasi domicilium.

VI. Ad quasi domicilium, matrimonii causa acquirendum, duo simul requiri, actualem nempe habitationem in paroecia, et animum habitationem illam continuandi per maiorem anni partem.

VII. In casibus tamen dubiis, quando nempe satis non constet de voluntate permanendi per maiorem anni partem, praesumptionibus esse utendum.

VIII. Praesumptionem satis firmam esse ad iudicandum de voluntate permanendi . . . *si ille qui contrahit, spatio saltem unius mensis, antequam matrimonium contrahatur, habitaverit in loco ubi matrimonium ipsum celebratur.*

IX. In themate videri haud defuisse quasi domicilium, duasque favore validitatis matrimonii sententias prolatas fuisse in primis iudicii sedibus iuxta canonicas praescriptiones; ita ut rite transierint in rem iudicatam, contra quam ideo a s. C. Congregatione haud concessa fuit neque appellatio neque *restitutio in integrum.*

MISSAE PRO POPULO

Die 9 Aprilis 1881

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Antistes **C.** supplici oblato libello die **13** Novembris elapsi anni **S. C. C.** exposuit: in Ecclesiis parochialibus suae Dioecesis, diebus festis, a Parocho, vel Vice-parocho vel etiam ab alio sacerdote, Missam parochia-

lem nuncupatam solemniter cum cantu celebrari et inter Missarum solemnia fieri quoque ss. Evangelii explanationem. Fideles porro firmiter putantes, illam semper pro ipsis applicari, ad eam audiendam libenter confluunt. At pro populo applicatur nonnisi dum illam Parochus canit, qui pluribus distentus curis frequenter cogitur huiusmodi munus alteri sacerdoti demandare. Hinc Episcopus optans, fideles in hac erronea persuasione diutius haud versari, ac simul advertens, quod si id pernoscerent aegre ferrent, et non amplius tam diligenter ad illam Missam audiendam accederent, a S. O. O. quaerit 1. *Utrum praedicta urgens consuetudo sit habenda tamquam causa canonica sufficiens, ut Parochus alii committat Missam pro populo loco ipsius celebrandam. 2- Posito* quod non sit causa sufficiens* ut pro gratia nihilominus concedatur facultas.*

Disceptatio synoptiea

Certum et extra dubitationis aleam positum esse videtur Parochos ad applicationem Missae pro suis fidelibus divino iure teneri. Hoc enim expresse traditur a Tridentino Concilio in *Sess. 23 cap. 1 de Reform.* - ibi - « Cum praece-
« pto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura
< commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium of-
« ferre etc. ». Quod autem Concilii verba ad dominicos aliosque festivos dies sint referenda, manifesto erumpit ex innumeris S. C. C. declarationibus, et praesertim in *Pistorien.* et *Praten. 24 Febr. 1699;* quam suis Apostolicis Litteris *Nupera Congregatione* diei *24* Aprilis 1699 Innoc. XII plene confirmavit, nec non ex Constitutione *Cum semper* Benedicti XIV diei 14 Aug. 1774, atque Encyclicis litteris *Amantissimi* Pii IX s. m. diei 3 Maii 1858.

Huiusmodi porro obligationem qua Parochi devinciuntur, personalem esse, una veluti echo Canonistae et Theologi tradunt. Inter ceteros audiatur Pitonius, qui in *Pise. Eccles. 142 num. 15* ait « Omnes dies Dominicos et festivos per

« hebdomadam... tenetur Parochus celebrare per seipsum, « nisi ex iusta causa impeditus reperiatur » et inferius *n. 17* subdit: «quod ista celebratio Missae parochialis, sit adim- « plenda per Parochum personaliter, probat non solum regula « generalis, quod Parochi tenentur per seipsos, non autem « per substitutos adimplere omnia munera parochialia, ut « tradit *Fagnanus* in *cap. Extirpandae §. Qui vero n. 4* « *de Praeb,* et S. **C.** C. in Mechlinien. 25 Septembris 1847».

Quibus hucusque dictis serio expensis atque ponderatis, videretur, nedum quod dicta consuetudo ratio sufficiens non sit alteri committendi applicationem Missae pro populo, verum etiam nec causa rationabilis indulgendae in proposito gratiae, et tam sanctum ac rationabilem canonum rigorem relaxandi. Quin aliquid valeat quod in contrarium adducitur, pia nempe fidelium credulitas ac timor desistendi ab illa Missa audienda, si id ipsi pernoscerent. Quandoquidem leves ob hasce caussas neque excusandus videretur Parochus a satisfaciendo onere, quod eidem personaliter incumbit, neque relaxanda lex, quam iugiter sancta haec Apostolica Sedes servatam voluit. Praeterquamquod si fideles doceantur nihil ab ipsis amitti, si Missa privatim a Parocho celebretur, atque non leve bonum eisdem obvenire adsistendo Missae cum cantu, atque explanationi verbi Dei, oppositus timor in vanum timorem refundi videretur.

E contra perpendas quod licet Parochorum obligatio Missae sacrificium pro populo applicandi, ex divino praecepto manare videatur, tamen certum et indubium est Parochos, si legitime fuerint impediti, posse huic oneri per alios satisfacere, quemadmodum docent resolutiones editae in *Viterbien.* ***3*** *Martii 1708 ad 2 dub., Comen. 2 Maii 1720, Policastren. Dubia super Applicatione Missae Parochialis 14 Decembris 1872 ad 3 Dub.,* et S. C.-de Propaganda Fide diei *14 Martii 1843.* Quod a fortiori tenendum videretur si de animarum bono prout in themate ageretur ; praetermisso namque quod fideles in falsa persuasione manerent, illud timendum quod si hoc rescirent, iidem celebrationi huius Mis-

sae, et Evangelii explicationi interesse désistèrent, cum ad id vehementer impellantur, ut refert Episcopus, unice ex eo, quod existiment illam Missam pro ipsis perlitari.

In hypothesi autem quod adductae causae sufficientes minime reputarentur ad committendam alteri sacri applicationem pro populo, EE. PP. decernere remissum fuit num casus sit id per gratiam concedendi, ceu perhumiliter ipse expostulavit Praesul C.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii sub die **9** Aprilis **1881** respondit :

Ad I. *Negative.*
Ad II. *Non expedire.*

Ex **QUIBUS COLLIGES :**

I. Missae applicationem pro populo ita esse personalem, ut S. C. C. saepe damnaverit ceu a iure abnormem, consuetudinem huic oneri per alium satisfaciendi.

II. Nam ex Tridentino praecipitur omnibus, quibus cura animarum commissa est, non aliis, oves suas cognoscere et pro his sacrificium offerre, nisi fuerint legitime impediti.

III. Ideo, data occasione, resolvit S. C. C. cogendus esse huiusmodi rectores animarum ad subeundum per seipsos et non per alios omnia munia parochialia, quibus praecipue accensetur Missa pro populo.

IV. Adiuncta in themate talia fuisse, quae iudicio EE .PP. causam non constituerunt iustam, ut parochi sequi possent adimplere per alios onus sibi personaliter impositum, iuxta generalem, regulam.

EX SACRA RITUUM CONGREGATIONE

DECRETUM

Augustana in Pedemonte confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti servo Dei Emerico de Quart episcopo Augustensi, Beato nuncupato.

Instantibus Reverendissimo Episcopo Augustensi, utroque eiusdem Dioeceseos Clero, ac Municipali Coetu *de Quart,* nec non Reverendissimo Episcopo Eporediensi, quum Emus et Rmus Dominus Cardinalis Aloisius Oreglia a Sancto Stephano, supradictae Causae Ponens , in Ordinariis sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis, sequens Dubium proposuerit: *An sententia lata a Reverendissimo Episcopo Augustensi super cultu, ab immemorabili tempore praestito praefato servo Dei, seu super casu excepto a Decretis sa. me. Urbani Papae VIII, sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur f* Emi et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati, sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Affirmative, seu sententiam esse confirmandam.* Die 12 Iulii 1881.

Quibus per Rñium Dominum Augustinum Caprara, sacrorum Rituum Congregationis Assessorem, Sanctissimo Domino Nostro LEONI PAPAE XIII fideliter relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habere ac confirmare dignata est die 14 iisdem Mense et Anno.

D. CARD. BARTOLINIITS S. ***R.*** C. **PRAEFECTUS.**

Loco *ffi* Signi

Placidus Ratti S. R. C. *Secretarius*

LITTERA ENCYCLICA

qua R. Pontifex exhortât Episcopos Italiae ut satagant ne Fides Catholica diripiatur, praecipue fovendo societates catholicas, instituendo ministros Dei idoneos virtute et scientia, maximeque prospiciendo Seminariis clericorum.

••ix *>•

VENERABILIBUS FRATRIBUS
ARCHIEP. ET EPISCOPIS ALIISQUE LOCORUM
ORDINARIIS IN REGIONE ITALICA

LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES

Salutem et Apostolicam Benedictionem

Etsi Nos, pro auctoritate atque amplitudine Apostolici muneris, et universam christianam rempublicam et singulas eius partes maxima, qua possumus, vigilantia et caritate complectimur : nunc tamen singulari quadam ratione curas cogitationesque Nostras ad se Italia convertit. - Quibus in cogitationibus et curis altius quiddam rebus humanis diviniusque suspicimus : anxii enim et solliciti sumus de salute animarum sempiterna ; in qua tanto magis fixa et locata esse omnia studia Nostra oportet, quanto eam maioribus periculis videmus oppositam. - Cuius generis pericula, si magna unquam in Italia fuerunt, maxima profecto sunt hoc tempore, cum ipse rerum publicarum status magnopere sit incoluminati religionis calamitosus. Eamque ob caussam Nos movemur vehementius, quod singulares coniunctioni necessitudines Nobis cum Italia intercedunt, in qua Deus domicilium Vicarii sui, magisterium veritatis, et catholicae unitatis centrum collocavit. - Alias quidem 'multitudinem monuimus, ut sibi caveret, et singuli intelligerent, quae sua sint in tantis offensionum caussis officia. Nihilominus, ingravescentibus malis volumus in ea Vos, Venerabiles Fratres, mentem diligentius intendere, et, communium rerum inclinatione perspecta, munire vigilantius populorum animos, omnibusque praesidiis firmare, ne thesaurus omnium pretiosissimus, fides catholica diripiatur.

Perniciosissima hominum secta, cuius auctores et principes non celant neque dissimulant quid velint, in Italia iamdiu consedit : denuciatisque Iesu Christo inimicitiis, despoliare penitus institutis christianis multitudinem contendit. - Quantum audendo processerit, nihil attinet dicere hoc loco, praesertim cum extent Vobis, Venerabiles Fratres, ante oculos vel fidei vel moribus illatae iam labes et ruinae. - Apud italas gentes, quae in avita religione constanter et fideliter omni tempore permanserunt, imminuta nunc passim Ecclesiae libertas est, atque acrius in dies hoc agitur, ut ex omnibus publice institutis forma illa et veluti character christianus deleatur, quo semper fuit Italorum non sine caussa nobilitatum genus. Sublata sodalium religiosorum collegia : proscripta Ecclesiae bona : rata citra ritus catholicos connubia; in institutione iuventutis nullae potestati ecclesiasticae partes relictae. - Neque finis est nec modus ullus acerbi et luctuosi belli cum Apostolica Sede suscepti , cuius caussa incredibiliter Ecclesia laborat, Romanusque Pontifex in summas angustias compulsus est. Is enim civili principatu spoliatus necesse fuit ut in alienam ditionem potestatemque concederet. - Urbs autem Roma, augustissima urbium christianarum, exposita est et patet quibuslibet Ecclesiae hostibus, profanaque rerum novitate polluitur, scholis et templis ritu haeretico passim dedicatis. Quin immo exceptura fertur hoc ipso anno legatos et capita inimicissimae rerum catholicarum sectae, huc ad singulare quoddam concilium coetumque protecturos. Quibus quidem huius deligendi loci satis apparet quae caussa fuerit ; videlicet conceptum adversus Ecclesiam odium explere procaci iniuria volunt, Romanoque Pontificatu in ipsa sede sua lacessendo, funestas belli faces proxime admovere. - Dubitandum profecto non est, quin impios hominum conatus Ecclesia aliquando victrix effugiat : certum tamen exploratumque est, his artibus eos hoc assequi velle, una cum Capite totum Ecclesiae corpus afficere et religionem, si fieri possit, extinguere.

Quod sane velle eos, qui se italici nominis amantissimus profitentur, incredibile videretur : nam italicum nomen, intereunte fide catholica, maximarum utilitatum fonte prohiberi necesse esset. Etenim si religio christiana cunctis nationibus optima salutis praesidia peperit, sanctitatem iurium, tutelam iustitiae ; si caecas ac temerarias hominum cupiditates virtute sua ubique edomuit, comes et adiutrix omnium rerum quae honestae sunt, quae laudabiles, quae magnae: si varios civitatum ordines, et diversa reipublicae membra ad perfectam stabilemque concordiam ubique revocavit, horum pro-

fecto "beneficiorum copiam uberius quam ceteris Italorum generi impertivit. - Est quidem nimis multorum haec labes et macula, ut obesse et nocere saluti aut incremento reipublicae Ecclesiam dicant: Humanumque Pontificatum prosperitati et magnitudini italici nominis inimicum putent. Sed istorum querelas absurdasque criminationes aperte superiorum temporum omnia monumenta convincunt. Revera enim Ecclesiae summisque Pontificibus Italia maxime debetj quod gloriam suam apud omnes gentes propagavit, quod iteratis barbarorum impressionibus non succubuit, et immanes Turcarum impetus invicta repulit, et multis in rebus aequam legitimamque libertatem diu conservavit, et pluribus iisdemque immortalibus optimarum artium monumentis civitates suas locupletavit. - Neque postrema Romanorum Pontificum haec laus est, quod provincias italicas ingenio moribusque diversas communi fide et religione unas semper conservaverint, et a discordiis omnium funestissimis liberaverat. Atque in trepidis calamitosisque temporibus non semel erant publicae res ad extremos casus praecipitaturae, nisi Pontificatus Romanus ad salutem valuisset. - Neque futurum est, ut minus valeat in posterum, modo ne voluntas hominum obsistens virtutem eius intercipiat, neu libertatem impediat. Etenim vis illa benefica, quae in institutis catholicis inest , quoniam ab ipsa eorum natura sponte proficiscitur , immutabilis est et perpetua. Quemadmodum pro salute animarum omnia religio catholica et locorum et temporum intervalla complectitur, ita etiam in rebus civilibus ubique et semper sese ad hominum utilitates porrigit atque explicat.

Tot vero ereptis tantisque bonis summa mala succedunt : quoniam qui sapientiam christianam oderunt, iidem, quidquid contra fieri a se dicant, ad perniciem de vocant civitatem. Istorum enim doctrinis nihil est magis idoneum ad inflammandos violenter animos, concitandasque perniciosissimas cupiditates. Sane in iis quae cognitione scientiaque continentur, caeleste fidei lumen répudiant: quo extincto, mens humana in errores saepissime rapitur, nec vera cernit, atque illuc facile evadit, ut in humilem foedumque ***materialismum*** abiiciatur. Spernunt in genere morum aeternam immutabilemque rationem, et supremum léguai latorem ac vindicem Deum despiciunt ; quibus sublatis fundamentis, consequens est, ut, nulla satis idonea legum sanctione, omnis vivendi norma ab hominum voluntate arbitrioque sumatur. In civitate vero ex immodica libertate, quam praedicant et volunt , licentia gignitur : licentiam sequitur perturbatio ordinis, quae est maxima et funestissima pestis reipu-

blicae. Revera nulla fuit aut deformior species, aut miserior conditio civitatis, quam illa in qua tales et doctrinae et homines valere aliquandiu potuerunt. Ac nisi recentia exempla suppeterent, id fidem excedere videretur, potuisse homines -scelere* audaciaque furentes in tanta excidia ruere, et retento ad ludibrium libertatis nomine, in caede et incendiis debacchari. - Quod si tantos nondum sensit Italia terrores, primo quidem singulari Dei beneficio tribuere, deinde id quoque caussae fuisse statuere debemus, quod, cum itali homines numero longe maximo in religione catholica studiose perseverarint, idcirco flagitiosarum opinionum, quas diximus, dominari libido non potuit. Verum si haec, quae religio praebet, munimenta perrumpantur, continuo Italia in eos casus ipsos delaberetur, qui maximas et ftarentissimas nationes aliquando perculerunt. Etenim necesse est, ut similitudinem doctrinarum exitus similes consequantur : et quoniam in eodem vitio sunt semina, fieri non potest, quin fructus plane eosdem effundant. Immo vero maiores fortasse poenas violatae religionis gens italica lueret, quia perfidiam et impietatem culpa ingrati animi cumular et. Non enim casu aliquo, aut levi hominum voluntate datum est Italiae, ut partae per Iesum Christum salutis vel a principio esset particeps, et beati Petri Sedem in sinu gremioque suo collocatam possideret, et longo aetatum cursu iis , quae a religione catholica sponte fluunt, maximis et divinis beneficiis perfrueretur. Quapropter metuendum sibi magnopere esset quod ingratis populis Paullus Apostolus minaci ter nunciavit, *u Terra saepe venientem super se bibens imbrem, et generans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo: proferens autem spinas, et tribulos, reproba est, et maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem* **(1). »**

Prohibeat Deus hanc tantam formidinem ; atque omnes pericula serio considerent, quae partim, impendent ab iis, qui non communi utilitati, sed ***Sectarum*** commodis servientes, capitales -cum Ecclesia inimicitias exercent. Qui si saperent, si vera caritate patriae tenerentur, certe nec de Ecclesia diffiderent, nec de nativa eius libertate detrahere, iniuriosis suspicionibus adducti, conarentur; immo vero consilia ab ea oppugnanda ad tuendam adiuvandamque verterent ; idque in primis providerent, ut Pontifex Romanus sua iura reciperet. - Etenim suscepta cum Apostolica Sede contentio quanto plus Ecclesiae nocet, tanto minus est incolumitati rerum italica-

(1) Hebr. VI, 7, 8.

rum profutura. De qua re alio loco mentem Nostram declaravimus : « Dicite, publicas Italiae res neque prosperitate florere, neque diu-» turna tranquillitate posse consistere, nisi Romanae Sedis digni-» tati et summi Pontificis libertati, prout omnia iura postulant, » fuerit consultum ».

Quapropter, cum nihil magis velimus, quam ut res christiana salva sit, cumque praesenti italicarum gentium discrimine commoveamur, Vos vehementius quam unquam alias, Venerabiles Fratres, hortamur , ut studium caritatemque Vestram ad comparanda tot malorum remedia Nobiscum conferatis. - Et primum quidem educete summa cum cura populos, quanti sit fidem catholicam possidere, et quam magna eiusdem tuendae necessitas. - Quoniam vero hostes et oppugnatores catholici nominis, quo facilius male cautos decipiant, multis in rebus aliud simulant, valde interest occulta eorum consilia patefieri in lucemque proferri, ut scilicet, comperto quid reapse velint et qua caussa contendant, excitetur in catholicis hominibus ardor animi, et Ecclesiam, Romanum Pontificem, hoc est salutem suam viriliter aperteque defendant.

Multorum ad hanc diem virtus, quae plurimum potuisset, visa est aliquantum in agendo lenta et in labore remissa, sive quod insueti rerum essent animi, sive quod periculorum non satis fuerit magnitudo perspecta. Nunc vero, cognitis experiendo temporibus, nihil esset perniciosius, quam perferre oscitanter longinquam improborum malitiam, expeditumque ipsis locum relinquere rei christianae ad libidinem suam diutius vexandae. Ii quidem prudentiores quam filii lucis multa iam ausi : inferiores numero, calliditate et opibus validiores , haud longo tempore magna apud nos malorum incendia excitaverunt. Intelligant igitur quicumque amant catholicum nomen, tempus iam esse conari aliquid, et nullo pacto languori desidiaeque se dedere ; cum nemo celerius opprimatur, quam qui vecordi securitate quiescunt. Videant quam nihil reformidarit veterum illorum nobilis et operosa virtus: quorum et laboribus et sanguine fides catholica adolevit. Vos autem, Venerabiles Fratres, excitate cessantes , cunctantes impelirte : exemplo et auctoritate Vestra universos confirmate ad exercenda constanter et fortiter officia, quibus actio vitae christianae continetur. - Ad hanc alendam augendamque experrectam virtutem, curare ac providere opus est, ut numero, consensu, efficiendis rebus, floreant lateque amplificentur *societates* quibus maxime propositum sit fidei christianae virtutumque ceterarum retinere et incitare studia. Tales sunt con-

sociationes iuvenum, opificum ; quaeque constitutae sunt aut coetibus catholicorum hominum in tempora certa agendis , aut inopiae miserorum levandae, et tuendae dierum festorum religioni, et pueris ex infima plebe erudiendis ; aliaeque ex eodem genere complures. - Et cum rei christianae quam maxime intersit Pontificem Romanum in gubernanda Ecclesia et esse et videri ab omni periculo, molestia, difficultate liberum quantum lege possunt agendo, rogando, contendendo, tantum Pontificis caussa, enitantur et efficiant ; neque ante quiescant, quam sit Nobis, reapse non specie, libertas restituta , quacum non modo Ecclesiae bonum , sed et secundus rerum italicarum cursus , et christianarum gentium tranquillitas necessario quodam vinculo coniungitur.

Deinde vero-permagni refert publicari et longe lateque fluere salubriter scriptis. - Qui capitali odio ab Ecclesia dissident, scriptis editis decertare, iisque tamquam aptissimis ad nocendum armis uti consueverunt. Hinc teterrima librorum colluvies, hinc turbulentae et iniquae ephemerides , quarum vesanos impetus nec leges frenant, nec verecundia continet ! Quidquid est proximis his annis per seditionem et turbas gestum, iure gestum esse defendunt ; dissimulant aut adulterant verum : Ecclesiam et Pontificem maximum quotidianis maledictis falsisque criminationibus hostiliter petunt : nec ullae sunt tam absurdae pestiferaeque opiniones, quas non disseminare passim aggrediantur. Huius igitur tanti mali, quod serpit quotidie latius, sedulo prohibenda vis est : nimirum oportet severe et graviter adducere multitudinem, ut intento animo sibi caveat. et prudentem in legendo delectum religiosissime servare velit. Praeterea scripta scriptis opponenda, ut ars quae potest plurimum ad perniciem eadem ad hominum salutem et beneficium transferatur atque inde remedia suppetant, unde mala venena quaeruntur. - Quam ad rem optabile est, ut saltem in singulis provinciis ratio aliqua instituatur demonstrandi publice , quae et quanta sint singulorum christianorum in Ecclesiam officia, vulgatis ad id scriptionibus crebris, et, quoad fieri potest , quotidianis. In primis autem sint in conspectu posita religionis catholicae in omnes gentes praeclara merita : explicetur oratione virtus eius privatis publicisque rebus maxime prospera et salutaris : statuatur quanti sit, celeriter Ecclesiam ad illum dignitatis locum in civitate revocari, quem et divina eius magnitudo, et publica gentium utilitas vehementer postulat. - Harum rerum caussa necesse est, ut qui animum ad scribendum appulerint, plura teneant : videlicet idem omnes in seri-

bendo spectent: quod inaxime expedit, id constituant iudicio certo et efficiant : nihil ex iis rebus praetermittant, quarum utilis atque expetenda cognitio videatur : gravitate et moderatione dicendi retenta, errores et vitia reprehendant, sic tamen ut careat acerbitate reprehensio, personisque pareatur : deinde orationem adhibeant planam atque evidentem, quam facile queat multitudo percipere. - Reliqui autem omnes , qui vere et ex animo cupiunt, florere res et sacras et civiles ingenio hominum litterisque defensas, hos litterarum ingeniique fructus tueri liberalitate sua studeant ; et ut quisque ditior est, ita potissimum re fortunaque sustineat. Iis enim qui scribendo dant operam , omnino afferenda sunt huius generis adiumenta : sine quibus aut nullos ipsorum industria habitura est exitus, aut incertos et per exiguos. - In quibus rebus omnibus si quid nostris hominibus incommodi impendet, si qua est dimicatio subeunda, audeant tamen sese obvios ferre, cum homini christiano nulla sit adeundi vel incommoda vel labores caussa iustior, quam ne lacerari ab improbis religionem patiatur. Neque enim hac filios lege Ecclesia aut genuit aut educavit, ut cum tempus et necessitas cogeret, nullam ab iis opem expectaret, sed ut, singuli eorum otio privatisque utilitatibus salutem animarum et incolumitatem rei christianae anteponerent.

Praecipue autem curae cogitationesque Vestrae, Venerabiles Fratres, in eo evigilare debent, ut ministros Dei idoneos rite instituatis. Quod si Episcoporum est plurimum operae et studii in fingenda probe omni iuventute ponere, longe plus ipsos elaborare in clericis verum est, qui in Ecclesiae spem adolescunt, et participes adiutoresque munerum sanctissimorum sunt aliquando futuri. -Caussae profecto graves et omnium aetatum communes decora virtutum multa et magna in sacerdotibus postulant : verumtamen nostra haec aetas plura quoque et maiora admodum flagitat. Revera fidei catholicae defensio, in qua laborare maxime sacerdotum debet industria , et quae est tantopere his temporibus necessaria, doctrinam desiderat non vulgarem neque mediocrem, sed exquisitam et variam; quae non modo sacras, sed etiam philosophicas disciplinas complectatur , et physicorum sit atque historicorum tractatione locuples. Eripiendus est enim error hominum multiplex, singula christianae sapientiae fundamenta convellentium : luctandumque persaepe cum adversariis apparatissimis, in disputando pertinacibus, qui subsidia sibi ex omni scientiarum genere astute conquirunt. - Similiter cum hodie magna sit et ad plures diffusa corruptela morum, singularem

prorsus oportet in sacerdotibus esse virtutis constantiaeque praestantiam. Fugere quippe consuetudinem hominum minime possunt : immo applicare se propius ad multitudinem ipsis officii sui muneribus iubentur: idque in mediis civitatibus, ubi nulla iam fere libido est, quin permissam habeat et solutam licentiam. Ex quo intelligitur , virtutem in Clero tantum habere virium hoc tempore debere, ut possit se ipsa tueri firmiter, et omnia cum blandimenta cupiditatum vincere, tum exemplorum pericula sospes superare. - Praeterea conditas in Ecclesiae perniciem leges consecuta passim clericorum paucitas est : ita plane ut eos , qui in sacros ordines Dei munere leguntur, duplicare operam suam necesse sit, et excelienti sedulitate, studio, devotione exiguam copiam compensare. Quod quidem utiliter facere non possunt, nisi animum gerant tenacem propositi, abstinentem, incorruptum, caritate flagrantem, in laboribus pro salute hominum sempiterna suscipiendis promptum semper atque alacrem. Atqui ad huiusmodi munera est adhibenda praeparatio diuturna et diligens : non enim tantis rebus facile et celeriter assuescituf. Atque illi sane in sacerdotio integre sancteque versabuntur, qui sese in hoc genere ab adolescentia excoluerint, et tantum disciplina profecerint, ut ad eas virtutes, quae commemoratae sunt, non tam instituti quam nati videantur.

His de caussis, Venerabiles Fratres, iure Seminaria clericorum sibi vindicant plurimas et maximas animi, consilii, vigilantiae Vestrae partes. Quod ad virtutem et mores, minime fugit sapientiam Vestram, quibus abundare praeceptis et institutis adolescentem clericorum aetatem oporteat. - In gravioribus autem disciplinis, Litterae Nostrae Encyclicae - ***Aeterni Patris*** - viam rationemque studiorum optimam indicaverunt. Sed quoniam in tanto ingeniorum cursu plura sunt sapienter et utiliter inventa , quae minus decet non habere perspecta, praesertim cum homines impii quidquid incrementi affert dies in hoc genere , tamquam nova tela in veritates divinitus traditas intorquere consueverint, date operam, Venerabiles Fratres, quantum potestis , ut alumna sacrorum iuventus non modo sit ab investigatione naturae instructior , sed etiam iis artibus apprime erudita, quae cum sacrarum Litterarum vel interpretatione vel auctoritate cognationem habeant. - Illud certe non ignoramus, ad elegantiam studiorum optimorum multas res esse necessarias : quarum tamen sacris Seminariis italicis adimunt, aut minuunt importunae leges facultatem. - Sed hac etiam in re tempus postulat, ut largitate et munificentia bene de religione catho-

lica promereri nostratès studeant. Voluntas maiorum pia et benefica egregie eiusmodi necessitatibus providerat ; atque illud Ecclesia assequi prudentia et parsimonia potuerat, ut tutelam et conservationem rerum sacrarum nequaquam haberet necesse caritati filiorum suorum commendare. Sed patrimonium eius legitimum aeque ac sacrosanctum , cui superiorum aetatum iniuria pepercerat, nostrorum temporum procella dissipavit : quare caussa renascitur, cur qui diligunt catholicum nomen, animum inducant maiorum liberalitatem renovare. Proiecto Gallorum, Belgarum, aliorumque in caussa haud multum dissimili illustria sunt munificentiae documenta, non modo aequalium, sed etiam posterorum admiratione dignissima. Neque dubitamus, quin italica gens communium rerum consideratione permota , id pro viribus actura sit, ut et se patribus suis dignam impertiat, et ex fraternis exemplis capiat quod imitetur.

In his rebus , quas diximus: profecto haud minimam habemus spem solatii incolumitatisque repositam. - Verum cum in omnibus consiliis, tum maxime in iis, quae salutis publicae caussa suscipiuntur, omnino ad humana praesidia accedere necesse est opem omnipotentis Dei, cuius in potestate sunt non minus singulorum hominum voluntates , quam cursus et fortuna imperiorum. Quapropter in vocandus summis precibus Deus, orandusque, ut tot eius beneficii ornatam atque auctam respiciat Italiam ; in eaque fidem catholicam, quod est maximum bonum cunctis periculorum suspicionibus depulsis, perpetuo tueatur. Hanc ipsam ob caussam imploranda suppliciter est Immaculata Virgo Maria, magna Dei parens, fautrix et adiutrix consiliorum optimorum , una cum sanctissimo Sponso eius Iosepho , custode et patrono gentium christianarum. Ac pari studio obsecrare opus est Petrum et Paullum , magnos Apostolos , ut in italicis gentibus fructum laborum suorum incolumem custodiant, nomenque catholicum, quod maioribus nostris suo ipsi sanguine pepererunt , apud seros posteros sanctum inviolatumque conservent.

Horum omnium caelesti patrocinio freti, auspicem divinorum, et praecipuae benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam benedictionem Vobis universis, Venerabiles Fratres, et populis fidei Vestrae commissis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud s. Petrum die xv Februarii an. MDCCCLXXXII, Pontificatus Nostri anno quarto.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

BONONIEN.

INTERPRETATIONIS RESCRIPTI

Die 14 Maii1881.

COMPENDIUM FACTI. In plenariis Comitiis diei 24 Ianuarii anni 1857 acri contentione disceptatum fuit inter Capellanos Hospitalis maioris Bononiensis, et Parochum s. Mariae de Charitate, intra cuius Paroeciae fines dictum erigitur Xenodochium, super iure ducendi solemniter funera in dicta Hospitali domo decedentium, atque proposito tunc dubio : *An Capellanis Hospitalis s. Mariae de Vita et Morte competat ius ducendi solemniter funera ad publicum coemeterium, seu potius spectet ad Parochum in casu,* EE. PP. respondere censuerunt : *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.* (1)

(1) Ceu perspicax lector videt quaestio haec semel ac iterum acta est: primo res erat inter Cappellanos Hospitalis et parochum, intra cuius paroeciae limites Hospitale situm est ; nunc autem agitatur inter parochos civitatis, quorum paroeciani dum aegrotantur in Hospitale deferuntur. Primo disceptabatur an ius ducendi solemniter funera spectaret ad cappellanos, nunc an ius hoc spectet ad omnes parochos quorum paroeciani in Hospitali decedunt. Resolverat S. C. C. in prima propositione, ius ducendi funus ad parochum pertinere, qui litem agitavcrat. Quaeritur nunc an parochis cunctis spectet ius hoc, ademptum hospitalis Capellanis , qui iurisdictione parochiali utuntur ex quadam necessitate. Gravissimas causas, certum est effecisse ut pleraque Hospitalia ex parochorum iurisdictione eximerentur ; et cappellani quoad infirmos ceterosque ipsis aegrotis inservientes, proprii veluti parochi constituerentur. Ratio huius causae et necessitatis affert De Luca *de Parochia disc. 23. n. 11.* loquens de privilegiis Apostolicis quae exemptionem a parochorum iurisdictione hospitalibus conferunt. » Merito per Sedem Apostolicam » omnibus fere hospitalibus, praesertim » magnarum civitatum concessa sunt, » tum ob cessantem rationem laboris et » incommodi.... tum etiam ob magnam » confusionem,alias resultantem circa sa» cramentorum administrationem, quam » frequentius ex improvviso et quacum-

Temporis autem progressu dubitari coepit, utrum huiusmodi responsum omnibus indiscriminatim bononiensibus Parochis faveret quoad associationem respectivorum parochianorum, in dicto Hospitali decedentium; seu potius huiusmodi associationis et funerum ius privative spectaret ad Parochum s. Mariae de Charitate. Quapropter Parochi bononienses, supplici oblato libello, S. C. C. adiverunt, expostulantes ut id authentice declarare dignaretur, utrum nempe allata resolutio intelligi debeat favore Parochi s. Mariae de Charitate exclusive, an potius favore omnium et singulorum Parochorum bononiensium, ad exclusionem Capellanorum Hospitalis : seu utrum verba *spectat ad Parochum* intelligi debeant de Parocho s. Mariae de Charitate, an potius de Parocho domicilii defuncti. Emus Archipraesul rogatus, datis litteris diei 15 Maii mox nunciati anni Emo. Praefecto, sequentia retulit : « Si animadvertatur citatum rescriptum precibus Pa-
« rochi tunc temporis datum fuisse, videretur interpretari
« posse : *Spectat ad Parochum s. Mariae Charitatis.* Sed
< si Eminentia Vestra acta illius temporis reassumere non
« dedignetur, inveniet informationem Emi Cardinalis Viale
t Prelà f. r. ubi dicitur : *Ast subdendum est* non omnes*
< *aegrotos decedentes in hoc maiori Hospitali obnoxios cen-*
« *sendos iurisdictioni Curionis s. Mariae de Charitate**

» que hora, etiam de nocte, facere opor-
» tet, si pro singulis infirmis diversa-
» rum parochiarum , etiam distantiam,
» convocare oporteret proprios parochos,
*** quod esset impracticabile. »**

Ex his privilegiis enascitur in cappellanis hospitalium quasi iurisdictio parochialis, respiciens omnia « ea quae in-
» firmis viventibus et morientibus in
» hospitali congrua sunt, et in quibus
«» militet dicta ratio confusionis et im-
» practicabilitatis; circa scilicet sacra-
» menta poenitentiae , Eucharistiae ac
» extremae unctionis ; nec non circa tu-
» mutationem, De Luca *disc. 24. n. 18,* »
Ex accidentali tamen et transitoria domicilii mutatione, confluentes ad hospitale haud cessant esse subditi propriis parochis; qui quoad paroecianorum funera resumunt suum parochiale ius; et ad parochos pertinet ius ducendi solemniter funera ad publica coemeteria,transeuntes processionaliter cum cruce per aliarum paroeciarum limites ab hospitali ad coemeterium. Hodie enim coemeterium publicum ex lege civili subrogatum fuit sepulturis sive electis, sive de familia , aliisque omnibus ; iura tamen parochis et Ecclesiis quoad funera sarta tectaque servantur. Recole Vol. III. pag. 47, Vol. VII. pag. 161, Vol. VIII. pag. 528. Vol. X. pag, 605.

« *quamvis intra eius limites eoo accidenti existentes, vide-*
« *licet ex causa infirmitatis; ad mutandam enim Paroe-*
« *ciam animus permanendi requiritur : cap. Is qui, de*
« *Sepult, in 6. Quare opinor coeterorum etiam Curionum*
« *iura sarta tecta esse tuenda.* Ex quibus potius spectare
« ad Parochum domicilii deduci posset.»

Disceptatio synoptîea

IURA PAROCHORUM. Ac in primis favore actorum, seu in genere Parochi domicilii defunctorum, animadvertendum censeo, quod parochialitas constituitur ex reciproca necessitate qua Parochus obstringitur parochianis praebere, et parochiani vicissim obstringuntur a Parocho recipere Sacramenta: *Clem. Dudum §. Verum de sepult., Pax lordan elucubrai, lib. 10 tit. 8 n. 5; Panimeli, dec. 5 n. 12 et adnot. 1 n. 10; Prosper, de territor. separ. q. 9 n. 6; Rota decis. 52 n. 10 part. 2 diver., decis. 454 n. 7 et decis. 1887 n. 3 cor. Coccin, et decis. 387 n. 6 ibique Addit. cor. Gregorio, Scarfant. add. 48 n. 3.*

Exinde sequitur iuris assistentiam, quam habent Parochi in funeribus decedentium intra limites Paroeciae, non competere ratione loci materialis, aut mansitationis, vel obitus accidentalis in eadem paroecia ; sed ratione spiritualis officii quod Parochus gerit erga suum parochianum, dum vivit, praebendo spiritualia ; ideoque competit tantummodo proprio Parocho personae defunctae, ad *litt. text. in cap. 1 De sepult., in cap. 2 eod. in 6, in cit. Clem. Dudum §. cit. eod. tit.;* et ita uno ore docent doctores tum veteres, tum recentiores : *Navarr. in can. Placuit n. 102 de poenit. distin. 6; Diana part. 9 tract. 7 misceli, resol. 12; Anaclet. in ius canon. lib. 3 tit. 28 n. 16: Passer in. de statib. quaest. 187 art. 4 n. 211; Van-espen iur. eccles, univ. part. 2 tit. 38 cap. 3 n. 7; Pignatell. consult. 151 n. 6 tom. 4 et consult. 73 n. 54; Far gn. delurepatr.part. 1 can. 1 et 2 eas. 2 n. 9, Rota in Romana iuris tumulandi*

5Martii 1703 §. His ita cor. Priolo. Cum igitur Parochus s. Mariae de Charitate non obstringeretur vinculo praebendi Sacramenta, nisi propriis parochianis antequam hospitale ingrederentur, nullo modo dici potest proprius aliorum infirmorum Parochus in hospitali decedentium, qui aliunde per obitum intra limites eius paroeciae haud fiunt eius subditi; nullaque propterea fulcitur ipse iuris assistentia quoad illorum funera, quae omnino pendent a praemissa necessitate ministrandi Sacramenta : *Ur saia tom. 1 part. 2 discept. 28* ***n.*** *64 et 65; Priol. decis. 365 n. 3.*

Et in puncto Parochi, intra cuius paroeciae limites est hospitale, ut nullum ius habeat in eorum funeribus, qui ibi decedunt, quibusque non praebuit Sacramenta, affabre *Leurenius for. benef. Sect. 3 cap. 2 quaest. 453 n. 3* - ibi - « Sed neque dum mortuus in hospitali elegit sepulturam in « alia ecclesia, ac propterea inde asportandum funus, pos« sunt regulares, quorum est hospitale, se in hoc ingerere < extra septa propriae domus regularis, sed tali casu sub< intrat Parochus, nimirum proprius defuncti, sub cuius pa< rochia hic vivebat, et non ille, intra cuius parochiam situm < est hospitale, nisi forte ex privilegio et consuetudine etc.» Cui concinunt *Card. De Luca de Parochis disc. 23 n. 7; Nicol, lucubrat. civil, lib. 4 tit. 5 sub n. 26 vers, limita octavo; Zarat decis. 45 n. 12.*

Hisce positis, facillime diluuntur omnia quae in contrarium adduci possent, quia cum Parochus s. Mariae de Charitate nunquam fuerit, nec sit Parochus proprius defunctorum in hospitali, ac tantummodo sibi ius vindicare valeret, quia hospitale situm est in sua Paroecia, repelli tur ex non iure actoris ; *Card. De Luca de Paroch. diseurs. 23 n. 11 Zarat dec. 45 n. 8.*

At accedit quod territorium cuiuscumque Parochi est improprium, et eius iurisdictio seu potius officium parochiale non est affixum loco, quemadmodum iurisdictio Ordinariorum, sed consistit ac fundatur in persona parochianorum : *Pianateli, consult. 48 n. 22 tom. 3.* Hinc fit ut in propria

Paroecia nullum ius habeat in alienum parochianum: *cap 2. de Paroch. ; Fagnanus in cap. Ne pro dilatione n. 29 de poenit. et remiss.* Contra, omne ius habet in suum parochianum -ubique in universo mundo : *Hostien, in suum de poenit. et remiss. §. Cui confitendum ver. Et numquid extra territorium; Navarr. in can. Placuit n. 84 de poenit. dist. 6; Fagnanus iii cap. Quod nobis n. 35 de Clandest. desponsat.*

Nec refert quod proprius Parochus iisdem non administrat Sacramenta. Quandoquidem ius funera peragendi proprio Parocho competit, ipsi videlicet qui tenetur ex officio Sacramenta administrare, licet per accidens non administret. Unde si parochiani, ut hodie frequentissimum est, relicta Ecclesia parochiali, Sacramenta ex devotione sumant in aliis ecclesiis, non subtrahuntur subinde a iurisdictione Parochi : *Prosper, de territ. q. 9 n. 12,* quia quicumque alii Sacramenta praebentes, non administrant ex officio et iure proprio, nec ad id cogi possunt, nec coguntur populi ab eis recipere, nec ullum intercedit inter eos vinculum, prout inter Parochum et parochianos. Diversum omnino est, quando urget praeceptum sumendi Sacramenta, ut in Paschate et in mortis periculo; nam qui non potest cogi eo tempore ad administrandum non est Parochus ; et qui non cogitur recipere non est parochianus, cum sumenda et praebenda sint Sacramenta a Parocho proprio tantum, ut per *text. cap. Omnis utriusque sexus, ibique Doctores depoen. et remiss. Clem. Religiosi in princ, de privil. Gloss, in Clem. Dudum §. Statuimus verb. impendant de sepult. Barbosa in dict. Clem. Religiosi n. 2, 3 et 4. Fagnanus in cap. Cum capellán. 26 de privil. Card. De Luca de Paroch. disc. 31 n. 8 et de Regul. disc. 1 n. 60; Pignat. consult. 3 n. 5 et seqq. tom. 4.*

Inutilius tandem recursus fieri videtur ad rem iudicatam, ortam ex sententia S. C. C. die 21 Ianuarii 1857 lata; nemo enim nescit quod res inter alios acta tertio non nocet: *leg. Cum res 1 ff. de excepi, rei iudic.,* et quod inibi in genere dicitur spectare ad Parochum, quin idem designetur :

si secus intelligenda esset, sententia, utpote continens manifestum iuris errorem, attendenda non esset: *Scarfant. add.35 num. 35. Pal. de Castro in I. Cum prolatis ff. de re iudic. Rota decis. 263 num. 9 coram Alexandro VIII. et in Melevitana lurispatr. 31 Martii 1702* §. *Prout neque coram Scotto* et in Cremonen. Beneficii 11 Maii 1705* §. *Aeque infeliciter et 14 Maii 1706* §. *Eco quo facto in fin.et %.Tum demum quia.*

Ceterum rei iudicatae de anno 1857 opponi potest res iudicata in hac eadem causa de anno 1694. Cum enim et illo aevo exorta fuisset controversia inter praedictos Capellanos et Parochos, intra quorum paroeciarum limites Hospitalia s. Mariae de Vita, et s. Mariae de Morte existebant, die 43 Februarii propositis dubiis : « **I.** *An liceat Capellanis Hospitalium s. Mariae de Vita et s. Mariae de Morte extra illa associare cadavera fidelium in dictis Hospitalibus defunctorum ad alias Ecclesias* in quibus praefati fideles sibi elegerint sepulturam, vel proprium habeant sepulchrum ;* II. *An huiusmodi ius spectet privative ad proprium Parochum domicilii dictorum defunctorum** responsum fuit: *Ad I Negative; ad II Affirmative.* Concludendum ergo videtur omni iure, perpetuum silentium imponendum esse Parocho s. Mariae de Charitate.

IURA PAROCHI S. MARIAE. EX altera vero parte perpendendum occurrit, favore Parochi s. Mariae de Charitate militare S. C. C. sententiam, latam die 24 Ianuarii 1857, quae vim ac robur obtinuit rei iudicatae, quaeque parit exceptionem litis finitae et pro veritate habetur : *Leg. Res iudicata ff. de Reg. Iuris; Rota in Romana praelationis 5 Maii 1777 §. 6 coram Soderino* et decis. 304 §. 2 cor. Malvasia.*

Quapropter iustitiae admodum consonum est, rem iudicatam, quae neque nullitatis, neque iniustitiae vitio sit infecta, confirmari ; cum a re iudicata valida et iusta, neque extraordinario remedio restitutionis in integrum, succurratur: *Textus iii cap. 1 De restii, in integr. leg. Quod si ff. de*

Minor., et Rota decis. 36 num. i coram Olivatio. Quod autem sententia as. O. C. lata nullitatis aut iniustitiae vitio infecta non fuerit, exinde liquet, quod auditis legitimis contradictoribus, collitigantium rationibus aequa lance perpensis, pluries resolutione dilata, edita fuit ; ideoque omnem perimit de re controversa disceptationem, et ius facit adversus omnes : *Rota decis. 594 num. 6 et 7 coram Bichio , decis. 471 num. 11 coram Emerioo iun. , et in nuperr. decis. 235 num. 6. Leg. Ingenuum 75 ff. de stat. homin., leg. 1 et 2 ff. de liber, agnosc. leg. Res iudicata 207 ff. de Reg. Iur. Rota in Cingulana Archipresbyteratus 22 Februarii 1771%. coram Origo; decis. 21 §. 4 coram Malvasia.*

Ceterum rationes quibus innixa S. C. C. bonum ius Parochi s. Mariae de Charitate agnovit adversus Capellanos Maioris Hospitalis, magna ex parte in suo robore permanere videntur, etiam in praesens adversus ceteros bononienses Parochos. Sane s. Congregatio Apostolicae Visitationis sub die **16** Decembris anni **1695** ad instantiam d. Sabatini Parochi s. Nicolai in Carcere huius almae Urbis contra Archihospitale s. Mariae de Consolatione quaesivit in quarto dubio : « *An liceat Ministris Consolationis Urbis associare cadavera alibi tumulanda cum Cruce, et ab Hospitali ad locum Catenae, et impedire Parochum, ne accedat pro illis ad ianuas Hospitalis ;* respondit: *Negative.* Ex quo concludendum S. C. in casu recognovisse bonum ius Parochi, intra cuius paroeciae limites situm est Hospitale, quin de Parocho domicilii ceterisque Parochis Urbis mentionem faceret.

Hisce utrinque perpensis, EE. PP. rogati fuere quomodo esset dirimendum sequens

DUBIUM

An et cui competat ius funerandi in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Congregatio, sub die **14** Maii **1881,** censuit respondere :

Affirmative, Parochis domicilii defunctorum.

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Iuris adsistentiam in funeribus competere solummodo proprio Parocho personae defunctae, ex reciproca necessitate, qua parochus et parochiani ad invicem obstringuntur, quoad administrationem et sacramentorum receptionem.

IL Nam dum Parochus onere gravatur praebendi sacramenta parochianis, isti vicissim obstringuntur ad eadem sacramenta a Parocho recipienda : ex qua reciproca necessitate oritur parochialitas.

III. Quapropter parochus iure adsistitur non ratione loci materialis, aut mansitationis vel obitus accidentalis, sed ratione spiritualis officii : seu quia parochus spiritualia parochiano praebuit dum viveret.

IV. Proinde cum Parochus, ex necessitate, suis solummodo parochianis administret sacramenta, hinc in istorum funera tantum se ingerere potest, et non in funera aliorum decedentium in hospitali, intra limites suae paroeciae sito ; quia per obitum illo in loco, haud eius fiunt subditi.

V. Parochi officium et iurisdictionem haud esse territorio, sed parochianorum personis affixam ; ex quo fit ut Parochus dum omne ius habeat in paroecianum suum, quocumque ierit, nullum vero ius habeat in propria paroecia super alienum parochianum.

VI. Qua de re Parocho proprio ius competere ducendi solemniter funera ad publicum coemeterium, quoties sui parochiani in hospitali decedentes, extra illud sibi elegerint sepulturam; non enim paroeciam mutaverunt,, ex quo aegroti in hospitale delati sint.

VII. Ideo in themate rite resolutum fuisse ius funerandi competere parochis domicilii defunctorum ; idest unicuique parocho relate ad proprios parochianos, decedentes in hospitali; ita ut parochus, intra cuius paroeciae limites erigitur hospitale, possit tantum sese ingerere in funera suorum paroecianorum.

DISPENSATIONIS MATRIMONII (1)

Die 9 Aprilis et 6 Augusti Í88Í.

COMPENDIUM FACTI. Anno 1869 nuptiae conciliatae fuere, sed infausto sydere, inter Carolum et Elisabet, istius matre impellente. Hinc novem post menses continuae habitationis, actos inter dissidia, mulier a suo viro discessit. Exinde facta per Parochum ad Curiam relatione, vocatisque partibus ad huiusmodi voluntarii divortii rationem reddendam, ex ipsarum relatione innotuit, eam fuisse impotentiam mulieris ad officia matrimonialia exercenda. Hac de re processus super nullitate initi connubii institui coepit in Curia ; quae, audir tis coniugibus de inconsummatione referentibus, sive ob renuentiam mulieris, ut ait vir, sive ob aversionem viri delectumque, quo ipsa laborabat in femore, ut habet mulier ; habitaque iurata fide in arte peritorum, nempe medici, chirurgi, atque obstetricis, quibus demandata fuerat corporalis inspectio mulieris, quique de eiusdem impotentia inveterata et insanabili retulerant, auditoque demum officioso vinculi defensore, edita sententia diei 18 Septembris 1871, matrimonium inter Carolum et Elisabetham contractum, nullum declaravit, facta potestate viro ad alias nuptias transeundi, prohibitione autem mulieri perpetuo nubendi. Sententiam hanc die 30 Decembris 1871 Curia Archiepiscopalis, ad quam officiosus defensor vinculi convolaverat, ratam in omnibus habuit.

(1) Praemonemus lectores quod huiusmodi quaestio matrimonialis est una ex illis a qua erui potest quam prudenter et sapienter se gerat s. Cong. Concilii, quando non profert sententiam super validitate, aut nullitate matrimonii. Et potius investigationes fieri praecipit, ut dignoscatur an matrimonium fuerit nec ne consummatum. Et si factum non consummationis satis evidenter comprobatum fuerit, ad normam praescriptionum ss. canonum, tunc decernit favore solutionis matrimonii rati, relicta salebrosa nullitatis quaestione ; praecipue dum agitur de physica unius vel utriusque contrahentium impotentia. Aliquando enim quod ex apparentas omnibus impossibile videbatur, verificatur ac evenit tamen, ob non praevisam explicationem naturalium virium, quae in humani corporis mirabili organismo, veluti sub mysterioso velamine, humanae scientiae impervio, occultantur. Hinc etiam in themate praeelectum iudicium inconsummationis fuit, etsi haud fuisset perdifficile probare impotentiam saltem relativam in muliere ob partium difformitatem cum viro.

Carolus itaque primaevam nactus libertatem, novum matrimonium cum alia eiusdem pagi muliere contraxit anno 1872, ex qua iam duos suscepit liberos. Elisabeth contra, nefariam quodam cum viro societatem instituens, praegnans effecta, die 14 Decembris 1876 enixa est.

Rebus sic stantibus causa in episcopali Curia maturae discussioni denuo subiecta fuit, atque in hanc deventum fuit sententiam, preces nempe offerendi SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato, idque attenta morali impossibilitate coniuges cogendi ad priora vota redire, ob odium et aversionem praecipue inter partes perdurantem.

Sanctissimus benigne indulsit, ut acta processualia, iam expleta pro iudicio nullitatis matrimonii, adhiberi possent pro petita dispensatione, dummodo tamen Carolus ratam haberet propriamque faceret dispensationis petitionem, formiter Elisabethae notificandam atque intimandam ; insuper ut rite processualia acta suppleantur quoad legitimas dispensationis causas, ac etiam quoad matrimonii inconsummationem, quatenus haec ex praecedenti processu luculenter non constaret.

In exequutionem memorati decreti sollicita fuit Curia prius audire coniuges, qui nedum declararunt optare, et petere dispensationem a rati matrimonii vinculo, sed etiam paratos se esse exhibuerunt ad confirmandam etiam cum iuramento matrimonii inconsummationem, reconciliationemque inter partes impossibilem esse dixerunt. Post haec propinqui vel vicini quatuordecim auditi sunt testes, et si unum vel alterum excipias ceteri de inconsummatione fidem perhibuerunt, vel quia id ex coniugum ore acceperunt, vel alicuius propinqui, vel de publica fama; insuper-de coniugum honestate testati sunt.

Disceptatio Synoptica

VOTUM THEOLOGI. Post delictuosum mulieris factum, ait Theologus, ad acquirendam moralem certitudinem de inconsummatione matrimonii, nil aliud remanet quam iurata coniugum et septimae manus depositio. Nullum enim indicium sumi potest ex physica mulieris inspectione, quum iam cor-

rupta fuerit ab alio viro. Hisce praemissis, adiecit Theologus : ex actibus processualibus, ac ex documentis illis adnexis, mihi videtur quod satis probata remaneat matrimonii, de quo agitur, inconsummatio. Coniuges semper ac constanter asseruerunt, numquam matrimonium consummasse, ac suam assertionem iuramento firmarunt, iuxta praescripta ss. canonum : insuper ipsorum iuramentum fulcitur testimonio septimae manus, Sánchez *de matrim, lib. 7 Discept. 108 n. 11.* Iuramento autem coniugum maxime deferendum est, praecipue dum invenitur a septima manu corroboratum, Sánchez *de matrim, lib. 2 disp. 23 n. 1.* « Si sponsa non erat virgo, » nec sponsi 'domum traducta fuit, adhibetur illorum iura» mento fides, cum ex aspectu probatio haberi nequeat.»

Pariter ex Sánchez *de matrim, lib. 7 disp. 108 n. 6* cum viduis etiam praestanda sit fides, possumus quoque praestare fidem coniugibus, de quibus agitur. Idque confirmatur a Coscio de separatione tori coniugalis *lib. 3 cap. 2 n. 134.* Idem auctor *loc. cit. n. 13* ostendit quantum deferendum sit iuramento septimae manus. His depositionibus accedit opinio'emissa sub iuramenti fide a Medico Chirurgo et Obstetrice, post annum circiter a celebrato matrimonio. Ex hac enim opinione manifeste apparet, quod mulier complexionis *eminenter scropholosae* morbo habituali affligebatur propter luxationem femoris, penitus neglectam, qua aetatis suae anno circiter octavo plexa fuerat. Hinc arguere possumus Medicum, Chirurgum, et Obstetricem decipi non potuisse in recognoscenda actuali, tunc temporis existente, impotentia mulieris, licet revera decepti sint in asserenda, ob illum statum morbosum, impotentiae perpetuitate.

Huic probationi alia addenda est, quae deducitur ex aversione animi mulieris a viro suo ; mulier enim quasi fuit coacta nubere viro illi minis et verberibus matris et fratrum. Et omnino credibile videtur mulierem abhorrere a copula cum viro perficienda, quia praeter aversionem et timorem doloris, magna detinebatur repugnantia ne suam alicui infirmitatem detegeret, quam neque matri suae manifestavit.

Si adsint autem iustae causae, dispensatio super matrimonio rato conceditur. In themate quisquis videt, causam dispensationis praebere legitimam infelicissimum coniugum statum, cum evidenti aeternae damnationis periculo amborum. Alienatio animorum adest, quia mulier protestatur se non posse neque velle redire ad virum suum, quem dicit ferocis indolis. Vir autem dixit potius me suspendam, quam priorem uxorem recipere. Proles etiam ex matrimonio secundo nullo nata, gravissimum pateretur damnum, nisi dispensatio concederetur.

VOTUM CANONISTAE. Censuit canonista, matrimonium de quo agitur I° nullum esse ex defectu consensus; 2° ex defectu potentiae relativae ; 3° ratum fuisse et non consummatum; 4° adesse iustas causas quibus peti possit dispensatio ab Apostolica Sede.

Quoad primum notavit maius voluntarium et perfectius requiri in matrimonio, quam in aliis civilibus contractibus; quia isti sunt minoris momenti et natura sua sunt dissolubiles humana auctoritate, vel contrahentium consensu. Hinc in matrimonio requiritur ut voluntas nullo modo coacta, dici possit. Animadvertit imprimis mulierem antecedenter ignorasse virum, cum quo matrimonium erat initurum ; quinimo tanta fuit puellae oppositio voluntatis in virum, ut cogi debuerit minis et vexationibus. Quamobrem antecedenter habemus in muliere signa opposita, quae repugnantiam absolutam indicant. Puella timebat virum, quem sciebat iracundum, et addictum militiae.

Ipsa autem erat virgo et rudis, in agris educata, nullam in campestri tugurio aliam auctoritatem agnoscens, nisi maternam. In ea maximus fuit timor reverentialis, quae etiam experta est furorem matris et fratrum. Ideoque si puella coacta fuit, nullum fuit eius matrimonium ad mentem Alexandri III *cap. 14 de Spons. et matrim.* Et Schmalzgrueber *t. 4p. 1 tit. 1* § *393 ait:* < Sequitur invalidum esse ma-
» trimonium contractum a virgine cum iuvene, quem illa
» aversabatur, ex mera reverentia in parentes, cum indi-

> gnationis, exprobrationum, durae tractationis, et similium > incomodorum verisimili extimatione coniuncta. » Hinc si puella coacta assensit, dicendum est, eius consensum fuisse simulatum ; quia forsan putavit quod vir, aspiciens ulcera, quibus afflictabatur, nausea afficeretur.

Quoad secundum caput, seu quoad potentiae relativae defectum parochus sponsorum retulit : « quotiescumque maritus > vi tentat copulam, acriter mulier cruciatur in corpore, ac > toties quoties, clamore doloroso edito, exilit de lecto et confugit.» Rationem huius doloris afferant Medici. «Anno » circiter octavo *puella* luxatione femoris sinistri nexa, ab- > hinc claudo" ambulat pede ; tota regio circa et supra caput » ossis femoris sinistri dolorifìce turnet, pars tumida perio- » dice pus effundit ; regio infra articulationem capitis ossis » femoris sinistri prout et superficies interna femoris huius, > cicatrices exhibet profundas, musculi glutei sinistri, et ii » interiores femoris sinistri, sicut et organa genitalia mor- » hosa affliguntur sensibilitate...»

Attamen consultor putavit erronee a Medicis iudicatam fuisse *absolutam* impotentiam in muliere, dum esset tantum relativa. Difformitatem tantum adfuisse inter virum et mulierem censuit consultor, ita ut alio invento viro, qui haberet conformia, cum hoc concubere potuit. Et ideo si cruciabatur quoties copula tentaretur, ipsa dolore perculsa erat non propter dedicationem, sed propter difformitatem : quae constituit in eadem femina impotentiam perpetuam, sed relativam. Ex quo deducitur etiam, ait Consultor, quod sponsi non teneantur redire ad matrimonium ob potentiam supervenientem ; nam si mulier inventa est potens cum ali viro, hoc non includit habere potentiam cum primo. Cum isto enim omne experimentum inutile evadit.

Quoad tertium caput, quod nempe matrimonium fuerit tantum ratum, Consultor ait, id deduci ex dictis in capite praecedenti. Et insuper ex peritorum relatione adfuit in matrimonio, de quo agimus, difficultas coitus propter difformitatem relate ad virum, propter morbosam sensibilitatem, propter

ulcera quibus organa genitalia mulieris erant circumsepta. Compagis natura erat tam delicata ut puerilis a medicis nuncuparetur, ac proinde membrana tenerrima. Haec tamen illaesa reperta fuit a medicis, signum evidens, relate ad naturam mulieris, integrae virginitatis.

Quoad quartum caput, quod nempe adsint legitimae pro obtinenda dispensatione causae, dubitari nequit. Adest nempe odium quo invicem prosequuntur coniuges; adest commodum et legitimatio prolium ; vir enim in secundo matrimonio duos habuit filios ; duosque filios procreavit mulier in concubinatu ; adest etiam scandalum publicum, quia solemniter matrimonium a duplici Curia declaratum fuit nullum. Quae causae ad dispensationem obtinendam sufficientes sunt iuxta plures theologos.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS S. VINCULI. Sibi inquirendum esse, ait defensor, quodnam probationis genus adhibendum sit, cum agatur de coniugibus, qui per novem menses simul habitarunt, simulque cubarunt. Non inficiatur maxime deferendum esse iuramento coniugum, dum invenitur a septima manu corroboratum. Ast huius probationis genus habetur tamquam adminiculum, et per exceptionem, verae probationis naturam induit. Ait enim Coscius *n. 147* « ultra » coniugum confessionem ac septimae manus iuramentum, » aliae probationes requiruntur, si non solum certa sit inter » eos cohabitatio, sed certissima condormitio in eodem lecto. > Omnes hanc doctrinam recipiunt canonistae, imo extendunt ad casum, in quo sponsi soli manserint etiam per horam ; quia praesumptio oritur coniuges maritali operi induisisse. Quamobrem si adversus huiusmodi praesumptionem dari queant contrariae probationes, istae ex doctoribus *vehementes, violentae* esse debent,

Ast obiicitur : praesumptio haec in casu destruitur ex facto impotentiae, ad quam confugiunt consultores. Verum id peragunt irrito conatu ; nam inspecta natura impotentiae, qua mulier laborare dicitur, matrimonii consummationis praesumptio et possibilitas non excluduntur. Nam omisso quo

peritorum relatio sit illegalis, quodque periti loquuti sint de mulieris impotentia, tamquam de re opinabili, quaerenda solummodo est natura et indoles impedimenti ex iis quae a peritis describuntur, ut statuatur utrum copulae maritalis possibilitas excludi debeat. Et re quidem vera non agitur de atresia, seu vulvae clausura, non de uteri carentia, non de alicuius genitalis organi defectu, unde viro clausa sit via ad uxorem ; sed agitur tantum de morbosa sensibilitate in muliebribus ob malos humores, qui ex vulnere, in femore existente, profluunt ; ita ut nullam vim mechanicam perferre possint. Etenim periti cum descripserint malos exitus luxationis femoris", addunt : « ex his et montis veneris labiorum- » que organorum genitalium sensibilitate morbosa, adeo ad- » aucta, ut partes hae nullam perferre queant vim mecha- » nicam, facile est intelligere impotentiam. »

Sed ex his facilius infertur simplex difficultas coeundi, ob dolores et cruciatus quos mulier esset passura, etiam ex levioribus tractibus, quam impotentia. Quin imo petimus, curnam periti tacuerunt de mulieris virginitate, dum describerent alias eiusdem partes? Nam si potuissent declarare virginitatis signa, iudicium prolatum valido niteretur fundamento. Ergo si dolor gravissimus tantum, ex parte mulieris, carnalem impediebat coniunctionem, quid mirum et impossibile, si una vel altera vice, spreto dolore, uxor virum exceperit? Haec autem possibilitas, considerato facto cohabitationis et condormitionis coniugum, importat praesumptionem iuris et de iure pro consummatione.

Consultores proinde ad antipathiam confugiunt, ut probent inconsummationem : sed haec antipathia parum probatur in actis. Quod si realiter extitit, impedire potuit habitualem coitum, non tamen efficere, ut saltem infra hebdomadam, in qua vir bono animo uxorem secum fuisse fatetur, impossibilis coniunctio evaserit. Itaque cum nihil adsit ad corroborandam coniugum confessionem, praesumptio iuris de matrimonii consummatione integra manet, eaque extante, dispensatio deneganda videtur.

Ast data et noa concessa hypothesi de inconsummatione, desunt legitimae causae ad dispensationem concedendam. Consultor enim Theologus ad scandalum evitandum appellat pro obtinenda dispensatione. Sed scandalum potius quam evitandum sit, ne detegatur error, ob reverentiam erga tribunalia ecclesiastica servandam, evitari debet, ne suprema Ecclesiae auctoritas et doctrina circa sacramenta pessumdetur.

Quibus praenotatis enodandum propositum fuit sequens

Dubium.

An sit consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra O. Concilii, re cognita, sub die **9** Aprilis 1881 respondere censuit:

Praevia sanatione actorum, affirmative.

Sub die 6 Augusti 1881 reproposita fuit quaestio haec et responsum fuit « *In decisis* ».

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Inconsummationem matrimonii evinci etiam per coniugum iuramentum, praecipue si reperiatur corroboratum a *septima manu* (1).

IL In themate, praeter iuramentum coniugum, nullum aliud adesse *intrinsecum* argumentum de non sequuta consummatione, post factum delictuosum mulieris.

III. Iuramento coniugum maxime esse deferendum ex eo quoque evinci, quod etiam viduis fides praestanda sit, quamvis cum viro cohabitaverint, ne dispensationis remedio pri-

(1) Conscius de separat. Tori lib. 3 cap. 2 n. 136 innuit quantum sit deferendum iuramento *septimae manus* « ibi » « Accedente praeterea in hac ma- » teria iuramento septimae manus con- » sanguineorum, aut vicinorum ex parte » utriusque coniugis; qui si affirment se » firmiter credere coniugum confessionem » esse veridicam, eosque sic delicatam » habere conscientiam, ut sint incapa- » ces proferre mendacium ac periurium, » tamquam purgatores dicti alieui, su- » spicionem collusionis removent ac fal- » sitatis.... Quamvis enim deponere noa » valeant de facto occulto, eorum tamen *n* depositio sufficit pro adhibenda fid» *n* coniugibus. »

ventur: utpote quae per aspectum probare nequeant matrimonium non esse consummatum.

IV. Coniecturas, indicia, praesumptiones aliaque argumenta, coniunctim ponderanda in facto occulto, constituere probationes certas, certitudine morali, cui innititur iudicis animus, quoties deficiant probationes certae, physica certitudine (1).

APPELLATIONIS

Die 12 Martii et IO Septembris 188i.

COMPENDIUM FACTI. Antequam civile actuale Gubernium per suppressionis legem Ecclesiarum bona fisco addiceret, metropolitani Capituli T. patrimoniale as duplici massa constabat, quarum altera *communis,* altera vero *fraterna* dicebatur. De hac Canonici dumtaxat pro virili, de illa et Canonici et Mansionarii participabant; ita tamen ut dum quisque ex Canonicis sextantem, singuli Mansionarii seu Participantes unciam tantum acciperent.

Cum in vim supradictae legis deveniendum esset ad constitutionem in *beni-fondi* congruae parochialis, favore Archipresbyteri, qui curam animarum gerit, Capitulum eamdem ex integro constituit fundis a massa fraterna depromptis, et Archipresbyter Parochus, qui ex duplici alebatur massa, spopondit se congruam ita constitutam in communi positurum, ut duae ex tribus partibus favore massae communis, tertia vero favore massae fraternae cederet. Cum autem facta promissis non respondissent, Participantes ex hac agendi ratione se laesos persentientes, ad S. C. C. confugerunt petieruntque ut

(1) Turrecremata in can. Requisi- » sti 2 cans. 33 quaest. 1 n. 4 ait: « Quamvis de actu illo, nempe de con- » summatione matrimonii, iuxta d. Bo- » naventuram, numquam habeatur cer- » titudo per facti evidentiam, homo ta- » men, ut plurimum, per signa .probabi- li lia et coniecturas deponit, quae quam- » vis non sufficiant ad generandam scicn- » tiam, sufficiunt tamen ad generandam » fidem seu credulitatem. »

Canonici adigerentur ad reddendos indemnes Participantes a damnis hac de causa passi s.

Sacra C. Concilii die 7 Decembris 1878 rescriptum edidit: placere de concordia ; ubi vero *controversia amicabiliter componi nequeat, partes utantur iure suo coram Curia Archiepiscopali, servato iuris ordine.*

Quod autem timendum erat, revera accidit : «tenim conatus omnes a reverendissimo Archiepiscopo adhibiti, ut dissidentes Capitulares ad concordiam adduceret, in irritum cesserunt, quapropter Participantes penes Curiam archiepiscopalem Canonicos in ius rapuere. Rmus Antistes se etiam Canonicum praebendatum esse mente recogitans, ab iudicio instituendo abstinuit, et sui loco ac vice Primicerium Ecclesiae Cathedralis C. in Vicarium Generalem ac Iudicem Ordinarium, ad hanc dirimendam quaestionem, specialiter delegavit ; qui iudicialibus actis ad exitum perductis, auditis ac libratis rationum momentis, hinc et inde deductis, die 17 Februarii anni 1880 sententiam Massae fraternae seu Canonicis inimicam tulit.

Convocato postea Capitulo (quindecim Canonicis constante) ad hoc, ut decideret utrum lata sententia rata ac probata habenda foret, seu potius appellatio ab eadem ad S. C. C. interponenda esset, septem ex quatuordecim Canonicis praesentibus pro appellatione, octo vero, inter quos Archiepiscopus, nec non Canonicus alter, qui domi infirmitate detentus , votum suum per Procuratorem emisit, pro sententiae acceptatione votum dederunt. Tunc septem canonici appellationem interposuerunt apud s. Sedem.

Disceptatio »optica.

DEFENSIO PARTIS ACTRICIS. Huius patronus negat omnem valorem suffragii, ab Archiepiscopo emissi in capitulari conventu cum actum est de sententia acceptanda vel reiicienda. Nam qui fuit iudex in causa, postmodum super propria sententia suffragium ferre nequit. Fuisse autem Archiepiscopum

iudicem controversiae inter Capitulum et Participantes, probat Orator ex notissimis iuris principiis, quibus statutum est, delegantem et delegatum unam haberi eamdemque personam quoad iuridicos effectus ad *Legem i §. Qui mandatum ff. de Officio eius, cui mandata est iurisdictio, ac Reiffenstuel lib. 1 Decret, tit. 29 num: 32 et 39, Ferraris Biblioth. Iur. ad verbum Delegans et Delegatus num. 2, 5 et 6, Rota in Anconitana Restitutionis in integrum 7 Iunii 1841 §. 5 coram de Silvestris.* Posthabito vero suffragio Archiepiscopi, iam in propatulo est, appellationem a maiori Capituli parte fuisse interpositam. Etiamsi autem vel paria vel maiora quoque suffragia pro appellatione fuissent, haud tamen labefactanda propugnat, quia nec uni dumtaxat Canonico ius appellandi posset denegari, ceu statuit sacra Rota in *Sutrina Nullitatis 10 Maii 1847 §. 3 coram De Silvestris* et in *Tyburtina Pecuniaria eiusdem diei et anni* §. *5 cor. Eodem.* In iis enim quae omnes tangunt et interesse cuiuslibet respiciunt, nequit pars maior minori praeiudicium inferre, et sufficit,, ut unus tantum reclamet pro revisione iudicati ad *Glossam in Cap. Cum omnes num. 15 de Constitut. Rotam* in *Decis. 81 num. 19,* et *Decis. 82 n. 31 apud Tambur, de Iure Mat. tom. 3, ad Pignatel. in Consult. 82* ***n.*** *6 tom. 10.*

Hisce praeiactis, init calculum votorum, quae locum in illo Capituli conventu habuerunt. Septem hinc inde suffragia edita sunt, unde paria fuisse urget tam pro acceptatione quam pro reiectione sententiae. At seposito voto Archiepiscopi, sex reliqua fuerunt pro deneganda appellatione, et septem ad sustinendam. Qui sane calculus etiam in casu paritatis legitimum ostendit actum appellationis.

Negat praeterea defensor potuisse Archiepiscopum ferre suffragium in conventu capitulari, Episcopus enim habet dignitatem et auctoritatem supra Capitulum, sed ex hac praeeminentia ac dignitate non habet in Capitulo vocem neque votum, quia distinguitur a Canonicis ratione dignitatis, et inter Capituli membra non recensetur, sicut à membris caput di-

stinguitup. Et Canonici solum habent omnimodam administrationem Ecclesiae, solique faciunt unum corpus et soli repraesentant Ecclesiam , ceu docent *Pignatelli Consult. 49 num. 2 tom. 6, Consult. 129 num. 30 tom. 9,* et *Schmalzgrueber in Tit. de iis quae fiunt a maiori parte Capituli num. 5 et num. 20 et seqq.* Quam sane dotrinam hauriunt Canonistae ab ipso Concilio Tridentino, eiusque interpretatione in *Sess. 25 Cap. 5 de Reformat,* ubi Episcopi iubentur Capitulum convocare, vota exquirere, et iuxta ea concludere. Quod si forsan hoc ius autumat Archiepiscopus sibi adesse, ex quo gaudeat aliqua redituum capitularium parte, quae Praebenda vocatur, et ad praebendae quantitatem assurgi , haud meliori omine illius praetensio conficitur. Nam perceptio haec nil aliud repraesentat, quam pensionem Capitulo impositam favore Mensae in augmentum redituum eiusdem Mensae. Merum enim huiusmodi emolumentum ad praebendae mensuram constitutum, cum qualitate canonicali nil habet commune. Et hoc deducit ex notissima Canonistarum distinctione inter praebendam et canoniam. Siquidem Canonici est ius habendi sedem vulgo *stallum* in choro ad recitanda divina Officia, ius habendi vocem in Capitulo ferendique suffragium, et exercendi alia cuncta munera tam pro servitio chori, quam pro capitularibus officiis, quae ad ceteros Canonicos pertinent. Haec autem assequitur Canonicus cum electione sive *receptione in fratrem,* quando electus possessionem acquirit canonicatus, et ad illius praerogativas instituitur ope canonicae institutionis, quae est vera et efficax possessio. Praebenda vero est accessorium sive compendium pecuniarium, seu ius percipiendi portionem fructuum ex simplici collatione. Id ex *Cap. Cum Mater 9 §. Canonicus de Constitut. Cap. Relatum de Praebendis, Ferraris ad verbum Canonicatus Art. 1 num. 1 et seqq. tom. 2.* Quapropter deficiente in Archiepiscopo titulo canoniae, deest qualitas Canonicalis, deest possessio , deest receptio *in fratrem,* et deest per consequens etiam ius ad suffragium ferendum et ad vocem in Capitulo.

Hoc autem confirmari sustinet ex facto: quandoquidem dimicat constare ex actis antiquis, numquam Episcopum in elencho sive Canonicorum sive Cleri fuisse relatum et inscriptum. Quare, praeter canonicas sanctiones, adest quoque favore Capituli consuetudo fere immemorabilis, qua sancita manet Archiepiscopi exclusio a capitularibus conventibus et a ferendo suffragio.

Quae quidem consuetudo a Capitulo eiicitur ad aliud etiam votum detrahendum ab iis sex, quae reliqua fuissent pro acceptatione sententiae Archiepiscopalis, votum scilicet Canonici Iosephi infirmi et absentis, qui suffragium misit Archidiacono scriptum, ut ceteris adderetur pro deneganda appellatione. Sed hoc etiam a calculo votorum detrahendum instat Capituli defensor, quia non licet infirmis et absentibus votum suum aperire, vel alii scriptum committere. Excepto enim casu electionis Vicarii capitularis, quo sciscitari debet suffragium etiam Canonicorum, mala valetudine laborantium, nunquam potestas facta fuit infirmis, iure suffragii uti in iis Capituli actibus, a quibus propter infirmitatem absunt. Ad hoc autem ut in electionis casu valide proprium votum emittant, licet infirmis vel procuratorem ad suffragium ferendum constituere, vel si malint per se ferre, duo e Capitulo scrutatores ad eos accedere debent, et ab infirmi manu schedam suffragii recipere. Ita docent *Reiffenstuel lib. 1 decret, tit. de Electione n. 138 et seqq. et num. 9. - Schmalzgrueber de Elect. num. 27. Piringh. eod. tit. num. 146* aliique plures.

DEFENSIO PARTICIPANTIUM. Ex altera vero parte patronus qui Participantium partes agit, in duas paragraphos allegationem suam dividit, in quarum prima Canonicos dissidentes appellare non posse qua corpus morale, nempe uti partem Capituli; in altera vero eosdem neque qua singulos appellare posse demonstrare contendit.

Ac ad primam quod attinet, certum exploratumque in iure esse decertat, potestatem Capituli in maiore et saniore Canonicorum parte consistere, ita ut quod per maiorem et

saniorem partem peragitur, a toto Capitulo peractum intelligatur, appellationem non admittat, et appellatione remota praevaleat: *Barbosa de Canon, et Dignit. cap. 38 n. 3.* Cum autem in themate ex quiadecim Canonicis octo sententiam acceptaverint, et nonnisi septem appellationem interponere censuerint, concludendum sustinet, maiorem Capituli partem, ideoque totum Capitulum, sententiam ratam et acceptam habuisse, quia maior Capituli pars censetur ea, ubi est maior numerus votantium respectu totius Capituli praesentis: *Reiffenst. lib. 3 Decret, tit. 11 de his quae fiunt etc.* Quod autem et sanior Capituli pars pro sententiae acceptatione votum emiserit, ex eo deducit quod inter acceptantes et Archidiaconus qui est prima Capituli Dignitas, et ipse Archiepiscopus, qui ad Statutorum Cathedralis tramites est etiam Canonicus, connumerantur. Neminem autem latere ait, saniorem Capituli partem eam censeri, quae constat viris dignitate, aetate , prudentia, pietà teque magis conspicuis *Reiffenst. loc. cit.*

Frustra autem, pergit, ad enervandam capitularem resolutionem, adversarii votum Archiepiscopi excludere pertentant, quia ipse iudicem constituit. Archiepiscopus enim, quamvis iudicem dederit, poterat utique tamquam Canonicus votum dare ; tanta enim ad mentem sacrorum canonum est differentia inter personam delegantis et personam delegati, ut a delegato ad delegantem etiam appellatio dari possit, teste *Reiffenst. lib. 1 Decret, tit. 28 num. 93.* Et quamvis a Vicario generali ad Episcopum, generaliter loquendo, appellatio non detur, attamen admittitur in causis criminalibus et beneficialibus quando Vicarius generalis fuerit specialiter delegatus, ad tradita per *Barbosa in collect. Doct. in Conc. Trid. Sess. 13 de ref. cap. 2 n. 3.*

Accedit, prosequitur orator, quod Archiepiscopus ceterique Canonici acceptantes sententiam iudicis delegati, votum dederunt non proprio favore, sed contra semetipsos et contra proprium interesse. Cum igitur , concludit orator , Archiepiscopus votum dederit contra proprium interesse, motus tantum dicendus est ab iustitia. Participantibus reddenda.

Sed tanta, urget, est differentia actorum, quae fiunt ab Archiepiscopo *qua talis,* ab iis quae fiunt ab Archiepiscopo *qua Canonicus,* ut si Archiepiscopus Canonicus intervenerit comitiis capitularibus, et appellari velit a gestis in Capitulo, appellatio institui debeat coram ipso Archiepiscopo, non *qua Canonicus,* sed *qua Archiepiscopus ;* quia hoc in casu non appellatur ab eo ad eumdem , sed ab inferiore ad superiorem; quemadmodum si qua Canonicus Capitulo intersit, et Capitulum .sit negligens, ad eum tamquam Archiepiscopum seu superiorem fit devolutio: *Barbosa De Canon, et Dignit. cap. 35 num. 13.*

Cum igitur, subsumit, ab iis quae gessit Capitulum appellari possit ad Episcopum, qui Capitulo tamquam Canonicus interfuit; a fortiori distinguendus est Episcopus Canonicus ab Episcopo Praelato, quando non ipse, sed alter ab eo differens sententiam pro, vel contra Capitulum tulit, licet ab eo iurisdictionem acceperit, quia actus Episcopi Canonici, alii omnino sunt ab actibus Episcopi Praelati; ac per consequens nullo pacto dici potest Archiepiscopum in themate, qua Canonicum interloqui et votum dare non potuisse, secus enim absurdum sequeretur quod conditio Archiepiscopi Canonici deterior esset, eo ipso quod est Archiepiscopus , contra notissimum iuris principium quod *nemini officium suum debet esse damnosicm.* Ex quibus concludit orator iniuria adversarius validitatem voti Archiepiscopi impugnare.

Minusque respui posse tenet votum Canonici, qui domi infirmitate detentus, procuratorem constituit Archidiaconum ipsum, qui suo nomine votum in Capitulo promeret. Sane ad rite recteque procuratorem constituendum tria requiri tenet cum *Pirhing de elect. tit. 6 sect. 3 §. 4 num. 155,* nempe: **1.** Ut qui procuratorem dat, sit absens a loco , ubi debet fieri electio, et sit in loco, ex quo possit et debeat vocari ad eligendum ; *2.* Ut iusto impedimento detineatur, ob quod ad electionem venire non possit; 3. Ut uni de collegio eligentium, non extraneo vices suas committat. Inter iusta autem impedimenta infirmitatem, .qua quis detinetur, enumerat

cum eodem *Pirhing loc. cit. num. 146.* Atqui, pergit orator, Canonicus absens erat ab aula capitulari, sed in eadem civitate domi manebat; iusto detinebatur impedimento, gravi enim laborabat infirmitate; procuratorem constituit non extraneum, sed ipsum Archidiaconum Capituli: ergo cum tria iuris requisita in eodem adamussim concurrant, nemo illi ius auferre poterat edendi votum per procuratorem.

Inutiliter autem opponi sustinet, procuratorem constitui posse tantummodo dum de electione agatur; contrarium enim verum esse tenet *Schmazlgr. de elect. num. 24.* Consonant *Pirhing de elect. sect. 3 num. 140** et ex novissimis canonistis *Iscard. in Praelect. iur. can. tom. 2 §. 423 num. 2.* Cum igitur, concludit orator, quisque Canonicus legitime impeditus possit votum suum ferre per procuratorem in omnibus gravioribus Capituli negotiis, necessario sequitur, Canonicum gravi morbo domi detentum, iure suo usum fuisse quando votum suum dedit per procuratorem pro acceptatione sententiae, Capitulo contrariae.

Cum ergo, ait orator, octo Canonici votum dederint pro acceptatione sententiae, contra septem qui aliter sentiebant, sequitur quod actus acceptationis validus retinendus sit, et nulla esse debeat appellatio a dissidentibus interposita, qua corpus morale, seu qua Capituli pars.

Ad secundam suae allegationis paragraphum descendens orator, dissidentes multo minus *qua singulos* appellationem interponere potuisse propugnat. Sane iudicium institutum fuisse tenet non inter singulos, sed inter corpus Participantium, repraesentans massam communem, et corpus Canonicorum repraesentans massam fraternam, uti deduci autumat ex citatione introductiva iudicii diei 22 Septembris 1879, ex speciali iudicis delegatione, ex notificatione motae litis facta adversae parti, ex litis contestatione, ac tandem ex iudicis definitiva sententia, ideoque semel probata et acceptata per corpus Canonicorum lata sententia, minor eiusdem corporis pars nequit amplius ab illa appellare.

Potiori autem ratione pro nullitate appellationis conclu-

dendum sustinet orator, quia iudicium non respicit directe» primario et separatim singulos Canonicos, sed totam Massam communem, et totam Massam fraternam , et nonnisi indirecte et secundario singulos Canonicos , qui de iisdem participant, ad tradita per *Reiffenst. in reg. 29 iur. in 6* quae ait: *quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari* - ibi -
< Plures vel omnes ut universos, vel collective, collegialiter,
» et in communi sumptos, ac prout unum corpus_____consti-
» tuunt, aliquid tangere.... dicitur, quando illud non ad quem-
» vis in specie aut individuo, sed ad totum Collegium... Ca-
< pitulum etc. pertinet, uti sunt fundi, praedia_____in quorum
» proin alienatione vel violatione non de singulari, vel cu-
» iuslibet in specie aut individuo, sed totius_____collegii—
> iure ac praeiudicio directe, primario, ac principaliter agi-
» tur ; quamvis indirecte, secundario, ac minus principaliter
» etiam singulos tangat_____in quo sensu.... non omnium,
» sed maioris dumtaxat partis consensus et approbatio re-
» quiritur. »

Porro certum in iure esse ait, quod uno tantum casu in capitulo requiritur consensus singulorum, quando nempe directe et separatim agitur de negotio singulorum, seu quando hoc negotium concernit singulos Canonicos separatim, et eorum praeiudicium singulariter et primario attingit, secus si secundario: *Barbosa de Canon, et Dignit. cap. 38 n. 13.* Explorati autem facti esse, subsumit, quod neque Canonici detrimentum passi sunt, vel pati poterunt, nam quod detractum est a Massa communi, adiectum fuit Massae fraternae, et quod separandum erit a Massa fraterna, adiiciendum erit Massae communi, de qua et ipsi Canonici participant.

At, prosequitur orator, eliam in damnata hypothesi quod negotium de quo agitur, omnes Canonicos, uti singulos directe et primario respiceret, non omnium votum requireretur, sed maioris partis dumtaxat, quia agitur de debito solvendo Participantibus; et neminem latet *cit. reg. 29 Iur. in* **6** fallere in pluribus casibus, et pra3sertim in favorem liberationis a debitis, quo in casu Praetor sequi tenetur maioris

partis voluntatem favore liberationis *Reiffenst. ad cit. reg. 29 Iur., in 6. Quod omnes tangit etc. num. 12.* Agi autem in casu revera de debito erga Participantes, deducit orator ex sententia iudicis delegati, nec non ex lege edita mense Februario 1876 a S. C. C. cuius vi Parochi tenentur suam praebendam in communem massam referre. Quaquaversus igitur, concludit, controversia spectetur, illud tantum vigere debet quod maior Capituli pars constituit, abstinentiam nempe ab appellatione et lite, et debiti solutionem erga Participantes, ut maioribus expensis pareatur, et capitales inimicitiae quae de facili orirentur, compescantur. *Reiffenst. lib. 1 Decret, tit. 34. n. 2.*

Hisce utrinque perpensis, Emorum PP. iudicio remissum fuit decernere quomodo esset dirimendum

Sì ubìum

An constet de legitima appellatione in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congr. Concilii, re cognita, sub die 12 Martii **1881** censuit respondere:

Negative.

Sub die **10** Septembris **1881** reproposita fuit quaestio haec sub dubio - *An sit standum vel recedendum a decisis in casu* - et responsum paruit - *In decisis et amplius.*

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Quod per maiorem et saniorem Capituli partem decernitur, intelligi debere a toto Capitulum peractum fuisse, neque appellationem admittere, et praevalere, appellatione remota.

II. Dubium haud exurgere posse in themate, maiorem sanioremque partem eam esse in qua octo canonici adversus septem decertant, et in qua cum aliis suffragia ferunt Ordinarius et Archidiaconus, prima Capituli dignitas.

III. Canonicum infirmitate domi detentum posse, in omnibus gravioribus Capituli negotiis, suum dare votum per pro-

curatorem; quinimo, iuxta nonnullos doctores, etiam non impeditum legitima causa, posse in omnibus constituere procuratorem, excepto electionis negotio **(1).**

SUSPENSIONIS, IRREGULARITATIS ET PRIVATIONIS PAROECIAE, DAMNORUM ET EXPENSARUM

Die 20 Martii et 29 Maii Ì880.

COMPENDIUM FACTI. Stephanus sacerdos dioecesis G. inita vix sacerdotio, ad viceparochi munus obeundum missus in Oppidum O. ob ingenii asperitatem discordias fovisse videtur, nedum cum parochianis, sed et ipso cum parocho, qui ideo recursum habuit ad ecclesiasticam auctoritatem.

Vacante praeterea Sède episcopali, vacavit et Ecclesia Oppidi G. hinc Vicarius capitularis eum ad hanc Ecclesiam transtulit, ut Oeconomi curati officio fungeretur. Quo in loco degens subditorum aversionem in se pariter concitasse, ipsis civilibus auctoritatibus minime exceptis, apparet ex litteris praepositi regiae secretariae Status et iustitiae ad Capituli Vicarium datis.

Quibus tamen minime obstantibus, Vicarius perpetuus efficitur, etsi Ecclesia ista Mensae episcopali unita foret. Ex hoc' tamen haud ipsius agendi ratio immutata fuisse videiur. Quandoquidem pertaesus recursibus in eum, regius generalis Procurator Vicarium capitularem certiorem scripto fecit, Vicarium paroeciae G. plures iam subiisse criminales pro-

(1) Abbas *in cap. Quia propter de elect.* relatas a Bened. XIV *quaest, tan. 122* habet: « Collige et tene menti » quod in alio negotio potest quis Pro- » curatorem constituere, ut vice sua in- * tersit universitati, licet ipse constituens possit esse per se. Nam speciale » statuitur hic in electionis negotio. » Ergo in aliis negotiis, explicandis per » capitulum, potest etiam non impedi- » tus Procuratoremconstituere per ipsum » textum. »

eessus et eius agendi rationem talem esse, quae loci publicam tranquillitatem perturbare queat.

Huc res pervenerant, cum novus eligitur Episcopus, qui omnia componere studebat, sacerdoti Stephano indubia benevolentiae indicia praebens. Verum processu temporis civiles auctoritates pertaesae a reclamationibus contra Parochum, ad Episcopum confugerunt, ut illum cohiberet opportunis remediis. Episcopus ter eum paternaliter monuit, ut agendi, et vivendi rationem mutaret, et subditorum amorem sibi conciliare satageret. Verumtamen iste nullam emendationis spem praebuit, imo indignatus, Episcopum iniuriis, contumeliis atque calumniis affecit, et scripto typis edito ac per totam Sardiniae insulam diffuso, eius nomen atque existimationem deturpare statuit.

Obstupuit hac de re Praesul, et ad Episcopale decus vindicandum, ab Apostolica Sede, exposita factorum historia, petiit quid hoc in discrimine agendum foret. Atque habito responso, ut iure suo uteretur, in vim ***cap.*** *1.* ***sess.*** *14.* Concilii Tridentini, eum ab exercitio sacrorum ordinum, usque ***ad beneplacitum*** suspendit; et a parochiali beneficio removit donec a s. Sede aliter disponeretur.

Interea cum Presbyter parochiam, et res parochiales tradere recusaret, processus in eum institutus fuit, instante Promotore fiscali. H*nc publica documenta allata sunt, testes formiter auditi, qui interposito iuramento, nedum de incivili Parochi agendi ratione, de odio atque inimicitiis populi testati sunt, sed et de eius vita turpiter acta, licet eius zelum et assiduitatem in Ecclesia praedicaverint. Absoluto processu, eum vadatus fuit, ut iudicio sisteret, et defensionem pararet, sed ipso in contumacia persistente, sententia edita fuit die 20 Maii, 1877 quae eum paroecia omnino privavit.

Ab notificata sententia Stephanus per Secretariam Status ad s. Sedem appellationem interiecit. S. C. Congr. habito epistolio Secretariae Status, rescripsit - ***Utatur iure suo coram Curia Archiepiscopali.***

At Stephanus sacerdos iugiter obstinatum se exhibuit ad

parochiam et res parochiales tradendas ; et nedum divina peragere, sed et sacramenta administrare voluit. Hinc Episcopus eum irregulärem publice declaravit.

Disceptatio gynoptiea

EPISCOPI DEFENSIO. Qui partes agit Curiae Episcopalis praemittit, huius causae definitioni locum fieri haud posse, quia deficit recursus ad s. Sedem, quoad suspensionem *ex informata conscientia,* et deficit appellatio quoad paroeciae privationis sententiam, a Curia latam, ceu ex factorum expositione eruitur.

Hisce non obstantibus, defensionem peragit, et primo ait : decretum suspensionis nutare haud posse, quia suspensio lata fuit non leves, sed gravissimas ob causas, et quia non perpetua est, sed temporanea. Quod autem inflicta fuerit ob gravissimas causas, id probare nititur 1. ex eo quod Stephanus ob incivilem, atque imprudentem agendi rationem parochianorum animos ita acuit, atque irritavit, ut eorum inimicitias, aversionem, et odium in se concitaverit, civilium auctoritatum omnium animadversionem provocans : ***2.*** quia turpiter, et scandalose vixerit, uti patet ex testium depositione in processu relatorum : 3. ex eo quod Episcopum calumniatus fuerit *libello famoso,* typis edito, et per totam Insulam Sardiniae diffuso : 4. quia scandala plurima suscitaverit ob plurimos processus, et carcerationes quibus suppositus extitit : 5. ex eo quod incorregibilem se iugiter praebuit, etsi Episcopus ter eum paternaliter admonuerit. Quod autem temporanea, et non perpetua fuerit suspensio, id manifestum apparere inquit : ex formula ipsa ab Episcopo adhibita. Dixit enim usque ad beneplacitum nostrum, et donec aliter a s. Sede disponeretur. Opus haud fuisse trina monitione, eruitur, ait Orator, ex hoc quod suspensio lata fuerit ex *informata conscientia.*

Statuta validitate suspensionis, iam de iustitia decreti irregularitatis ambigi haud posse edicit. Certum enim in

iure est, suspensione irretitum, si eam violat, incidere in irregularitatem. Porro uti explorati facti est, sacerdotem Stephanum suspensione percussum fuisse ah Episcopo, ita pariter explorati facti est, ab eo huiusmodi suspensionem violatam fuisse, missas celebrando, et sacramenta administrando, ceu ex actis manifestum erumpit. Hinc irregularitatem contraxisse indubium est, ac propterea decretum Episcopi, quo dictum Sacerdotem irregulärem esse publice declaravit suis consistere viribus nemo non videre ait.

Gradum faciens orator ad sententiam privationis paroeciae, eam confirmandam esse substinet. Siquidem, re inspecta, iustitia sententiae luce clarior effulget. Sane statuit Summus Pontifex Clemens XIV, *Constitutione Inter Multiplices,* vicarios parochos insulae Sardiniae, nulla praeeunte iuris solemnitate, sed summario tantum instituto processu, animarum cura expoliari posse. In themate vero per formalem processum, declarata eius contumacia, sententia lata fuit privationis paroeciae. Praeterea in iure certum est, Vicarium capitularem, sede vacante, ea beneficia conferre non posse, quae ad liberam solius Episcopi collationem pertinent ; Reiffenstuel *lib. 3 decret, tit. 9 n. 30.* « Ne sede vacante aliquid innovetur. »

Neque triennalis, aut decennalis praescriptio in themate iuvat, ceu innuit Rigantius *Comment, in regulam XXXVI Cancellariae n. 122, 140* - ibi - « Provisiones beneficiorum » factae a Vicario capitulari, sede Episcopali vacante, non » tribuunt titulum coloratimi, cum ei neque actu, neque ha- > bitu beneficiorum collatio spectet : et triennalis possessio » non suffragatur, si incontinenti evidenter constet de nul- > litàte, seu vitio tituli. > Quod autem nullum est, nullum producere posse iuris effectum, scitissimum in iure habetur.

Praeterea indubii facti esse subdit, Stephanum aspera, incivili, imprudentique sua agendi ratione parochianorum animos ita acuisse atque irritasse, ut eorum indignationem, aversionem, atque odium in se concitaverit; adeo ut omnes eius remotionem ac privationem paroeciae enixe desiderent,

optent, peu testes in processu relati, iuramento interposito, deposuerunt. Imo inimicitias populi eo pervenisse subsumit, ut ne sacramenta quidem ab eo amplius recipi vellent. Hinc sequitur iure ac merito parochia orbatum fuisse. Ita s. Congregatio passim et praecipue in *Baren. Resignationis et Reintegrationis die 29 Maii 1852 §.Iustitiam* - ibi - « Re- > ceptum apud s. Congregationem est, propter odium et ini- > micitias parochianorum, si eae iustae et rationabiles sint, > parochum officio esse privandum (1). >

Iamvero notissimum in iure existit parochos turpiter, et scandalose viventes, ulla absque formalitate, sed recta via, parochia esse privandos; Tridentinum *cap. 6. Sess. 21 de Re format.* Nec trina monitio defuit ex parte hodierni Episcopi, qui ter enixa prece eum deprecatus est, ut tam agendi, quam vivendi rationem mutaret, quin tamen aliquid proficeret.

Praeterea clericum si alium clericum calumniaium fuisse legitime probaretur, scitissimi iuris est beneficio, quo fruitur privandum esse. Ita passim Doctores, et Canonistae, et prae ceteris Reiffenstuel *lib. 5. decretal, tit. 2. n. IO. de Caium-maioribus,* Schmalgrueber *ius canonie, p. 1. tit. 2. n.25.* Huth *ius canon. lib. 5. n. 2. eiusdem tit.* Iamvero Stephanus *famoso libello* typis edito, et per totam Insulam Sardiniae diffuso, non Clericum, sed Episcopum calumniavit, ideo beneficio, quo fruitur privandum esse subiungit.

Tandem animadvertit, Stephanum per decem, et octo menses in suspensione, atque irregularitate pertinaciter insordisse. Porro qui per annum in censura insordescit, paroecia dèstituendum esse tradit Menochius *de arbitr. eas. 416* ***n.*** *5.* Quapropter etiam hisce de causis, sententiam privationis paroeciae omnino confirmandam arguit.

Hoc absoluto, ad ultimum orationis suae caput transit animadvertens, tum iure civili, tum iure canonico damna ab eo reficienda fore, qui ipsis causam dedit ; atqui non ex

(1) Confer Derthonen. relatam Vol. XII pag. 663; qua clarum fit etiam ob plebis odium, parocho» removeri poss» * paroecia.

culpa Curiae episcopalis, sed sacerdotis Stephani damna, si quae fuerint, evenerunt. Hinc ab eo damna, atque expensas reiiciendas fore concludit. Ceterum hac in re prae oculis habendam esse putat *Constitutionem Benedicti XIV Ad coercendus i Octobris 1755 § 21** ubi monet non facile, Curias ecclesiasticas ad expensas et damna emendanda cogendas esse, nisi de dolo constiterit.

Hisce breviter praenotatis, proposita fuere enucleanda sequentia

Dubia

I. *An decreta Episcopi, et sententia Curiae episcopalis substineantur in casu.*

Et quatenus Negative.

II. *An sit locus refectioni damnorum atque expensarum in casu.*

RESOLUTIO. Sacra Concilii Cong. sub die **20** Martii respondit - *Dilata* - Sub die vero **29** Maii **1880** censuit respondere :

Ad I. *Quoad decretum diei 20 Maii 1877, stante appellationis defectu, non esse interloquendum ; quo vero ad reliqua affirmative et amplius.*

Ad II. *Provisum in primo.*

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Suspensionem *ex informata conscientia,* qua Episcopus prohibet ascensum ad ordines et exercitium receptorum, sustineri quoties innixa fuerit, saltem uni occulto crimini, quod sufficiens sit ad illam incurrendam.

II. Adversus hanc iudicii extraordinarii formam, non dari appellationem, sed tantum recursum ad s. Sedem, cui Ordinarius aperire tenetur crimina,quibus lata nititur sententia.

III. Latam suspensionis sententiam in themate, omnimode sustineri, quum Episcopus eam tulerit consilio Apostolicae Sedis, cui iam criminum historiam pandiderat, consilium exposcendo.

IV. Quum in eiusmodi extraordinaria iudicii forma non detur appellatio, saltem in suspensivo (1), ideo irregulärem fieri, qui hac percussus censura, divina peragat et sacramenta ministret.

V. Presbyterum in themate irregularitate detineri, erui ab ipsa resolutione in qua legitur « *quo vero ad reliqua* (nempe relate ad Episcopi decreta, quibus presbyter suspenditur ab Ordinum exercitio, publiceque irregularis declaratur) *affirmative.*

VI. Pariter haud nutare Curiae episcopalis sententiam, iuris ordine servato latam, quoad paroeciae privationem, ex quo ipsa s. C. "Concilii respondit : *stante appellationis defectu non esse interloquendum* (2).

ABSOLUTIONIS ET REDUCTIONIS

Dit 14 Maii 1881

Per summaria precum

COMPENDIUM FACTI. Pia testatrix anno 1839 Cappellaniam instituit in Cathedrali P. conferendam pauperi Clerico pro sacro patrimonio. Huic autem clerico onus imposuit Missas celebrandi pro anima sua suique mariti. Episcopus anno 1854

(1) Appellatio habet effectum suspensivum quando impedit ne sententia deduci possit ad executionem; habet autem effectum devolutivum quando appellatio ipsa efficit, ut sententia lata, firma maneat, nisi a superiore annulletur, nec impedit quominus ad executionem deduci possit. Qua de causa cum in suspensione *ex infarinata canscientia* appellatio in *suspensivo* non detur, hinc firma manet donec a Sede Apostolica infirmetur: Interdum autem qui, hac irretitus sacramenta ministrat, rite irregularis fit.S C. Congr. in Segonensi 21 Iunii 1625 declaravit, irregularitatem contraxisse Parochum, qui ab Episcopo *ex informata conscientia* ab omni Parochiae exercitio suspensus, appellatione interposita, adhuc in celebratione et curae exercitio manebat* Confer etiam quidquid relatum est in appendice III. pag. 299. huius voluminis.

(2) Quum constet, presbyterum post decem dies, a lege constitutos pro appellatione, dedisse Epistolium Secretariae Status, quod locum libelli appellationis non tenet ; ideo vera et formalis appellatio defuit. Quapropter Curiae Episcopalis sententia, qua parochus prirabatur paroecia, rite in rem iudicatam transiit ; ideo S. C. Congregatio ait non *ctae interloquendum.* Quamobrem presbyter orbatus Parochia, suspensionis et irregularitatis censura ligatur.

decretum edidit, quo determinavit tot esse celebrandas Missas, quot sineret redituum vis, detractis expensis, cum eleemosyna Lib. 1, 25 pro qualibet Missa. Anno 1858 ad hanc vacantem cappellaniam nominatus fuit Clericus Alexander; cui a Patronis e Capitulo Cathedralis onus impositum fuit, ignoratur quanam auctoritate, litandi tantum 12 Missas annuas , dum annui reditus huius beneficii ascendant ad libellas 575, taxis subductis. Clericus, posthabendo Episcopi decretum, 12 Missas litavit ; nunc autem exposcit decreti Episcopalis modificationem, cum reductione, stabili ac perpetua, et absolutione pro tempore anteacto, annuente Episcopo.

Disceptatio «ynoptica.

Ante omnia praemonendum, quantitatem eleemosynae et iustam eius taxam desumendam esse, vel a communi consuetudine quae vigeat in dioecesi, vel a lege synodali, aut a decreto Episcopi, uti docent *Suarez in test. part. D. Thomae* tom. 3* quaest. 86* sect. 2 in prima et secunda conclus.* aliique citati a *Benedicto XIV in suo discursu* habito in causa Urbis* die 13 Aprilis 1726** cum S. C. C. Secretarii munere fungeretur ; tenuitque eadem s. O. C. in causa *Aprutina diei 15 Novembris 1698 lib. 48 decret, pag. 548** in qua propositis dubiis : « *Primo* quanta esse debeat eleemosyna Missarum manualium; secundo* quanta esse debeat pro perpetuis non taxatis a fundatoribus** respondit : *Sacra etc. ad primum et secundum censuit* attendendam esse consuetudinem loci* vel legem synodalem* quatenus adsit* sin minus statuendam esse per Episcopum eleemosynam competentem eius arbitrio.* Ex quo concludendum ad tramites iuris se gessisse Episcopum cum verba insti!utionis *cum onere celebrandi Missas* interpretatus, per decretum diei 10 Octobris 1854 statuit, tot missas celebrandas esse, quot reditus permitterent ad taxam libell. 1, 25 pro unaquaque Missa.

GRATIA DENEGANDA VIDETUR. His praemissis deneganda videretur absolutio a praeteritis omissionibus, quandoquidem in sacerdote Alexandro exulat bona fides, quae omnino requiritur ad hoc ut Summus Pontifex huiusmodi absolutionem concedat, ceu testantur innumerae S. C. C. resolutiones, ac praesertim in *Perusina Reductionis diei 3 Iulii 1784, et in Bononien. Servitii chori diei 20 Novembris 1787 ad 2 dubium.* Bonam autem fidem in Alexandro deesse exinde deducitur, quia cum nominatus fuit, onus novit Missarum iuxta Episcopi decretum, eidem patefactum.

Perperam autem, ad bonam fidem demonstrandam, confugeret ad reductionem factam a Patronis ; misso enim quod pia fundatrix neque sibi, neque aliis ius patronatus reservavit, misso etiam quod patentes Episcopi litterae ad tramites decreti anni 1854 eidem concessae, reductionem a Patronis antea factam nullius ponderis reddidere ; a Summo Principe tantum Missarum reductionem concedi posse, nemo est qui ignoret, cum ipsius tantum sit supremas morientium voluntates moderari.

Minusque Missarum reductio in themate concedenda videtur. Sane exploratum in utroque iure est, ultimas morientium voluntates ad instar legis haberi, et ad unguem implendas esse. *L. 12 et 120 ff. de verb. signi f. Nov. 22 cap. 2 Can. ultima voluntas dist. 13 quaest. 2 Cap. Si haeredes et Tua nobis de Testam. Çlem. Quia contigit de Relig. dom. Trid. cap. 8 sess. 22 de ref.*

His praescriptionibus adhaerens S. C. C. non semel, neque bis Missarum reductionem denegavit, uii videre est in *Romana Onerum Missarum* **15** *Decembris 1714,* in *Albanen. Capellaniae 23 Apr. 1734, Nicien. Onerum Missarum 1780,* et in *Romana Reductionis Missarum 29 Maii 1824.*

GRATIA CONCEDENDA VIDETUR. E contra perpendendum quod oblatae preces benigno favore prosequendae videntur, sive quoad absolutionem super praeteritis omissionibus, sive quoad reductionem in futurum, eo quod favorabile Episcopi votum praeseferunt, quod in huiusmodi quaestionibus maximi

facere S. C. C. in more habet. Quin opponere liceat, quoad absolutionem, malam fidem sacerdotis Alexandri ; quandoquidem perpendendum in primis, ad huiusmodi absolutionem obtinendam, bonam fidem non adeo necessariam esse, ut, ea deficiente, absolutio omnino et iugiter sit deneganda. Insuper animadvertendum, bonam fidem in themate non defecisse, cum Sacerdos Missas omnes non celebraverit,[1] nisus facultate sibi facta a Patronis, qui eum nominarunt, onere iniuncto duodecim dumtaxat annuas Missas celebrandi : quod quidem in eo malam fidem excludere videtur.

Minusque Missarum reductionem iuxta Episcopi votum denegandam censerem. Sane generalia testamenti verba: *«cum onere celebrandi Missas »* Missarum celebrandarum numerum non determinant, ideoque ex benigna et aequa interpretatione id statuendum arbiträrer ; quod locorum et temporum circumstantiae consulunt. Hasce porro circumstantias, ac signanter maiora praetia rerum, quae ad honestam substentationem requiruntur, huiusmodi reductionem consulere, nemo est qui non videat.

Neque hoc devium est a S, C. C. praxi: quandoquidem, iuxta intercedente causa, non solum voluntatis divinum cultum respicientis commutationem concedere solet, ad tradita per *Trid. Sess. 22 cap. 6 de reform,* cui concinit resolutio in *Forolivien. Reductionis 12 Iulii 1799;* sed etiam legata Missarum suspendere, reducere, et quandoque supprimere, uti habetur in *Casalen. Commut. Onerum 30 Martii 1822**

Hisce utrinque perpensis, remissum fuit iudicio EE. PP. statuere quonam responso oratoris preces dimittendae essent.

RESOLUTIO. Sacra **O. O.** sub die **14** Maii **1881,** re ponderata, respondit :

Celebratis Missis decem pro gratia absolutionis quoad praeteritum, facto verbo cum SSnio. Pro futuro autem Episcopus determinet numerum Missarum, quotannis celebrandarum, non tamen infra centum.*

DISPENSATIONIS

Die 14 Maii 188 L

Per summaria precna

COMPENDIUM FACTI. Vertente anno **1767,** Societas quaedam Presbyterorum, Seminario dioecesano N. donationis titulo Cappellani a sacerdote Tortolini fundatam concessit, una cum bonis scutorum bis mille ac biscentum. Ob dictam donationem inest Seminario obligatio et satisfaciendi oneribus cappellae inhaerentibus, et alumnum a Congregatione Societatis nominandum, "gratis alendi ; nec ullus electus ac nominatus intelligitur, nisi duas ex tribus partibus suffragiorum obtineat.

Cum eligi deberet novus alumnus, concurrentium albo nomen dederunt quinque adolescentes, quos inter enumerabatur Nazarenus, decem annos ac sex menses natus. Hic vero pernoscens ob aetatis defectum valide eligi non posse, priusquam Congregatio haberetur, SSmo preces obtulit petens, ut sibi ab hoc aetatis impedimento dispensationem elargiretur. Societas Presbyterorum vero ad actum nominationis devenit antequam expetita gratia postulanti concederetur et, ceteris concurrentibus neglectis, quorum nemo duas ex tribus votorum partibus obtinuit, praefatum Nazarenum nominavit, quatuordecim, ex decem et octo suffragiis, eidem conferens.

Quo factum est, ut Blasius, pater unius ex posthabitis, aegre ferens, suum filium nomine Ioseph, clericum aetate viginti unius annorum constitutum, ac rethorices studio vacantem, huic puero postponi, s. C. Congregationi supplicem dederit libellum petens, ut electio Nazareni ob aetatis defectum nulla declararetur.

Disceptatio Synoptlca

QUAE NAZARENO FAVERE VIDENTUR. AC in primis electio Nazareni valida esse videtur. Quamvis enim *Conc. Trident.*

sess. 23 cap. 18 de Reform, iubeat in Seminario recipi qui ad minimum duodecimum annum attigerint, tamen praxis fere universalis est, quod recipiantur et ii qui ad dictam aetatem nondum pervenerint. Neque obstare videtur recens decretum S. C. O. *in TJtinen. diei IO Iunii 1876* (1) quandoquidem cum inibi praecipiatur « *qui aluntur expensis* y *Seminarii posse recipi inchoato anno duodecimo, reti-** » *quos vero non comprehendi in lege Tridentina;* » cumque in themate agatur de recipiendo adolescentulo alendo ex fructibus bonorum quae Presbyterorum Societas Seminario *ad hoc* donavit, sub Tridentina lege comprehendi non videtur. At in hypothesi quod per bonorum donationem Seminario factam, electus Nazarenus ex defectu aetatis incapax dictae provisionis obtinendae considerari velit, tamen rationes non desunt quibus S. Pontifex cum eo super dicto impedimento dispensare possit. Siquidem ratio habenda videtur de praesentationis actu ex parte Congregationis, quae favore huius adolescentis suam voluntatem fere unanimiter pandidit ; et ipsa non solum bona huius alumnatus constituit, sed et iure nominationis gaudet.

QUAE CONTRA NAZARENUM FACERE VIDENTUR. Contra vero dicendum videtur, Nazarenum valide electum non fuisse. Clara enim sunt Tridentini verba *Sess, 23 cap. 18 de reform.,* iuncta decreto S. C. C. *in TJtinen.;* quibus declaratur incapax Seminarium ingrediendi, ut eiusdem expensis vivat, qui infra duodecimum aetatis annum existit. Nazarenus autem decennis cum sit, nondum capax esse videtur : electio autem incapacis ex *cap. 7 et 42 de elect. et elect. potest,* invalida dicitur. Quae etiamsi statuta sint de beneficiis, concludenter tamen et huic casui applicari posse videntur ob analogiam actus. A fortiori autem hoc verum videtur si incapacitas electi ab electoribus sit agnita, ut in themate accidisse constat: quia in Congregatione, ad hoc habita, adfuerunt aliquae protestationes. Ex quibus protestationes nota omnibus fieri

(1) Habes huiusmodi decretum Vol. IX, pag. 339.

debuit Nazareni incapacitas, ac proinde nominatio et praesentatio Nazareni nulla dicenda videtur. Perperam autem obiiceretur Seminario onus incumbere alumnum gratis alendi, in correspectivum acceptatae donationis, ideoque Nazarenum in themate non comprehendi sub lege Tridentina. Siquidem semel ac Seminarium donationem acceptavit, donatorum bonorum dominium in illud translatum est, semperque verificatur quod Nazarenus expensis Seminarii aleretur.

Sed neque cum eo dispensare super aetatis impedimento congruum esse videtur. Nazarenus enim puer est decennis, qui nondum potest suam vocationem ad clericalem statum concludenter "affirmare ; ceteri autem concurrentes et studiis et aetate praestant. Nihil autem faciendus videtur, ad dispensationem concedendam, praesentationis actus. Cum enim inconsulta appareat electorum gratia, sapiens legis ordo invertendus non videtur.

Quibus praenotatis, iudicio EE. PP. remissum fuit decernere quonam responso essent dimittendae oratoris preces.

RESOLUTIO. Sacra C. Congregatio, re cognita, sub die **14** Maii 1881 respondit :

Negative et fiat nova electio.

Ex **QUIBUS COLLIGES :**

I. Ex Tridentino *Sess. 23 cap. **18** de ref.* declarari incapacem ingrediendi Seminarium, qui infra duodecimum aetatis suae annum constitutus fuerit, si tamen expensis Seminarii alendus sit.

II. Ex recenti declaratione S. C. Congregationis constitutum fuit sufficere, ut annus duodecimus inchoatus sit, pro illis, qui in Seminario gratis aluntur, *reliquos vero non comprehendi in lege Tridentina.*

III. Electionem in themate nullam *iure* fuisse videri,eoquod electores scienter iuvenem aetate incapacem elegerint : alendos enim Seminariorum expensis duodecimum saltem inchoavisse annum oportet, iuxta decretum in *TJtinen.* 10 Jun.1876.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

DE CONSISTORIO HABITO DIE 27 MARTII 1882

SSmus Pater hac mane, habita allocutione, ex tribus Cardinalibus S. R. E. creatis et reservatis in pectore die 13 Decembris 1880, publicavit

Ex Ordine Diaconorum

R. P. D. Franciscum Ricci-Parracciani Praefectum domui Sanctitatis Suae, natum Romae die 8 Iunii 1830.

R. P. D. Petrum Lasagni, secretarium s. Cong. Consistorialis sacrique Collegii Emorum Cardinalium , natum Romae die 15 Iunii 1814.

Eadem Sanctitas Sua creavit et, publicavit Cardinales S. R. E.

Ex Ordine Presbyterorum

R. P. D. Dominicum Agostini, Patriarcham Venetiarum, natum Tarvisii die 31 Maii 1825.

R. P.D. Carolum Martialem Allemand Lavigerie, Archiepiscopum Iuliae Caesareae, seu Algerian. natum Esprit Dioecesis Aturen, die 1 Octobris 1825.

R. P. D. Ioachim Lluche y Garrïga e Carmelitis calceatis, Archiepiscopum Hispalen. natum Marresae, Dioecesis Vicen. die 26 Februarii 1816.

R. P. D. Heduardum Mac-Cabe , Archiepiscopum Dubleni, natum Dubleni die 14 Februarii 1816.

Ex Ordine Diaconorum

R. P. D. Angelum Iacobini, Adsessorem S. R. U. Inquisitionis, natum Cynthiani Dioecesis Albanen, die 25 Aprilis 1825.

Post haec SSmus Pater proposuit sequentes Ecclesias :

SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER ratum habens sacrae Congregationis rebus Consistorialibus praepositae decretum u *Sapienti maioram consilio* » datum, die septima Martii **1882** , referendum in

Apostolicam Bullam per Cancellariam Apostolicam expediendam, atque attentis praerogativis tum antiquitatis, ac fidei, pietatisque ab aevo Apostolico invectae, tum Praesulum, aliorumque virorum martyrio, sanctimonia, doctrina, opere, gloriâque illustrium, queis praefulget Perusina Sedes, quam Sanctitas Sua ante Eius ad Summi Pontificatus apicem evectionem, triginta duobus annis scite, sapienterque gubernavit, paternis curis excoluit, et tot benefactis auxit, illustravitque, vel qua Apostolicus Perusinae provinciae Praeses, vel qua solertissima Cathedrae illius Antistes, statuit atque decrevit perenni benevolentiae Suae Apostolicae testimonio , praeclara Ecclesiae Perusinae merita altiori, sublimiorique ecclesiasticae hierarchiae gradu atque honore cumulare.

Quocirca idem Sanctissimus Dominus Noster, praevia suppressione tituli, nuncupationis et appellationis Cathedralitatis et Episcopatus, de Sua potestatis plenitudine, motuque veluti proprio ad nomen, dignitatem, conditionem, titulum, gradum atque honorem *Archiepiscopalis* Sedis , sed absque Suffraganeis Episcopis, ex praecitato sacrae Congregationis Consistorialis decreto evexit Ecclesiam Perusinam.

Summus praeterea Pontifex speciali dilectione prosequi volens Eius in ipsa Sede successorem R. P. D. Fridericum Foschi, hodiernum Ecclesiae Perusinae Antistitem, Apostolica Sua auctoritate annuere ac decernere dignatus est, ut ipse, Archiepiscopali assumpto titulo, Ecclesiam eamdem ad sublimiorem ecclesiasticae hierarchiae gradum, dignitatem et honorem evectam, tituloque Archiepiscopali et nomine praeditam , nedum obtinere, regere et administrare, sicut antea pergat, absque altera bullarum Apostolicarum, expeditione, sed et utifrui annulo, cruce archiepiscopali sacroque Pallio de Corpore beati Petri sumpto in praesenti Consistorio, sicuti mos est, petendo atque postulando.

CATHEDRALEM ECCLESIAM ORIOLEN. favore R. P. D. Victoriam Guisasola et Rodríguez, hactenus Episcopi Titularis Dorae in Palestina et insimul Prioris Ordinum Militarium Cluniae, ad praesentationem serenissimi Regis catholici.

CATHEDRALEM ECCLESIAM OVETEN. favore R. P. D. Sebastiani Herrero et Espinosa de los Monteros, ad praesentationem serenissimi Regis catholici.

CATHEDRALEM ECCLESIAM ABULEN. favore R. P. D. Cyriaci Mariae Sancha Hervás, hactenus Episcopi Titularis Areopolis in Arabia, ad praesentationem serenissimi Regis catholici.

CATHEDRALEM ECCLESIAM CON-

CHEN. favore R. P.D. Ioannis Mariae Valero , hactenus Episcopi Tudensis, ad praesentationem serenissimi Regis catholici.

CATHEDRALEM: ECCLESIAM NIVARIEN. seu s. Christophori de Laguna, favore K,. P. D. Hyacinthi, Mariae Cervera et Cervera, hactenus Episcopi Titularis Hypsopolis in Phrygia, ad praesentationem serenissimi Regis catholici.

CATHEDRALEM ECCLESIAM RIPAN. favore R. D. Iosephi Ceppetelli Presbyteri Romani. Qui ex legitimis , catholicis , honestisque parentibus Romae progenitus, tricesimum sextum aetatis suae annum supergressus est. Presbyteratus -ordine, ac penes romanam universitatem tum iuris utriusque doctorali, tum in facultate theologica laurea ad honorem dudum donatus, Studio sacrae Congregationis Concilii addictus et inter academiae theologicae socios adscitus, piae unionis a s. AngeloPraeses, et spiritualibus exercitiis mulieribus tradendis in pia domo ad s. Paschalem Deputatus electus , Canonicus-Parochus ad s. Angelum in Poro Piscium ad praesens usque renuntiatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM TUDERTIN. favore R. D. EugeniiLuzzi, Presbyteri Spoletani. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Spoleti progenitus et quinquagesimum octavum aetatis suae annum supergressus Spoletana in Curia Auditorem agens legalem, ac inter Iudices et Examinatores pro-Synodales, Convisita toresque adscitus, penes Collegiatam s. Gregorii maioris, ac successive illa in Metropolitana Canonicus, Capituli Camerarius, et hucusque Archidiaconus renuntiatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM CASSEN ATEN, favore R. D. Ioannis Mariae Strocchi, Presbyteri Paventini. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Fa-, ventiae progenitus et in octavo supra quinquagesimum aetatis suae anno constitutus est. Penes patrium gymnasium Praefectum agens, ët sacrae scripturae, historiae ecclesiasticae, ac theologiae moralis praelectiones dioecesano in seminario tradens, inter pro-synodales Examinatores adscitus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM EUCERIN, favore R. P. Rochi Anselmini, presbyteri Reciñetensis. Qui ex legitimis , catholicis honestisque parentibus Recineti progenitus, in quadragesimo quinto aetatis suae anno constitutus est. Romae inter alumnos Pontificii seminarii Pii adnumeratus, ibique presbyteratus ordine, et in philosophia, sacra theologia, ac utroque iure dudum doctorali laurea ditatus est. Canonicus-Theologus hucusque renunciatus , et penes ipsum seminarium Recineti theologiae moralis professorem agens, eiusque civitatis ac dioe-

ceseos Vicarii in spiritualibus generalis muneribus ad praesens usque perfunctus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM VOLATERRANI favore R. D. Iosephi G-elli presbyteri Lucani. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Lucae progenitus et sexagesimum aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, ipsa in urbe penes collegiatam s. Alexandri maioris Prior-Parochus hucusque renuntiatus est .Archiepiscopali in seminario exegeseos biblicae antecessorem agens, ordinandorum deputatus et convisitator archidioecesanae perlustrationis constitutus, inter Examinatores et Iudices prosynodales adscitus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM FODI AN. favore R. D. Dominici Marinangeli presbyteri Aquilanae archidioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen ***Rocca di Cambio,*** Aquilanae archidioeceseos progenitus , in quinquagesimo tertio aetatis suae anno constitutus est. Penes Gregorianam universitatem Romae dudum laurea doctorali in sacra theologia et iniure canonico donatus, archidioecesano in seminario'theologiae dogmaticae professorem agens,inter pro-Synodales Examinatores cooptatus, atque canonicus-theologalis apud Aquilanum Capitulum hucusque renunciatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM MANDELEN. cum ei adnexo titulo Abbatialis Ecclesiae s. Salvatoris maioris vacan, per translationem R. P. D. Angeli Rossi ad sibi invicem canonice unitas Sedes Cornetanam ac Centumcellarum, favore R. P. Fr. Luciano e G-raecio Ordinis Minorum Observantium s. Francisci expresse professi, Presbyteri dioeceseos Reatinae. Qui ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in terra Graecii dioeceseos Reatinae progenitus , in sexagesimo primo aetatis suae anno constitutus est. In philosophica facultate lectorem agens, indeque theologicas Venetiis tradens praelectiones, inibi Custodis et a Secretis Provincialis munere perfunctus est. Pro sua Umbriae provincia Minister Provincialis plures per annos electus, Conventus s. Mariae Angelorum penes Assisium custos hucusque renunciatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM PREMISLIEN. Latini ritus, favore R. D. Lucae Selecki, presbyteri archidioeceseos Leopoliensis, latini ritus , ad nominationem sacrae Caesareae Maiestatis Francisci Iosephi I. Austriae Imperatoris,Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici. Qui ex legitimis, catholicis, nobilibusque parentibus in pago ***Yawcze,*** et paroecia ***Zorow*** archidioeceseos Leopoliensis latini ritus progenitus, quinquagesimum quartum aetatis suae

annum supergressus est. Penes Leopolitanam universitatem*- studii biblici veteris testamenti, sacraeque theologiae professorem agens, Canonici Scholastici in metropolitana Leopoliensi, Rectoris seminarii clericorum, atque Examinatoris pro-synodalis muneribus hucusque perfunctus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM Vr-**CEN.** favore R. D. Iosephi Morgádes et Gili Presbyteri dioeceseos Barcinonensis, ad praesentationem serenissimi Regis catholici. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, qui vulgo dicitur *Villa-franca del Panades* , dioeceseos Barcinonensis progenitus, quinquagesimum quintum aetatis suae annum supergressus est. Apud Barcinonense seminarium iuris canonici praelectiones tradens, ipsa in Cathedrali Canonicus Poenitentiarius ad praesens usque renuntiatus et Barcinonensi sede vacante Vicarius Capitularis , vel Oeconomus Mitrae semel, iterumque electus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM TU-DEN. favore R. D. Perdinandi Hüe et Gutiérrez presbyteri archidioeceseos Hispalensis ad praesentationem serenissimi Regis catholici. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, qui *Z ahara* vulgo nuncupatur sub archidioecesi Hispalensi progenitus, in quadragesimo octavo aetatis suae anno constitutus est. Penes Cathedralem Gaditanam Canonicatum Doctoralem hucusque assequutus, eiusdem dioeceseos provisor et Vicarius in spiritualibus generalis semel, iterumque renuntiatus est.

EPISCOPALEM ECCLESIAM TITULAREM MADAURAE in Africa olim sub Titulari Archiepiscopo Carthaginensi, favore R. D. Aloisii. Bruno, presbyteri Policastrensis dioeceseos, qui etiam deputatus fuit in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Vincentii Materozzi, Antistitis Rubensis ac Bituntini. Aloisius Bruno Crotonensi in seminario iuris canonici, inque regio Neapolitano clero philosophiae olim Professorem agens, Tricarici Capituli Canonicus ad honores, illiusque civitatis ac dioeceseos Vicarius in spiritualibus Generalis adlectus est.

EPISCOPALEM ECCLESIAM TITULAREM. DOREN, in Palestina cum ei in perpetuum et canonice adnexo Prioratu quatuor Ordinum Militarium s. Iacobi Alcantarae, Calatravae, et Montesiae in urbe Cluniae ***u*** *Ciudad Real* » erecto et constituto, favore R. D. Antonii Cascaiares et Azara Presbyteri archidioeceseos Caesaraugustanae, ad nominationem, vigore Indulti Apostolici , serenissimi Regis catholici. Qui penes Caesaraugustanam Ecclesiam metropolitanam Beneficiali et Canonicali praebendis, atque successive et-

iam Thesaurarii dignitate honestatus, dein in primatiali Ecclesia Toletana Archidiaconus effectus, hucusque in metropolitana Burgensi Decanus renuntiatus est.

EPISCOPALEM ECCLESIAM TITULAREM LEUCEN. in insula Cypri sub Archiepiscopo Titulari Naupactensi in Aetolia, favore R. D. Ignatii Lobos presbyteri dioeceseos Premisliensis latini ritus, qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem R. P.~D. Lucae Solecki, Episcopi praestituti ipsi Cathedrali Premisliensi regundae. Praefatus R. D. Ignatius Lobos ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in civitate Drohobycensi dioeceseos Premisliensis progenitus, quartum supra quinquagesimum aetatis suae annum supergressus est. Inter Canonicos gremiales Capituli Premisliensis,, latini ritus, et Examinatores pro-synodales hucusque adscitus, Sede ipsa vacante Vicarius Capitularis renunciatus est.

METROPOLITANAM ECCLESIAM BISUNTIN. favore R. P. D. Iosephi Alf ridi Foulon, hactenus Antistitis Nanceyensis ac Tullensis, ad nominationem perillustris Viri Iulii Grevy, Gallicae Reipublicae Praesidis.

ARCHIEPISCOPALEM ECCLESIAM TITULAREM IRENOPOLIS in Babylonia, favore R. P. D. Aloisii Matera, presbyteri Romani. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Romae progenitus. sexagesimum secundum aetatis suae annum supergressus est. Apostolicae Nuntiaturae Lisbonensis Auditor olim adlectus, inibi ac etiam Brasiliae negotiorum Sanctae Sedis munere Gestoris ad interim perfunctus est. Penes Argentinam Confoederationem, et apud ditiones de Uruguay et Paraguay hactenus Delegatum agens Apostolicum, inter Sanctitatis Suae Domesticos Praesules, atque Apostolicos Protonotarios ad instar participantium adscitus est.

ECCLESIAM EPISCOPALEM MYRINEN. in Asia Minori, favore R. P. D. Rosati, Episcopi dimissionarii Tudertin.

CATHEDRALEM ECCLESIAM NANCE YEN. cui Tullensis adnexus est titulus, favore R. P. D. Caroli Francisci Turinaz, hactenus Antistitis Tarantasiensis, ad nominationem perillustris Viri Iulii Grevy Gallicae Reipublicae Praesidis.

ECCLESIAM EPISCOPALEM TITULAREM ZOAREN. in Palestina, favore R. P. D. Petri Iosephi Sánchez Carraschoza y Carrion, iam Episcopi Abulen.

CATHEDRALEM ECCLESIAM NUCERIN. Paganorum, favore R. P. D. Francisci Vitaliano Episcopi Titularis Cydoniae in insula Cretae.

CATHEDRALEM ECCLESIAM TARANTASÏEN. favore R. D. Petri Ioannis Pagis, presbyteri dioece-

seos s. Fiori , ad nominationem perillustris Viri Iulii G-revy Gallicae Reipublicae Praesidis. Qui ei legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen ***Pleaux*** dioeceseos s. Flori progenitus in quadragesimo septimo aetatis suae anno constitutus est. In parvo suae dioecesis seminario plures per annos philosophiae professorem agens, in oppido, qui ***Salers*** nuncupatur , eiusdem s. Flori dioecesis Parochi munere hucusque perfunctus est.

EPISCOPALEM ECCLESIAM TITULAREM ALABANDEN. in Caria sub titulari Archiepiscopo S tauropolis, pariter in Caria, favore R. D. Rochi Leonasi, presbyteri Policastrensis dioeceseos, qui etiam deputatus fuit in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Ianuarii Acciardi, Antistitis Anglonensis-Tursiensis. Canonicus ad honores Policastrensi in Cathedrali adlectus, et inter Examinatores pro-Synodales adscitus, in patria civitate ad s. Iacobum maiorem Cantor-Parochus hucusque renunciatus est.

ECCLESIAM EPISCOPALEM MAGADAN, in Carmania, favore R. D. Ioannis Francisci Rux y Loras, deputatum in auxiliarem Emi Cardinalis Ioannis Ignatii Moreno Archiepiscopi Toletani.

CATHEDRALEM ECCLESIAM DECARTHAGENA. in Statibus foederatis Columbiae in America Meridionali , favore R. D. Eugenii Biffi , presbyteri Mediolanensis. Qui ex legitimis, catholicis honestisque parentibus Mediolani progenitus , in quadragesimo tertio aetatis suae anno constitutus est. Americam qua Missionarius petens , Carthagenae in ditione Statuum Foederatorum Columbiae animarum curam fructuose administrans , in provincia de Onduras inurbanas 'illas Gentes fidem edocuit catholicam. Praefectus Apostolicus adlectus pro Birmania Orientali, plura inibi hominum millia ad Christum convertit.

CATHEDRALES ECCLESIAS CORNET AN. et Centumcellarum invicem perpetuo canonice unitas, favore R. P. D. Angeli Rossi Episcopi Mandelensis.

Per Breve autem pontificium collatae fuerunt sequentes Ecclesiae:

ECCLESIA EPISCOPALIS Titularis Dolichen. in Syria R. P. D. Francisco Gandulfi, Episcopo renuntiatario Cometan, et Centumcellarum.

ECCLESIA CATHEDRALIS OSNABURGEN. R. D. Bernardo Holing, canonico seniori et Vicario capitulari Osnaburgen.

ECCLESIA CATHEDRALI» "WRA-

TISLAVIEN. E,. D. Roberto Herzog, Praeposito et Delegato episcopali Ecclesiae s.Hedvigis Berlini.

ECCLESIA CATHEDRALIS PATERBORNEN. R. D. Gaspari Drobe, canonico et vicario capitulari eiusdem Cathedralis et Dioecesis.

ECCLESIA EPISCOPALIS titularis **CANOPEN**. in Aegypto R. D. Nicolao Aloisio Gallagher, vicario generali Dioecesis Columbus, deputato in apostolicum administratorem Dioecesis Galveston.

ECCLESIA EPISCOPALIS titularis **ABYDEN**. in Phrygia R. D. Petro Caprotti, deputato in vicarium apostolicum Hy der abad.

ECCLESIA EPISCOPALIS titularis Ev**ARIEN**, in PheniciaR. P. Er. Thoma Ray mundo Hy land, ex ordine praedicatorum, deputato in coadiutorem cum futura successione R. P. D. Ioachimi Gonin. Archiepiscopi Porti Hispaniae.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

ORDINATIONIS

Die ii Iunii 1881.

COMPENDIUM FACTI. Vacante beneficio cantoris in Collegiata Ecclesia Dioecesi O. Hyacinthus scholasticus e dioecesi C. oriundus, concurrentium albo suum nomen dedit, et periculo in cantu peracto, ad Antistitis O. praesentationem , uti magis idoneus, a regio Gubernio, ad ipsum enim res spectabat, nominationem ad memoratum beneficium obtinuit. Cum autem clericalis tonsurae susceptio requireretur, ut Hyacinthus beneficii possessionem nancisci valeret, Episcopum adivit, ut clericali militiae adscriberetur. Verumtamen Episcopus O. Hyacinthi preces reiecit, hac ductus ratione, quod nempe Praesul C. consensum quidem praebuerat, ut orator ad clericalem tonsuram et ordines promoveri posset, litteras tamen testimoniales concedere noluit. Hinc Hyacinthus, ne ex clericalis tonsurae defectu a beneficio consequendo reiiceretur, confugit ad S. C. C.

Disceptatio syxioptiea

QUAE HYACINTHO ADVERSANTUR. Exploratum in iure est quod unusquisque nonnisi a proprio Episcopo sit ordinandus, nullusque Episcopus possit ordinare extraneum , nec etiam primam tonsuram huic conferre, absque proprii Ordinarii uteris testimonialibus, ad tradita *per Can. 1 et seqq. dist. 72 et C. Nullum Episcoporum 9 quaest. 2 et cap. Hos qu. 2 et c. Episcopus 4 tit. de temp. ord. et qualit. Ordinand. in* 6°. Concinit Conc. Tridentinum *sess. 23 cap. 8 de Reform.* - ibi - « *Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei . . . permittatur , nisi eius probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur.* Quam saluberrimam dispositionem, tractu temporum aliquantulum neglectam , Innocentius XII Constitutione *diei 4 Novembris 1694 Speculatores domus Israel,* graviori sanctione munitam in pristinum vigorem restituit.

Et optimo sane iure haec omnia decreta fuerunt, tum ut dissentiones evitentur, quae suboriri possent inter Episcopos, si unus alterius subditos, eodem ignorante, ac saepius invito,' ordinare praesumeret, *can. 1 dist. 71,* tum ut obvietur hominum malitiis, et ne indigni ad sacros Ordines promoveantur, qui alioquin clericales ordines , quos a propriis Episcopis forsan sibi iam denegandos dolent, ab extraneis Episcopis, nullamque de ipsorum defectibus notitiam habentibus, in animorum suorum perniciem et ecclesiastici ordinis dedecus, recipere praesumerent. Reiffenst. *Lib. 1 Decret, tit. XI de temporibus Ordinat, etc §. IV num. 77.* Concinit Barbosa qui in *Alleg. IV num. 41 De offic, et potest. Ep.* tradit quod nullus ab Episcopo domicilii ordinarii potest, nisi prius, consulto priore Episcopo , a quo consequi tenetur *veritatis testimonium circa mores, sufficientiam ac natalia, nisi a teneris annis domicilium fuerit translatum.* Huiusmodi autem prioris Episcopi consensum litterarie praestandum esse subdit *Alleg. VII. num. 2 loc. cit.*

Hinc mirum non est si S. C. C. huiusmodi doctrinam iugiter sequuta sit, praesertim vero in *Asculana 7 Februarii 1733.*

Hisce in iure praestitutis, cum ex facto constet, oratorem Ordinarii sui uteris commendatus destitutum esse, prono alveo fluere videtur, praefatum oratorem ad clericalem tonsuram a Praesule O. promoveri haud posse. Neque oggeras velim consensum ab Archiepiscopo praestitutum, ut Hyacinthus ad primam tonsuram et ad ordines suscipiendos, si Episcopo O. placuerit, admitteretur, uteris commendatitiis in themate coaequari, ac per eum huiusmodi Uteris suppleri posse. Quandoquidem animadvertendum occurrit, quod consensus ab Archiepiscopo praestitus, est longe diversus a testimonio, quo ad tradita per Conc. Trid. loco citato, proprius Ordinarius promovendi probitatem ac mores commendare tenetur. Praeterea cum Conc. Trid. pro promovendis ab Ordinario non suo, literas commendatitias disertis verbis requirat, videtur admitti non posse interpretatio, qua huiusmodi uteris consensus substituitur, perinde ac eumdem valorem praeferat. *Ubi enim lex non distinguit, nec non distinguere debemus* canon in iure est, quo non vulgatior alter.

Potiori autem ratione hae literae commendatitiae in casu expectari debent, antequani orator ad primam tonsuram promoveatur, quia explorati facti est, Oratorem in loco originis non bene se gessisse, ac ob eius vitae, agendique rationem ab Ordinis susceptione a suo Ordinario repulsum fuisse, ceu ipse Archiepiscopus C. suis uteris informatoriis innuit. « *Ego autem,* sunt Archiepiscopi verba, *qui dictum,* Hyacinthum *ordinare renueram anno 1878, ob causas meo iudicio rationabiles... officii mei esse iudicavi fiducialiter communicare causas quae me retraxerant ab eo ordinando.*

Quae cum ita sint concludi posse videtur, Episcopum optime se gessisse oratori clericalis tonsurae susceptionem in themate denegando.

QUAE HYACINTHO FAVENT. Altera sed vero ex parte per-

pendendum occurrit, quod licet indubium sit, neminem posse ab alieno Episcopo neque ad primam clericalem tonsuram neque ad ordines sive minores, sive sacros promoveri absque proprii Ordinarii consensu atque approbatione per literas testimoniales expresso ; tamen non ita stricte et rigorose res accipienda est, ut huiusmodi uteris deficientibus, nullatenus ordinationi locus dari queat. Sane doctores Tridentini verbis innixi, quae in *Sess. 14 cap. 2 de Reform,* sub disiunctione praecipit, ut nullus Episcopus alterius subditum, absque sui proprii Praelati expresso consensu, aut Uteris dimissoriis, ad sacros aut minores ordines vel primam tonsuram promovere seu ordinare valeat, concludunt, in vim citati Tridentini decreti Episcopo factam esse facultatem alienum subditum ordinandi, dummodo hic saltem consensum expressum proprii Ordinarii retulerit.

Et merito : quandoquidem finis quem Tridentini Patres tali praescriptione, sibi proposuerunt, tam consensu expresso, quam Uteris testimonialibus obtineri potest ; teste Reiffenst. *Lib. 1 Decret, tit. XI de temporibus Ordinat. §.Vnum. 110.* Quin imo praefati auctores ulterius procedunt, et ulla absque dubitatione docent, non requiri ut huiusmodi consensus sit scriptura exaratus, sed satis esse ut sit verbis expressus, dummodo de ipsius existentia nullatenus ambigi queat.

Hoc in iure posito, cum explorati facti sit Archiepiscopum C. nedum verbo tenus , sed etiam in scriptis expressum consensum praestitisse, ut Hyacinthus ab Episcopo ad primam tonsuram et ad ordines suscipiendos promoveretur, pleno alveo fluere videtur, Episcopum O. valere primam clericalem tonsuram praefato Hyacintho conferre.

Id consonum videtur pluribus S. C. C. declarationibus, uti videre est in *Messanen. 12 Septembris 1739 , Spoletana et Reatina 11 Iulii 1840,* et praesertim in *Dientina 18 Iulii 1733, in* qua depersimili, ne dicam duriori casu, agebatur. Animadvertendum est etiam quod si Hyacinthus ad primam tonsuram suscipiendam haud admitteretur, ex huiusmodi Episcopi renuentia nedum boni nominis iacturam, verum etiam

pergrave damnum sentiret, cum possessionem haud consequi valeret novi beneficii, ad quod ex patroni nominatione ius quoddam acquisivit.

Nec oggerere valeret, Hyacinthum non esse dignum ut clericali militiae mancipetur, ex eo quod Archiepiscopus O. anno 1878 ipsum ordinare renuerat. Quandoquidem ipse Archiepiscopus suis uteris informatoriis aperte declaret quod cum *nullum certum crimen a Hyacintho patratum fuisse, neque ulla censura aut irregularitate* irretitum fuisse videatur, idcirco consensum Episcopo O. dedisse asserit, *non solum ut primam tonsuram, sed et alios ordines, iuxta sacros Canones con ferre posset nominato* Hyacintho, *si dignum hac gratia existimat.* Iamvero quod praefatus Hyacinthus, durante biennio suae commorationis in dioecesi O. optime sese gesserit, ac vitam omnino commendabilem duxerit, praesumi potest ex eo, quod Episcopus O. nullum questum de ipsius agendi ratione s. O. Congregationi movit.

Constito itaque quod alienus subditus ordinari valeat ab Episcopo domicilii, dummodo expressum consensum ab Ordinario originis obtinuerit; constito quod in casu Hyacinthus huiusmodi consensum ab Archiepiscopo C impetratum retulerit : constito tandem quod in eius agendi ratione ex eo die , quo in Dioecesi O. degere incoepit , nihil reperiri videatur, quod eum indignum ad clericalem tonsuram et ordines suscipiendos constituat, concludi posse videtur quod Episcopus O. ipsum Hyacinthum , iuxta Archiepiscopi C. votum , ad primam clericalem tonsuram ceterosque ordines suscipiendos admittat.

Hisce omnibus praenotatis , fuit propositum enodandum sequens

Dubiam

An Episcopus O. primam tonsuram conferre valeat Hyacintho______accedente Ordinarii originis consensu, sine literis testimonialibus in casu.

RESOLUTIO. Sacra O. C. re cognita, sub die **11** Iunii **1881** censuit respondere :

Negative.

Ex **QUIBUS COLLIGES**

I. Cum unusquisque a proprio Episcopo ordinari debeat, extraneo neque tonsuram, neque ss. ordines conferri nequire, nisi istius extranei probitas et mores commendentur per litteras proprii Episcopi testimoniales.

II. Optimo iure id constitutum fuisse ad vitandas dissensiones inter Episcopos (inter quos mutuam venerationem et reverentiam foveri decet) atque ne indigni , a propriis Episcopis reiecti, a non propriis, promovendorum malitiam ignorantibus , ad sacros ordines promoveantur, in suorum animorum perniciem et ecclesiastici ordinis dedecus.

III. Huiusmodi litteras testimoniales, ita disertis verbis a iure exposci, ut eisdem nulla alia remedia suffici queant : *ubi enim lex non distinguit* * *nec nos distinguere debemus* **(1).**

IV. In themate rite denegatam fuisse tonsurae collationem, deficientibus Episcopi originis litteris testimonialibus, quia istius consensus, tali modo praestitus, nullimode aequiparari potuit eisdem litteris.

(1) Recole quae collegimus quoad litteras testimoniales et dimissorias in sequenti appendice IV pag. 398. Si plura cupis, adeas Ferraris, v; ordo Art. 3, ubi relata est Constitutio *Speculator et;* Lucidi de Visitatione ss. Liminum, Vol. I pag. 114 et seqq.

APPENDIX IV.

DE LITTERIS TESTIMONIALIBUS ET DIMISSORIIS DEQUE CAUSIS QUIBUS EPISCOPUS FIT PROPRIUS RELATE AD SACROS ORDINES CONFERENDOS.

Quaestio nuper allata pag. 392. nobis opportunitatem, attulit aliquid innuendi quoad Litteras dimissorias et commendatitias. Et primo bas litteras multum inter se differre notum est. Nam litterae dimissoriae" exprimunt traditam facultatem, ut alius Episcopus possit clericum illum promovere ad ordines (1). Litterae testimoniales banc non impertiuntur, facultatem: quia supponitur facienda ordinatio ab alio Episcopo, non indigente traditione buius facultatis, sed eâ potituro iure suo ; solumque continent testimonium, quod clericus promovendus, sit dignus, cui tales ordines conferantur. Praeterea litterae dimissoriales dantur quando proprius Episcopus non valens , propter aliquod impedimentum, ordines conferre clericis suis, illos dimittit ad alium Episcopum Ordinandos (2). Litterae vero testimoniales conceduntur in commendationem morum subditi, qui vel vigore Brevis Apostolici, aut beneficii, postulat alio ad ordines promoveri. Alia etiam extat testimonialium species , quae conceduntur clericis peregrinantibus ; sine quibus in aliena dioecesi non admittuntur ad peragenda sacra , ***cap. Extraneo, et cap. Hortamur 71 dist.*** Ultima tamen baec species nullam habet relationem ad ordines sacros recipiendos ab Episcopis non propriis.

Cum in veteri et nova Ecclesiae disciplina districte, prohibitum sit, Episcopos alienum subditum ordinare posse, utile inquirere videtur quis dicatur Episcopus proprius , ut dignoscantur illi qui ab eo tantum ordinari valeant. Et quoad hoc

(1) Episcopus proprius in dimissorialibus exprimere debet causam , qua promovendos subditos ordinare nequeat *Trid. Sess. 7, eap. 11: u* Facultates de pro- » movendo a quocumque non suffragentur, nisi habentibus legitimam causam, ob » quam a propriis Episcopis ordinari non possint, in litteris exprimendam. » Quae dimissoriales litterae ultra bimestre aut trimestre non sunt admittendae ex s. C. C. in *Aversana* 4 Decemb. 1666.

(2) Episcopi qui subditos suos dimittunt ordinandos ad alium Episcopum, debent eos dimittere probatos. Attamen Episcopus ordinans non tenetur huic attestationi deferre: S. C. C. in una *Nullius* 17 Ianuarii 1695 respondit : « Posse Epi- » scopum ordinantem, si voluerit, attestationi proprii Episcopi deferre, sed non *a* teneri. »

neminem latet, nullam inter doctores agitari controversiam circa ius commune a quo constituitur, Episcopos ***quadruplici*** modo dici posse proprios quoad clericos ordinandos.

Disertis enim verbis primo ait Bonifacius VIII in Decretali ***Cum nullus, de temporibus ordinationis :*** *u* Cum nullus clericum pa-
» rochiae alienae, praeter ***superi rioris*** ipsius licentiam debeat
» ordinare, superior intelligitur
» in hoc casu Episcopus, de cu-
» ius Dioecesi est is, qui ad or-
» dines promoveri desiderat o-
n riundus, seu in cuius Dioecesi
» beneficium obtinet ecclesiasti-
ci cum: seu habet (licet alibi natus
» fuerit) domicilium in eadem... ***n***

Ex his verbis patet, eum Episcopum legitime ordinare .posse, in cuius Dioecesi ordinandus, vel natus, vel obtinet beneficium vel domicilium habet.

Etiam s. Tridentina Synodus super hac re disposuit ***Sess. 23 cap. 9. u*** Episcopus familiarem
» suum non subditum ordinare
» non possit, nisi per triennium
n secum fuerit commoratus , et
» beneficium , quacumque causa
» cessante, statim reipsa illi con-
» ferat (1) ». Ex quo decreto exurgit, etiam per triennalem commensalitatem, Episcopum quoad ordinandum, proprium, idest legitimum ordinatorem fieri.

Innocentius XII autem per ***Const. Speculatores domus Israel,*** enumerat conditiones requisitas ad hoc, ut Episcopus valeat aliquem ordinare, tamquam sibi subditum ratione ***originis , domicilii, beneficii,*** et ***commensalitatis.*** Constitutio haec collegit, confirmavit et ampliavit quidquid hac super re a iure constitutum fuerat, et a s. C. Concilii declaratum prodiit.

Hisce praenotatis, tum ex iure, tum ex sacra iurisprudentia certum est, adiicimus , Episcopum haud conferre posse ***licite*** neque tonsuram , neque sacros ordines subditis alienis, nisi obtinuerit, pro diversis adiunctis, Litteras dimissoriales aut testimoniales^. Nam Tridentinum ***sess. 23 cap. 8 de ref.*** ait : *u* Unusquisque au-
» tem a proprio Episcopo ordi-
V netur. Quod si quis ab alio
n promoveri petat, nullatenus id
» ei... permittatur, nisi eius pro-
» bitas ac mores Ordinarii sui
v testimonio commendentur. »

Innocentius XII. in ***cit. Cons t •*** §. 7 ait: «Praeterea clericum,
» qui legitime iam a proprio Epi-
» scopo ad eamdem clericalem ton-
» suram seu etiam ad maiores or-
n dines promotus fuerit, non posse
v ab alio Episcopo , ratione ac
» titulo cuiuscumque beneficii, in
7) illius Dioecesi obtenti, ad ul-
n tenores ordines promoveri, nisi

(1) Intra mensem a die ordinationis Episcopus ordinans *titulo familiaritati»* conferre debet beneficium, sufficiens ad honeste vivendum.

n ante eorumdem susceptionem , ***n*** testimoniales litteras proprii » Episcopi, tam originis, quam do- » micilii, super suis natalibus , ***n*** aetate , moribus , et vita sibi ***r*>** concedi obtinuerit, easque Epi- ***r*>** scopo ordinanti in actis illius **77** curiae conservandas exhibue- » rit ».

Etiam Pius, Papa IX chorum agens prae allatis iuris dispositionibus, in Constitutione Apostolicae Sedis declaravit, suspensionem Summo Pontifici reservatam ipso facto incurrere. « ***Ordinantes alienum subditum etiam sub praetextu beneficii statim conferendi aut iam collati, sed minime sufficientis, absque eius Episcopi litteris dimissorialibus*** (1). »

Itaque ex citata Constit. ***Speculatores*** clarum fit requiri testimoniales proprii Episcopi ***originis*** et ***domicilii,*** ut clericus legitime ad primam tonsuram, seu etiam ad maiores ordines a proprio Episcopo promotus, possit ab alio Episcopo, ratione ac titulo cuiuscumque beneficii, in illius Dioecesi obtenti, ad ulteriores ordines promoveri (2). Quae omnia firmantur per resolutionem datam a s. C. C. ***in Pientina seu Reinen,*** die 18 Iulii 1733 (3). Pientinus Episcopus iam contulerat minores ordines Laurentio Medicheschio, ratione originis et domicilii sibi subdito. Obtinuit Laurentius beneficium in Dioecesi Ilcinensi. A Curia Pientina datae non fuerunt eidem neque litterae dimissoriae , aut testimoniales, sed litterae tenoris huius, ***a*** Testamur clericum Lau- » rentium Medicheschi nostrae ***n*** dioecesis, in minoribus consti- » tutum, nullo excommunicatio- **77** nis, irregularitatis aut cuius- » vis alterius canonici inipedi-

(1) Episcopus suspensionem incurreret si ordinaret clericum cum beneficio insufficienti ad vitam ducendam honestam, sine litteris dimissorialibus eius Episcopi. Nam ordinaret alienum subditum sub praetextu beneficii iam collati, sed minime sufficientis. Ait nempe Innocentius XII in Constit. *Speculatores* , quae semper quoad ordinationes in vigore manet « Licet vero clericus ratione cuiusvis beneficii » in aliena Dioecesi obtenti subiici dicatur iurisdictioni illius Episcopi, in cuius » Dioecesi situm est: eam tamen de cetero hac in re inconcusse servari volumus » regulam, ut nemo eiusmodi subiectionem, ad effectum suscipiendi ordines, acqui- ri rere censeatur , nisi beneficium praedictum eius sit reditus, ut ad congruam » vitae sustentationem. . . . . .per se sufficiat. . . . »

(2) Constitutio *Speculatores* testimoniales haud requisivit, ut clericus in aliena dioecesi beneficium obtineat; ideo dici potest quia si etiam id voluisset, expressisset. Non desunt tamen Episcopi qui solent exquirere dictas testimoniales ad fovendam mutuam inter se reverentiam, uti decet, etiam pro conferendis beneficiis solummodo dignis aut dignioribus.

(3) In Vol. VI, pag. 498 relata fuit per integrum quaestio haec ; in cuius tractatione multa habentur quae respiciunt litteras dimissorias et testimoniales.

» menti vinculo, saltem quoad » sciamus, innodatum existere, » neque ullo crimine postulatum, » ac talem quales in sortem do- » mini vocatos decet (1) ».

Episcopus Ilcinensis ad omnes sacros ordines evexit Laurentium, ratione ac titulo beneficii, in sua dioecesi obtenti. Pientinus Episcopus conquestus est de ratione agendi Episcopi Ilcinensis, quoad ordines, non quoad beneficium collatum absque testimonialibus, scripsitque ad s. C. Congregationem, *a* Si de » testimonialibus agatur non in- » ficior quod a mea curia con- » cessae fuerint clerico Laurentio » Medicheschio, paulo ante eius *n* discessum, prout clericis omni- » bus illas postulantibus et prae- » sertim discessuris, concedun- » tur; sed limitatae ad mores et » absque ullo prorsus respectu *T*> ad ordines suscipiendos, de qui- *7*> bus neque per umbram fuit co- » gitatum. » Qua de re apud s. C. Concilii proposita fuere quae sequuntur dubia.

I. ***An clericus Laurentius Medicheschius fuerit licite ordinatus ad titulum beneficii, de quo agitur.***

II. ***An praedictus Laurentius licite fuerit ad sacros ordines promotas ab Episcopo Reinen, in cuius Dioecesi beneficium illud existit, sine litteris dimissoriis Episcopi Pientini.***

III. ***An litterae testimoniales, quas idem Laurentius impetravit ab Episcopo Pientino fuerint sufficientes ad licitam ordinationem.***

IV. ***An et qui ordines contulit, et qui eos suscepit, inciderint in poenas statutas a s. Concilio Tridentino et a Bulla*** Speculatores, ***in casu.*** Eadem s. Congregatio die 18 Iulii 1733 respondit : Ad I. ***Affirmative.*** Ad IL ***Affirmative.A.n.*** III. ***Affirmative in casu de quo agitur***^ Ad IV. ***Negative.***

A qua tamen resolutione s. C. C. recessit, quum dia 8 Augusti illius anni 1733 eadem quaestio iterum reproposita fuit sub dubio: ***An quoad tertium et quartum dubium sit standum vel recedendum a decisis die 18 Iulii proximi praeteriti in casui*** Sacra eadem Congregatio die 8 Augusti 1733 respondit : ***Quoad tertium recedendum a decisis; ad quartum vero consulant conscientiae suae.*** (2)

Ex qua resolutione exurgit

(1) Quae litterae commendatitiae sunt generales, et non speciales, ad ordines directae.

(2) Iuxta *Constit. Speculatores* §. *8* clericus per beneficium subiicitur iurisdictioni Episcopi illius, in cuius Dioecesi situm est obtentum beneficium. Hinc in Telato casu s. C. C. respondendo jp*rimo et secundo* dubio resolvit, Laurentium titulo huius beneficii et absque litteris dimissorialibus licite ordinatum fuisse. Nam per collationem dicti beneficii Laurentius iam subiiciebatur iurisdictioni Epi-

non exquiri litteras testimoniales pro conferendo beneficio : sed omnino requiri ad recipiendos sacros ordines. Hinc innixi resolutioni editae in ***Laquedonien. seu Bituntina*** arguere possumus, quod litterae testimoniales impetrari debent ab Episcopo originis, etiamsi quis inde discesserit in tali aetate, in qua nullum canonicum impedimentum contrabere potuerit ; ac proinde in casu quo de natalibtis solum , ac de aetate testari queat Episcopus originis.

Nunc aliquid addendum videtur de quatuor causis, quibus aliquis Episcopo subditus fit, ita ut ab eo licite ordinari queat. Et primo per ***beneficium*** assecutum, pacifice possessum et sustentationi plane sufficiens. Ast Episcopus beneficii, ordines conferre nequit sine testimonialibus Episcopi originis et domicilii ex Constit. ***Speculatores*** §. 8... *u* Ac » Episcopus sic ordinans tam de » praedictis testimonialibus lit- » teris, quam de redditu beneficii » huiusmodi expressam in con- » sueta collatorum ordinum at- » testatione mentionem facere de- » bebit. » Quod beneficium sufficit esse simplex ; sed ex eadem ***cit. Constit,*** tale esse debet, quod eius redditus satis sint ad congruam vitae sustentationem, *u* Sub- » lata quacumque facultate sup- » plendi quod deficeret fructibus » eiusdem beneficii cum adiectio- *V* ne patrimonii, etiam pinguis, *n* quod ipse ordinandus in eadem, *v* seu alia quavis Dioecesi obti- « neret...... Non autem sufficeret locus gratuitus in Seminario, neque cappellania laicalis', quae non accensetur inter beneficia ecclesiastica.

Ratione ***originis*** aliquis subditus fit Episcopo, si tamen naturaliter natus sit in eius Dioecesi ; non autem ex accidenti. Quoad filios alicubi naturaliter, aut per accidens ortos Honorante ***Prax. Secr. Trib. Vic. cap. i pag. 16*** hanc tradit regulam, *u* Unde regula generalis *v* pro invenienda ad ordines ori- *77* gine , haec est ut, nato filio, *n* vel pater eo tempore alicubi do- » micilium habebat vel non? Si *n* domicilium habebat, filius erit *TÍ* originarius paterni domicilii , *TÍ* sive in eo natus sit sive non : » si pater nullibi, tempore nati- *n* vitatis filii domicilium contra-

scopi Ilcinensis, quoad ordinationem ; et nullimode requirebantur litterae dimissoriales Ordinarii Pientini. Ast recedendo a tertio dubio clare, innuit s. C. C. litteras testimoniales omnino requiri ab Episcopo originis aut domicilii; neque uti tales haberi potuisse illas, quibus praeditus erat Laurentius. Ex responso autem dato quarto dubio exurgit tum Ordinantem, tum ordinatum incurrisse poenas a Tridentino et a Constit. *Speculatores §.* 8 constitutas - ibi Ordinans quidem a collatione » Ordinum per annum, ordinatus vero a susceptorum ordinum executione, quandiu » proprio ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit... »

» xit, originarius erit loci pater-
» nae (1) naturalis originis, idest
» loci in quo pater naturaliter
n ortus est, nisi pater in loco ,
n ubi filius ex accidenti natus
» fuerit, sedem postea domicilii
» de iure contraxerit, quod tum
» ex praedicta Const. *Specula-*
ri tores, tum ex dictis abuude
n constat, n

Tertia causa subiectionis erga Episcopum constituitur a *domicilio* certo in eius dioecesi ; ita tamen ut si ordinandus e loco originis ea aetate discesserit, qua aliquo **potuerit** impedimento irretiri (2) vel alio loco per accidens per notabile tempus commoratus fuerit, tunc testimoniales Episcopi originis , vel domicilii accidentalis eidem necessariae sunt , *Constit. Speculatores.*

Ex qua Constitutione emergit tria praecipue requiri ab Innocentio XII ad acquirendum stabile domicilium pro ordinibus ; nempe ut quis vel domicilium aliquo in loco statuerit et per decennium inbabitaverit, vel maiorem bonorum partem cum domo ibi posuerit, ac notabili tempore commoratus fuerit (3) ; et ut animum perpetuo ibi permanendi iureiurando affirmet.

Quarta causa subiectionis erga Episcopum *estfamiliaritas;* ex qua Episcopus alienum subditum ordinare potest: dummodo hunc per triennium in suo servitio secum retinuerit eumdemque praeterea suis sumptibus aluerit. Ex Constit. *Speculatores* requiritur, ut triennium sit integrum et completum, et adsint litterae testimoniales Episcopi originis et domicilii; ut Episcopus ordinans beneficium, quod eius sustentationi plane sufficiat, saltem intra mensem a die habitae ordinationis eidem conferat. Quod si dictum beneficium, uti supra notavimus minime sufficiens sit, tunc Episcopus subiectionem clerici ordinandi non acquirit; et sine litteris dimissorialibus ad ordinationem procedere nequiret hoc in casu. Denique requiritur ut in testimonio ordinationis diserta fiat mentio, tam de titulo familiaritatis, quam de testimonialibus proprii praelati. Ad effectum de quo agimus familiaris ille dicitur qui Episcopo inservit, in eius aede commoratur , suisque

(1) Origo matris relate ad ordines recipiendos non attenditur, s. C. C. *in Dub. Ordin. 26 Feb. 1704,* Ferraris *v. Ord. art. 3, n. 19.*

(2) Aetas ad impedimenta contrahenda capax ea esse videtur, quae infantiam aut septemnium excesserit. Quia eiusmodi aetas doli capax esse potest ; et communiter censetur habentes hanc aetatem censuras a iure vel ab homine statutas incurrere posse.

(3) Honorantes censet triennium hoc in casu haberi posse uti notabile tempus, sumpto argumento a triennio determinato ut Episcopus suum familiarem ordinare possit.

sumptibus alitur. Hinc nepotes et consanguinei episcoporum, licet cum eo' commorentur, eius sumptibus alantur, nisi insimul eidem inserviant, nequeunt sine dimissoriis proprii Episcopi, titulo familiaritatis, ordinari; s. C. C. in ***Brixien.*** 11 Sept. 1608.

Inter recentiores resolutiones quae iugem demonstrant iurisprudentiam, quoad litterarum teetimonialium exhibitionem recoli potest responsum datum a S. C. Ep. et Reg. ***in Tarvisina Dubia super s. Ordinatione et aliis,*** diei 6. Maii 1864. In primo dubio propositum fuit resolvendum: An et quomodo Episcopus Tarvisinus admittere queat ad ordinationem membra Instituti a charitate cum testimonio Superioris domus, declarantis adscripta esse eidem domui; vel requirantur litterae dimissoriae aut testimoniales iuxta ***Constit. Speculatores.*** Sacra eadem Congregatio respondit requiri litteras praedictas Episcopi originis, aut domicilii.

In folio huius quaestionis praenotatum fuerat quod Praelati Regulares possunt concedere suis subditis regularibus dimissorias ad ordines vi ***cap. Abbas 3. de privilegiis in 6. Conc. Trid. Sess. 23 de refor. cap. 10;*** servatis legibus et conditionibus praescriptis in decreto Clem. 8 1596 et in Constit. Benedicti XIV *u* ***Impositi nobis;*** » sed huiusmodi privilegium respicere dumtaxat vere et proprie dictos Regulares, nempe eos qui vota solemnia emittunt. Neque alumnos Institutorum, in quibus emittuntur vota simplicia frui posse hoc Regularium privilegio, nisi ex speciali indulto ab Apostolica Sede id concessum fuerit. Cum autem, adiicimus, Congregatio a ***Charitate,*** de qua actum est, videretur haud frui privilegio huiusmodi, neque ex iure, neque ex particulari indulto; hinc eius membra exhibere debent Episcopo ordinanti litteras dimissorias, aut testimoniales Episcopi originis aut domicilii.

DECRETI

Die 11 Iunii 1881.

COMPENDIUM FACTI. P. Beniaminus T. vertente anno 1876, **a** sodalibus confraternitatis s. Mariae dolorosae in parochiali Ecclesia erectae, electus fuit in Cappellanum, cum onere Sacrum litandi diebus festis, Confessiones audiendi, ac confraternitatis officio interessendi.

Per aliquod temporis spatium res inter ipsum et Oeconomum curatum pacifice processerunt, verum anno 1879 incoepto, simultates ac dissidia inter eos exorta sunt quoad horam, qua unusquisque eorum Missae sacrificium offerre deberet. Quandoquidem p. Beniaminus contendebat sibi, qua confraternitatis cappellano, ius esse ad tramites constitutionum piae Sodalitatis celebrandi inter horam septimam et nonam ; denegabat contra Oeconomus curatus, atque locali consuetudini nisus, a se, praefata hora, utpote quae Evangelii explanatione propter fidelium maximum concursum, aptior est, sacrum litandum esse tuebatur. In tali sententiarum discrepantia Oeconomus curatus die Dominica 9 Februarii 1879, ut populo Verbum Dei explanare atque sacrum Iubilaeum a Summo Pontifice indictum nunciare valeret, primam Missam celebrare censuit, spe fretus sodalitatis cappellanum, alteram Missam circa meridiem, pro fidelium commoditate fore celebraturam. Sed cappellanus in Oratorium privatum se contulit, ubi Missam celebravit cum gravi fidelium admiratione ac scandalo, quorum plerique ecclesiastico praecepto, ob eam causam satisfacere haud valuerunt.

Archiepiscopus ducens necessarium omnino esse, pro bono paroeciae regimine, ut Oeconomus primum sacrum litaret, p. Beniamino mandavit ut, nonnullis solemnioribus exceptis, ceteris diebus festis, ad tramites consuetudinis, circa meridiem, ultimam Missam celebraret. P. Beniaminus officio cappellani nuncium mittens, in proximo die festo iterum Missam celebravit in privato oratorio. Ex quo derivavit quod, cum missa circa meridiem celebrari solita in Paroecia defuerit, graviores tumultus cum permagno parochianorum scandalo ac detrimento in oppido excitati fuerunt.

Eoque res processerunt, ut oeconomus verens ne tumultus renovarentur, ad evitanda maiora mala, quae ex adversariorum instigatione sibi imminere poterant, locum residentiae deseruit. Tum Antistes declaravit p. Beniaminum suspensioni obnoxium.

Attamen varia ob adiuncta die 27 Aprilis eiusdem anni

decretum tulit, quo, firma remanente suspensione a confessionibus excipiendis, p. Beniamino facultas sacrum denuo litandi indulta fuit. Verum hoc novissimo decreto p. Beniaminus se gravatum reputans, die 5 Septembris anni 1879 ad S. C. C. confugit, expostulans ut rehabilitatio ad confessiones audiendas sibi concederetur.

Disceptatio Synoptiea

IURA P. BENIAMINI. Quod Archiepiscopi decretum, vi cuius pater Beniaminus a confessionibus audiendis suspensus fuit, viribus suis haud consistere queat, orator argumentis tum extrinsecis, tum intrinsecis evincere studuit. Ac praeprimis argumenta extrinseca aggrediens animadvertit, suspensionem in casu nihili faciendam esse ex eo quod ad tramites iuris haud inflicta videtur. Sane Conc. Trid. *sess. 25 Cap. 14 de Ref.* praescribit, si publice aliquis regularis extra claustra deliquerit, Episcopum superiorem regularem admonere teneri, ut severe eum poenis coerceat, et dumtaxat in casu quo superior illum punire negligat, Episcopum ad canonicas poenas infligendas procedere valere. Hinc ad tradita per Barbos, *in Apóstol, decis.* 297 ***n.*** 8 cui adhaeret et S. C. C. in decisione inibi relata, Episcopus habita notitia criminis alicuius regularis, in suo territorio delinquentis, informationem ad superiorem transmittere debet eique terminum praefigere, ut subditus poena plectatur. Archiepiscopum vero poenam irrogasse p. Beniamino, inauditis superioribus regularibus, ex actis clare patet;- ideoque de inefficacia eius decreti ambigendum non est.

Verumtamen, praeter argumenta extrinseca nonnulla etiam intrinseca praesto sunt, quae hanc suspensionem sustineri non posse innuunt. Sane tralatitium in iure est: *sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus* Reg. **XXIII** *de Reg. Iuris in* 6. Qualibet carere culpa p. Beniaminum sive erga Oeconomum curatum, sive erga Archiepiscopum, nullamque habuisse partem in motibus qui iterum iterumque

inter oppidanos, contra ipsum excitati fuerunt, luculenter patet.

Atqui p. Beniaminus neque reprehendenda esse videtur ob hoc quod mandatis Episcopi parere detrectavit, decernentis ipsum teneri in diebus festis Missam circa meridiem pro populi commoditate celebrare. Quandoquidem orator contendit, huiusmodi Archiepiscopi decretum spolii attentatum constituere, cum explorati facti sit sibi et non Oeconomo curato, in vim constitutionum atque inolitae consuetudinis sodalitatis, ius competere sacrum, circa horam septimam vel nonam, litandi. Etsi autem onus eidem p. Beniamino incubuit celebrandi missam circa meridiem, huiusmodi onere vacavisse urget ex quo cappellani muneri nuncium misit et ex quo eius infirma valetudo impedivit quominus ille recitare valeret missam ad horam assignatam ab Archiepiscopo.

Iam vero canon iuris est, neminem adstringi debere ad id quod non potest *Leg. si pupilli ff. de negot. gest.* In vado itaque posito, quod p. Beniaminus qualibet culpa prorsus careat; sponte fluit huiusmodi decretum, utpote a iure exorbitans, atque ipsius p. Beniamini boni nominis quam maxime laesivum, quovis firmitatis robore destituendum esse.

IURA ARCHIEPISCOPI. Verumtamen neminem profecto latet approbationis negotium sacerdotibus sive saecularibus, sive religiosis indulgendae ad hoc, ut saecularium confessiones excipere valeant, totum remissum esse iudicio et conscientiae Ordinarii, intra cuius Dioecesis limites confessiones audiendae sunt. Scatet id ex decreto Tridentini *Sess. 23 Cap. 15 de Ref.* - ibi - *decernit tamen s. Synodus,, nullum etiam regularem posse confessiones saecularium, etiam sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari nisi..... aut ab Episcopis per examen.... et approbationem quae gratis datur, obtineat.*

Praeterea quemadmodum in Episcoporum facultate posirtum est, huiusmodi approbationem quoad loca, personas et tempora limitare, ita etiam iidem possunt, iusta intercedente

causa, eam prorsus revocare, teste s. Carolo Borromeo qui in *Synod. Mediolanen. VI. de his* quae ad Sacr. Poenitentiae pertinent** decernit - ibi - *ut Episcopus a confessionibus audiendis suspendat aut omnino amoveat confessarios etiam regulares* iam approbatos* quos pro suae timoratae conscientiae religione viderit in[1] eo munere non ita sincere integreque et cum aedificatione se gerere* quemadmodum et tanti ministerii illis commissi sanctitas et animarum salus deposcit* quae suae fidei concreditae sunt.* Oui concinit Van-Espen *p.* 2. *tit.* 6. *n.* 26. Gury *tract, de Poenit. n.* 560. *q.* 3. *et* 4.

HuiusmodfEpiscopi approbatio, quoad confessiones audiendas, adeo necessaria est, ut ea nedum a sacerdotibus saecularibus, sed etiam a religiosis, etsi exemptis, exquiri debeat; ita ut illam ab Episcopo non petentibus, vel confessiones, ipso contradicente, excipientibus, Episcopus valeat in vim Constitutionis fel. mem. Gregorii XV *Inscrutabili Pei providentia* administrationem sive sacramenti poenitentiae interdicere, eosque iuris remediis coercere et punire.

Cum igitur res ita se habeat, perperam agere videtur p. Beniaminus, rehabilitationem ad confessiones audiendas reclamando. Notum quippe est, Archiepiscopum ob eius reluctantiam atque non bonam ipsius agendi rationem ab huiusmodi ministerio exercendo suspendere et omnino amovere obstrictum fuisse. Sane *iuxta Cathech. ex Decret. Concil. Trid. ad Paroc. de Poenit. n.* 55. Sacerdos confessarius talis debet esse, *quem vitae integritas* doctrina* prudens iudicium omnibus commendet.* Quia ut sapienter animadvertit d. Thomas *supplem. p. 34* n. 4. - ibi - *cuius vita despicitur* restat ut omnia spiritualia ab eo exhibita contemnantur.*

Iamvero si p. Beniamini vita eiusque agendi ratio paullisper spectetur profecto ea haud talis apparet, qualem ss. Canones ac salutares Ecclesiae leges a sacerdotibus confessariis requirunt. Sane ex factorum historia manifestum erumpit, ipsum neque semel, neque bis, sed pluries Archie-

piscopi monita ac mandata, cum gravi christifidelium scandalo atque eorumdem boni spiritualis iactura parvipendisse. Ex eadem factorum historia pariter manifestum erumpit, ipsum in causa fuisse, ut tricae et tumultus adeo graves inter oppidanos excitarentur, ut Parochus aufugere debuerit» Ex quo factum est, ut Praesul poenis spiritualibus uti debuerit, ad eum in officio continendum.

Quin ad huiusmodi Archiepiscopi decretum infirmandum obiectari valeat in Episcopi facultate haud esse simplicibus presbyteris horam Missae die festo celebrandae in fidelium commodum praescribere. Sacra enim Congregatio Episcop. et Regul. in *Ianuen.* 18 *Martii* 1578 ad rem requisita, respondit, sacerdotes etiam qui ex sola propria devotione celebrant , horis Ecclesiae commodis, sacrum facere debere. Quam decisionem referens Braschus *promptuar. Synod, cap.* 87 *sub num. 2* hanc addit rationem - ibi - « *quia presbyteri non unice pro ipsorum utilitate promoventur, sed etiam Ecclesiae et populi.* Idipsum docet Ceccop. *Lucubrat. canonicae Lib. 3 tit. 2.* Idipsum tenuit s. C. C. in *Urbevetana 19 Aprilis 1778,* in qua proposito dubio : *An et qua hora rector capellaniae Misericordiae, diebus, festis, teneatur missam celebrare in casu,, respondit: teneri pro hora ab Episcopo designanda.*

Potiori autem ratione id in themate decernendum esse videtur, cum ex Archiepiscopi informatione manifestum ap-, pareat, primam missam inter horam septimam et nonam litari solitam, utpote explanationi Evangelii magis aptam, propter maiorem fidelium concursum, non a sodalitatis cappellano sed a Parocho iugiter celebratam fuisse. Hisce itaque tum in facto, tum in iure praestitutis, absque dubio concludi posse videtur , decretum ab Archiepiscopo contra p. Beniaminum editum in pleno firmitatis robore manuteneri oportere.

Quamobrem EE. PP. iudicio remissum fuit resolvendum

Dubium.

An decretum Archiepiscopi T. diei 27 Aprilis 1879 sit co?ifirmandum vel infirmandum in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Congr. sub die **11** Iunii **1881,** re ponderata, respondit:

Decretum esse confirmandum et amplius.

Ex **QUIBUS COLLIGES**. I. Sacerdotes tam saeculares, quam regulares, in his quae curam et sacramentorum administrationem concernunt, omnimodae [iurisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi dioecesani, nullo suffragante privilegio, subiici.

IL Ideoque in facultate Episcopi positum esse concedere, negare et limitare facultatem audiendi sacramentales confessiones; et amovere confessarios, etiam regulares, iam approbatos, quos viderit haud se gerere integre et cum aedificatione, ceu sanctitas ministerii, eisdem commissi et animarum salus deposcunt.

III. Etenim neminem latet, talem esse debere confessarium, quem vitae integritas, doctrina, prudens iudicium omnibus commendet ; eoquod *cuius vita despicitur, restat ut omnia spiritualia, ah eo exhibita, contemnantur.*

IV. Ex factorum historia exurgere patris Beniamini rationem vivendi haud commendabilem fuisse sinceritate, et integritate pro tanto ministerio sibi commisso; cum ipse potius simultates et odia inter oppidanos enutrierit, scandala foverit et mandata sui superioris posthabuerit.

V. Episcopos posse rationabiliter praepedire ne missa aliqua celebretur ante missam parochialem, quatenus videant populos retrahi a missa parochiali et concione in ea per parochum haberi solita. **(1)**

(1) Confer Volumina II pag. 297, III pag. 92, IV pag. 250, XI 595.

MATRIMONII

Die li Iunii 1881.

COMPENDIUM FACTI. Nicolaus Dioecesis N. promisit Annae, uxori Iosephi, qui Romae aegrotabat, patrini munere functurum in sacra confirmatione Sirii, filii sui. Verumtamen adventa die confirmationis, cum Nicolaus munus illud obire haud posset, fertur mandatum dedisse Hyppolito, ut infantem confirmandum eius loco, et vice teneret; licet e regestris parochialibus appareat ipsum Nicolaum puerum tenuisse. Post aliquod vero tempus Annae vir diem obiit supremum; et Nicolaus sub die 31 Martii 1880, dispensatis denuntiationibus, secreto matrimonium, in forma religiosa tantum, contraxit cum Anna vidua. Attamen post menses nonnullos hoc inivisse matrimonium poenituit Nicolaum, illudque nullum clamavit apud Curiam episcopalem confugiens. Episcopus revera, confectis tabulis processualibus, sententiam tulit, qua illud nullum declaravit. Interposita appellatione a defensore matrimonii, causa ad S. C. **C.** conscendit.

Disceptatio Sinóptica.

VIRI DEFENSIO. Defensor Nicolai praemisit, *Concilium Tridentinum* iussisse, cognationem spiritualem, quoad matrimonii nullitatem, ad quinque tantum personas coerceri in *Sess. 24 cap. 2 de r e format. « Ea quoque cognatio, quae ex confirmatione contrahitur, confirmantem et confirmatum illiusque patrem et matrem ac tenentem non egrediatur: omnibus inter alias personas huius spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.* » Itaque impedimentum , subdit defensor , iam existebat inter Nicolaum et Annam de tempore matrimonii initi die 31 Martii 1880 in gradibus praescriptis a Concilio Tridentino, cum Nicolaus die 26 Octobris 1879 fuerit patrinus Sirii, filii Annae in sacramento confirmationis, uti eruitur ex regestris tum parochialibus, tum confirmatorum in Curia N.

Sed fidei librorum vim quoque addere , quod adstiterit sacramento Sirii minime Nicolaus, sed *Hyppolitus** suus *Procurator.* Si in libris diceretur Hyppolitum fuisse patrinum, fortasse suspicari valeret, an hoc verum esset, nam Hyppolitus tenere Sirium quivisset, vel per se, vel'etiam per alium. Cum tamen, comparente materialiter Hyppolito, declaratum sit patrinum ad invicem adstitisse Nicolaum, concludi oppido oportet , quod constare debuerit in actu ipso sacramenti Auctoritati ecclesiasticae, Nicolaum esse patrinum atque Hyppolitum, illum repraesentare.

Re quidem vera Parochus s. Facundini, uti asseruit in examine, solitus erat regestrare in libro parochiali nomen pueri confirmandi, paternitatem et maternitatem ipsius et nomen patrini, quando tradebat confirmando schedam confirmationis. Hoc sane peregit in chrismate Sirii, cum Hyppolitus mane confirmationis ad ea, quae in examine professus est, legerit schedam traditam a Parocho et existentem in manibus pueri, ubi scriptum erat nomen Nicolai, qua patrini. Ergo Nicolaus, aut alius pro eo, dicere debuit Parocho, se esse patrinum designatum a matre, absente marito, licet functioni personaliter adesse nequiret, quia pulsare organum debebat in Collegiata; itaque Parochus horum omnium ignarus, antea in scheda confirmationis apposuit nomen Nicolai, uti patrini, hinc regestravit in libro confirmatorum, cohaerenter libris Curiae, ipsum Nicolaum fore patrinum.

Neque solum Nicolaus Parochum commonefecit ante sacramentum se esse patrinum, sed ad Parochum quoque detulit procurae *mandatum* pro Hyppolito , quod ipsemet Hyppolitus vidit paulo ante confirmationem ceu testis firmavit. Alius testis vero deposuit, paulo ante confirmationem se audivisse Nicolaum exorare Hyppolitum ut pro se munere patrini fungeretur. Hyppolitus vero iuratus deposuit se id peregisse ex mandato accepto.

Vere mandatum traditum fuisse *scripto** ait defensor, ceu concorditer asserunt *Hyppolitus* ac alius testis videntes illud paulo ante confirmationem per Nicolaum tradi Parocho.

Sed, etsi nuda etiam voce daretur, concreditum munus haud minoris esset efficaciae, quandoquidem mandatum est contractus consensualis, qui, ad differentiam aliorum contractuum scriptum vel rem requirentium, solo consensu perficitur. Hinc ipsum matrimonium, oh legales consequentias, solemne magis graviusque sacramentum, contrahi potest per procuratorem nuda voce deputatum ex *Boss, de matr. cap. 3. num., 303; Sánchez de matrim, disp. 11 num. 14,* **Con**-*stant, vot. decis. vot. 526 num. 3, et Quttierez. de matr. cap. 43 num. 16.* Ceterum, dum iuxta iuris communis regulas mandatum perficitur solo consensu, pro sacra confirmatione probari deberet existere specialem legem derogatoriam iuri ipsi communi, requirentem mandatum in scriptis, quod sane nullo modo usuvenit.

Nicolaum vero renunciasse officio solus frater germanus Annae autumavit. Ideo, misso quod hic sit testis unicus neque formiter, iuxta *Benedictinam* examinatus, eius dictum pugnat cum iurata Hyppoliti. depositione. Insuper neque Anna interrogata, de renunciatione hac loquuta est : sane illud quoque factum obiecisset, quod certe ad validitatem sui matrimonii conferebat.

Praeterea defensor ait : nullo valido inniti fundamento obiectionem , qua censetur Nicolaum haud contraxisse cognationem spiritualem, eoquod non per se, sed *per procuratorem* tenuerit Sirium. Fuit olim insignis quaestio inter Theologos et Canonistas, quinam contraheret cognationem spiritualem, casu quo aliquis mandatum dederit procuratori tenendi puerum in baptismo vel in confirmatione.

Sacra tamen C. Congregatio in *Veronen. 29 Martii 1582* et iterum in alia *15 Martii 1631,* re discussa declaravit, unum mandantem, non mandatarium, contrahere cognationem. Postquam enim in una resolutione dixisset-: *Qui levat aut tenet, procuratorio nomine, nullam contrahit spiritualem cognationem* -, in altera, effectus cognationis pressius determinans, docuit - : *Procurator non contrahit cognationem spiritualem sibi, sed mandanti* -. Opinionem

s. Congregationis posthac amplexata est *s. Mota* ex *Verall. Decis. 147 num. 3.*

Quod si abscedi etiam velit ab his s. Congregationis decisionibus, *Pontius de sacr. matr. lib. 7 cap. 79 num. 10, Scavini Compendium Theol, moral, lib. 3 tract. 12 de Sacr. matrim,* et *s. Alphonsus Maria de Li gor io lib.* ***6*** *de baptism. et confirmat, num. 153 ;* (1) qui omnes recentiores Theologi, tenent solum principalem sive mandantem contrahere cognationem, hancque opinionem dicunt esse *communiorem.* Ex *Tridentino* enim is contrahit cognationem, qui est a parentibus ad suscipiendum designatus. Quin referat, quod-principal is in facto non suscipiat, quia per regulam iuris, qui per alium facit per se ipsum facere videtur. Minus vero obiiciendi sunt canones, actionem personalem in patrino quodammodo innuentes per verba - *tangat, accipiat propriis manibus* -. Quandoquidem istae actiones , etsi per procuratorem fiant, a nobis fieri videntur; sicuti et profiteri quis dicitur per procuratorem, et iurare , et vovere.

Theologis adhaerere Canonistas , atque inter ceteros *Nicol, lucubr. civil, et can. lib. 1 tit. 10 impediment. 4 vers. An vero, Engel, in ius canon. lib. 4 tit. 11 de cognat. spiritual.* Itaque hoc extante impedimento, de nullitate coniugii haud superesse dubium, conclusit orator.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS S. VINCULI. Notavit defensor in facto ea quae ex adverso adducuntur ad probandum Nicolaum patrini munus obivisse, *manca* et valde *suspecta* esse. Sane quae leguntur in parochialibus regestris, eadem adnotata reperiuntur in libris confirmatorum apud Curiam episcopalem N. existentibus; hinc Curiae, et parochi testimonium unum, idemque esse contendit. Curia enim id adnotavit in suis libris, quod scriptum erat in scheda exarata

(1) Hic animadvertas velim magni ponderis esse s. Alphonsi sententiam : ille enim insignis Doctor Ecclesiae ntinc est, eiusque doctrinam tuto sequi posse respondit s. Poenitentiaria. Recole, quaeso, Vol. I, pag. 497. Appendic. XVI har. ephem. circa iudicium s. Sedis super operibus s. Alphonsi Mariae de Ligorio.

a parocho et puero tradita , ut illam Episcopo confirmanti exhiberet. Iamvero ut haec plenam facere posset fidem , oporteret ut nec *manca,* nec *suspecta* foret. Atqui scheda a parocho exarata *manca* est, siquidem non notavit, patrini munus impletum fuisse per procuratorem, ceu communissime fieri absolet. Est etiam *suspecta:* quia interrogatus parochus cuius de mandato nomen Nicolai, uti patrini scripserit, respondit: haud memini quis poposcerit, ut in regestris notarem nomen Nicolai.

Porro hoc valde suspectum esse, edisserit defensor, cum de facto proprio agatur , et de re quae recenter , quinque scilicet menses ante acciderat. Crescere autem tradit huiusmodi suspicionem, quia, licet uti patrinum Sirii regestraret Nicolaum , dein hunc cum matre Sirii matrimonio iunxit, cum ignorare nec poterat, nec debebat, inter Nicolaum, et matrem Sirji cognationem spiritualem ortam fuisse , si reapse Nicolaum , puerum Sirium in confirmatione tenuisse credidisset. Neque regeras , prosequitur defensor, oblitum fuisse : duplicem enim hanc oblivionem, intra temporis spatium adeo breve, de re quae in oppido rumorem excitavit, non praesumibilem se se exhibere propugnavit. Quare conclusit ex scheda receptae confirmationis, uti a parocho exarata est, nihil probari posse. Neque testes aliquid probare videntur; quum ex eorum depositionibus erui potius queat, mandatum Hyppolito datum fuisse a Ioanne, germano fratre praefatae Annae , quandoquidem ipse a sorore designatus fuit patrinus Sirii, postquam Nicolaus illum tenere recusaverit. Ita iuratus ipse retulit in examine facto coram Vicario foraneo, etsi extraiudicialiter, quia consanguineus Annae.

Haec relate ad factorum historiam ; quo vero ad ius, animadvertit satis implexam et dubiam esse quaestionem , an *mandans,* vel *mandatarius* in sacra confirmatione contrahat cognationem spiritualem. Quapropter arguit, impedimentum ex officio patrini per procuratorem exercito, non oriri contra mandantem , eo quod dubium est utrum ipse spiritualem cognationem contrahat. Idque eo vel magis quia

impedimentum est odiosum et requirit certam causam et ius apertissimum.

Denique animadvertit defensor haud latere Theologos et Canonistas huiusmodi casum, et tamen acriter substinuerunt, tamquam opinionem probabilem, quod in hoc casu nemo contrahit cognationem spiritualem. Quin imo urget, Navarrum *cons. 6. lib. 4 tit. de cognat.* declarare hanc opinionem in puncto iuris *esseveriorem.* Ita Leander *de sacram. Tom. i, trac. 2 disp. 7,* Di Castillo *de Sacr ament. Tomus 1,* Diana, aliique. Cum itaque in iure hoc stare videatur, argui non posse, subiungit, mandantem contrahere cognationem, quia definitum est, illam non contrahere procuratorem. Brevi certum est ex Concilio Tridentino, cognationem spiritualem contrahi inter parentes confirmati et *tenentem.* Atqui pariter certum in facto est, Nicolaum non *tenuisse* puerum Sirium in confirmatione. Hinc patet inter eum, et parentes pueri ortam non fuisse cognationem spiritualem. Neque regeras Nicolaum tenuisse per procuratorem **1.** quia id ex facto liquido haud constat *2.* quia hoc etiam admisso, dubium valde in iure est, utrum contrahat huiusmodi cognationem , et in dubio standum esse pro exclusione, sin minus dispensationem petendam esse ad cautelam, agitur enim de sacramenti validitate, pro qua, omni in dubio, respondendum esse edisserit.

Hisce praehabitis, sequens enucleandum propositum fuit

Dubium

An sententia Curiae Episcopalis sit confirmanda, vel infirmanda in caste.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re ponderata, sub die **11** Iunii **1881** respondit :

Sententiam esse confirmandam.

EX **QUIBUS COLLIGES :**

I. Cornmunissimam verioremque haberi sententiam cum Fagnano et Sánchez, quae tenet cognationem spiritualem contrahi a solo mandante, quum infans suscipitur procuratorio nomine.

II. Etenim quum ex regula *12 in 6, qui facit per alium est perinde,, ac si faciat per seipsum;* ideo consequi solum patrinum, a parentibus designatum, haud eius procuratorem, contrahere spiritualem cognationem.

III. Idque colligi videri etiam a *paritate* et ab *absurdo:* a *paritate,* nam qui matrimonium per procuratorem contrahit, vere contrahit: ab *absurdo* autem quia si mandans non fieret patrinus, nullus adesset patrinus, eoquod procurator, non suo, sed alieno nomine munus patrini obire intendit. (1)

IV. Opinionem quae tenet, principalem mandantem sollummodo spiritualem contrahere cognationem, minime vero procuratorem, in themate roborari per s. **C.** O. resolutionem, quae admisit praeexistere inter coniuges spiritualis cognationis impedimentum, quo nulliter matrimonium contractum fuit.

(1) Mens Ecclesiae est, nt veri adhibeantur patrini in confirmationis sacramento; quod si mandans haud fieret vere patrinus, nullus adesset spiritualis confirmati cognatus ; quod absurdum est et contra mentem Ecclesiae.

NULLITATIS LEGATI, SEU ABSOLUTIONIS

Die 11 Iunii 1881.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Dominicus ac Antonius fratres, supplici dato libello, S. **C. O.** adi verunt exponentes : videlicet quod proprius pater, vita functus, informi scripto parochi illius aevi, sese onerare voluerit legato perpetuo unius Missae, cum sola praesentia, pro omnibus festis in paraeciali ee-

desia recitaiidae. Quod legatum putabatur relictum fuisse ab eius genitore, testandi capacitate tamen destituto. Duo testes scripturae iam demortui sunt. Complementum huius legati, posito etiam quod obligaret, numquam tamen satisfacti aut reclamati a parocho actuali, nunc fit impossibile, tum presbyterorum paucitate, tum dictorum haeredum egestate. Parochus praeterea ait, se vale dicturum fore cuilibet iuri, quod sibi competeret ex huiusmodi dispositione. Hinc iidem oratores expetunt ut praetensum legatum declaretur nullum, et quomodocumque ab eius complemento exonerentur.

Disceptatio sy»optica.

ORATORUM PRECES REIICIENDAE VIDENTUR. Ad hoc enim ut extremae *ad causas pias* dispositiones firmitatis robore fulciantur, de iure canonico requiritur, ut adsint tres vel duo testes, quorum ope testatoris voluntas probetur, ceu aperte statuit *cap. Relatum 11 h. t.* - ibi - « *Mandamus quatenus tum aliqua talis causa* (testamentum nempe ad causas pias) *ad vestrum examen fuerit deducta, eam non secundum leges, sed secundum Decretorum statuta tradetis, tribus aut duobus legitimis testibus requisitis,* et ut constet de libera testatoris voluntate cum capacitate testandi coniuncta. Hoc in iure posito, quod in huiusmodi institutione adfuerint duo testes, liquet ex defuncti elogio, quod a p. Erasmo Minoris Observantiae et ab Oeconomo Temperini subsignatum reperitur.

Neque hic ad huiusmodi dispositionis validitatem infirmandam obiicere valeret, quod testator sui compos haud fuerit. Hoc siquidem a veritate adeo alienum esse apparet, ut nullatenus admitti posse videatur. Sane si Ioannes Baptista avus oratorum, testandi capacitate revera praeditus haud fuisset, praesumi non potest, quod duo testes, quorum unus sacerdotali dignitate praefulsit, scriptum institutionis actum subsignassent, quodque testatoris ipsius filius obligationem pro se et pro suis haeredibus suscepisset. Verum admisso etiam parumper,

quod testator sui compos haud fuerit, tamen legati pii institutio viribus suis destitui nullo modo posse videtur, ex eo quod Ioannes Maria, testatoris filius et oratorum pater, paternam dispositionem ratam habuit, ac eam pro se et pro suis haeredibus suscepit.

Quin aliquid proficiat regerere huiusmodi filii obligationem in honore haud habendam esse, ex eo quia ipse interdicto obnoxius erat. Quandoquidem exploratum in iure est, quod cum dispositio ad pias causas, iuris civilis praescriptionibus haud subiaceat, sed secundum Canones iudicari debeat; *arg. cap. Relatum 11 de testam, et ultimis volunt,* nulla pretiosa ratio suppetere videtur cur dispositio *ad pias causas,* ab interdicto facta, in pleno firmitatis robore manuteneri haud valeat. Posito quod missarum legatum suis viribus consistat, relaxari nequit per gratiam; quae nedum destrueret testatoris voluntatem, sed etiam damnum afferret bono spirituali fidelium illius paroeciae.

ORATORUM PRECES EXCIPIENDAE VIDENTUR. Verumtamen ex alia parte nonnullae rationes adesse videntur, quae missarum legatum nullum declarari posse suadent. Sane cum testamentum, iuxta Modestinum *I. 1 ff. Qui testament, facere possint, sit voluntatis nostrae iusta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult,* sequitur quod is tantum de rebus suis disponere valeat, qui capacitate testandi destitutus haud est; quia, ceu monet Reiifenst. *Lib. 3 tit. 26 de testam, et ult. volunt.* §. *10, num. 282, 283* ut actus humanus valeat, etiam iure naturae requiritur ne agens careat usu rationis, *arg. §. Item furiosus Instit. Quibus non est permissum facere testam,* iuncta *Leg. 2. ff. Qui testam- facere. . . .* — ibi -- « *in eo qui testatur eius temporis, quo testamentum facit, integritas mentis, non corporis sanitas exigenda* ».

Hoc in iure posito, ex facto constare videtur, testatorem mentis integritate praeditum haud fuisse, tunc temporis quo haeredes suos de missarum legato diebus festis de praecepto celebrandarum obligatione gravavit, ceu edicunt oratores et

autumat Episcopus. Iste enim ait : videtur testator non fuisse compos sui, quoniam in illo actu nullam activam peregit partem; sed eius filius, interdicto obnoxius, istiusque oeconomus, obligationem in se susceperunt. Admisso itaque quod mentis integritas testatori haud fuerit, cum legati institutionem praescripsit, concludi posse videtur, huiusmodi legatum inefficax et nullius roboris haberi oportere.

Perperam autem, ad evincendam legati pii validitatem, obiici videretur, quod testatoris filius obligationem, ex patris dispositione ortam, in se susceperit. Factum enim a filio promissum vel uti obligationis novatio, vel uti obligatio accessoria haberi deberet. Si primum, cum ex facto manifestum erumpat, ipsum legitimo interdicto ligatum et ad obligationes captandas praepeditum fuisse, deduci posse videtur huiusmodi novationem nullam vim exerere posse. Si secundum, praeter rationem nuper adductam, animadvertendum occurrit, quod obligatio accessoria, cum principali superaddita sit, naturam et indolem ipsius obligationis principalis sequatur oportet. Qua de re cum ex superius allatis deduci posse videatur, legatum missarum, a Ioanne Baptista peractum, viribus suis consistere haud valere, sequitur quod obligatio a Ioannis filio super se suscepta, quavis firmitate destituta declarari debeat, ad tradita per *leg. 2 ff. de Pecul. legato* - ibi - « *Nam quae accessionum locum, habent, extinguuntur, cum principales res peremptae fuerint.* » Cui concordat *I.Nihil dolo 129 ff.deReg.Iur.*- ibi -*«Cumprincipalis causa non consistit, ne ea quidem,quae sequuntur,locum habent.»*

Admisso etiam quod de missarum legati existentia dubitari nequeat, oratores tamen ab eius satisfactionis vinculo liberari, ex gratia possent, iusta intercedente causa. Eorum extremam paupertatem recenseri inter iustas causas exonerationis erumpit *ex Causa 16 quaest. 7 cap. 30* « Quicum<-
> que fidelium, devotione propria, de facultatibus suis Eccle-
> siae aliquid contulerint, si forte ipsi aut filii eorum reducti
> fuerint ad inopiam, ab eadem Ecclesia suffragium vitae pro
> temporis usu percipiant. »

Quibus aliisque praenotatis, quaesitum est quomodo essent dimittendae oratorum preces.

RESOLUTIO. Sacra O. C. sub die **11** Iunii 1881 censuit respondere :

Non constare de legati validitate.

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Quod hominibus apprime congruat testamenti factio, rationem exhibet *lib.* ***i*** *C de ss. Eccles.* « Nihil enim est » quod magis hominibus debeatur, quam ut supremae volun- » tatis, postquam iam aliud velle non possunt, sit licitum, » quod iterum non redit, arbitrium. »

II. Hinc etsi ius civile certam formam testandi et modum introduxerit, tamen factionem testamenti ex iure naturali et gentium promanare, etiam historiae tradunt ; quae referunt apud varias gentes testamenta peracta fuisse ante leges civiles conditas.

III. Verum ex iure etiam naturali, ut testamentum, ceu actus humanus valeat, requiritur ut agens non careat usu rationis ; hinc mentecapti, furiosi et infantes, ipso iure naturae prohibentur testamenta condere.

IV. Et ius quoque civile, rem ratam habens, adiecit *leg. % ff. qui testamentum facere. . . .* In eo qui testatur, eiustem- » poris, quo testamentum facit, integritas mentis, non cor- » poris sanitas exigenda: » et *I. in adversa* **17** ff. eod. « In » adversa corporis valetudine mentecaptus, eo tempore testa** » mentum facere non potest. »

V. Quum in themate autumetur usu rationis caruisse oratorum avum, dum missarum legatum constitueret, hinc perperam egisse dicendum est, quamvis in testamentis *ad causas pias* sufficiant ea quae de iure naturae requiruntur.

Lie* il *Iunii* *i88i.

COMPENDIUM FACTI. Sac. Antonius Colleoni, sub die 6 Octobris anni 1817, per suum testamentum, legatum perpetuum 100 Missarum instituit ad instar Cappellaniae patrimonialis; quae celebrandae erant in Oratorio s. Iuliani, in oppido, vulgo, *Calusca* dioecesi B. posito , illudque voluit ut, prae ceteris possideretur a descendentibus suis in linea masculina velj ea deficiente, a descendentibus etiam ex feminis trium linearum, quarum prima voluit ut esset linea Mariae, Defendenti Zonca nuptae.

Iamvero clericus Ioannes Zonca, pronepos praedictae Mariae, cum in Seminario N. studio s. Theologiae vacaret et iam iam sacris Ordinibus suscipiendis proximus esset, huiusmodi Capellaniam Colleoni in titulum suae Ordinationis petiit, ad quam ex ipsius testatoris voluntate ius sibi spectare asserebat, ex quo linea masculina extincta remanserat.

Diu Ordinarius institutionem in hoc beneficio denegavit Ioanni Zonca, eoquod presbyteratus ordine careret; qui tamen cum sacerdotium adeptus esset, et Episcopus adhuc institutionem dare renueret, recursum habuit ad S. C C . denegatam ab Episcopo institutionem implorans, et insimul promittens, se deputaturum esse alium probatum Sacerdotem, qui suo loco spiritualia administraret, assignata eidem congrua retributione.

Disceptatio Synoptica

IURA PRESBYTERI ZONCA. Institutionem in dicta Cappellama sibi dandam esse, ait iste, quia de familia oritur, quae honorata fuit a testatore iurepatronatus passivo. Nam testator, quum innuisset ius hoc tribuendum esse suis descendentibus ex linea masculina, voluit etiam ut, eisdem deficientibus,

tribueretur iis qui descenderent ex tribus lineis feminilibus, quarum prima vocata fuit linea Mariae Zonca. Porro cum explorati facti sit, oratorem Zonca a memorata Mariae familia descendere, quandoquidem ipsius pronèpotem esse ex certis documentis manifestum apparet ; hinc talis Capellaniae institutionem ipsi indulgendam esse, nullo pacto ambigi posse videtur. Quapropter orator observat, Episcopum, huiusmodi institutionem ipsi denegando , ad normam Sac. Tridentinae Synodi haud se gessisse, quae in *Sess. 25. cap.* **5** *de He f.* decernit quod patroni, vel Ordinarii legem fundae tionis alterare non valeant, ceu tradit Rota in *Alexandrina Decanatus 12 Iunii 1598 coram Orano.*

Porro testatoris verba in themate adeo clara et explorata esse edisserit, et ius Oratoris ad huiusmodi Capellaniam obtinendam, ex fundationis tabulis adeo manifestum erumpere ait, ut id neque patroni, neque Parochus loci *Calusca,* nec Episcopus ipse inficiari valuerint. Sane relate ad Patronos Vicarius capitularis testatur: *nullam facere exceptionem, ut idem Zonca in beneficio instituatur.* Quovero ad Parochum loci Calusca, idem Vicarius capitularis refert: *ex Parochi responso et actis in Curia existentibus clare resultat dictum Sac. loann. Zonca vere iuspatronatus passivum ad dictum beneficium habere.*

Constito itaque, quod oratori ius competit huiusmodi beneficium habendi, constito pariter quod ipse idoneus est ad illud obtinendum , extra omnem dubitationis aleam positum esse videtur, eidem imploratam institutionem concedendam esse. Neque hoc mirum alicui esse debet, quandoquidem a rerum ecclesiasticarum scriptoribus huiusmodi collatio necessaria appellatur, teste G-arzia *de benef. part. 7 c. 15 n. 1* - ibi - « *denique cum sint aliqua beneficia, quae ex fundatione, institutione, statuto, consuetudine vel privilegio sunt debita certis personis seu certo generi personarum, illis et non aliis sunt conferenda huiusmodi beneficia, ut notum est, unde eorum collatio dicitur necessaria.* Concinit Rebuf *in praxi tit. de collatione n. 1*

et de quaest. 14 P. Gregor, de benef. c. 39 n. 3. Concordat Puteus *decis. 100 n. 3 lib. 3 et decis. Abulensis Parochialis £4 Oct. 1574.*

Atqui, praeter testatoris voluntatem in tabulis fundationis panditam, peculiares quoque causae praesto sunt quae preces ab oratore porrectas a S. C. C. excipi suadere videntur, quia nempe ipse pauper est, et aere alieno praegravatus; et quia periculum adest quod *Pemanium,* illud sibi addicat, quatenus vacare prosequatur. Tandem quia ipse Vicarius capitularis refert, in *votis esse praelaudati Parochi C. ut de facto* dictus Zonca instituatur et in vacantis beneficii possessionem immittatur.

Perperam autem pro huiusmodi institutione deneganda, obiiceretur, quod orator, cum in dioecesi N. degere teneatur, haud in conditione versetur adimplendi munera a testatore Beneficiato imposita , nempe certum applicandi missarum numerum, et coadiuvandi Parochum C. in animarum cura. Huic siquidem offensioni obviam it perpendens praeprimis in ipsius Episcopi facultate esse Oratorem in suam dioecesim revocandi, vel sin minus subdit se esse paratum ad idoneum Sacerdotem eligendum, qui, vice sua huiusmodi oneribus satisfaciat. Quod admitti posse autumat, tum quia notum in iure est, quod qui facit per alium est perinde, ac si faciat per se ipsum iuxta Reg. *72 de Reg. Iur. in 6 ;* tum quia in themate de beneficio residentiali haud agi videtur. Minus tandem subsumi valeret, oratorem ad statum ecclesiasticum idoneum non esse, cum explorati facti sit oratorem ab Episcopo N. presbyteratus ordine iam insignitum fuisse. Si itaque tum ex tabulis testamentariis, tum ex peculiaribus rationibus clare pateat, Sacerdotem Zonca ius habere ad huiusmodi beneficii possessionem adipiscendam , eius preces a S. C. C. excipiendas esse sponte fluere videtur.

QUAE PRESBYTERO ZONCA ADVERSANTUR. Verumtamen ex alia parte preces ab Oratore porrectas reiiciendas esse censuit Episcopus,, quia oratoris institutioni in beneficio duae opponuntur difficultates : quarum prima est quod hic pluries

examinatus in scrutiniis, quae haberi solent ante ordinationem, semper reiectus fuerit ; utpote qui specimina suae vocationis haud exhibuerit. Hinc, adiecit Episcopus, indignus beneficio eclesiástico censendus videtur, qui semel ac iterum indignus habitus est, ut ad sacerdotium promoveretur. Altera autem difficultas in hoc posita est, quod beneficium, de quo res est, praeter aliquas missas litandas, onus habet adnexum coadiuvandi Parochum Calusca. Ex quo fieret, ait Episcopus, vel quod ego oratorem excipere deberem in meum clerum, ut onera implere valeret, aut quod eidem beneficium conferrem, quin ille unquam onera implere posset. Ast *primum* facere nolo in oppositionem iudicii mei venerati antecessoris, quod iustificant informationes a me assumptae ; *secundum* ex sacris canonibus agere vetor, eo quod contra ius sit beneficium conferre illi, qui oneribus satisfacere nequeat.

Dubium aliquod, si adhuc superesset, diluit articulus 20 testamenti, tribuens Ordinario facultatem in iis casibus dubium dirimendi , eo quo meliori existimet modo. Adiecit tandem Episcopus : omnis difficultas ex parte *Demanii* diluetur, quum orator exceptiones facere cessabit : tunc rector eligi poterit, qui redditus percipiet , nunc a *Demanio* indebite perceptos.

Hisce in utramque partem expensis, EE. PP. resolvere propositum fuit

Dubium

*An Sacerdoti Ioanni Zonca institutio Beneficii, **a** sacerdote Antonio Colleoni erecti, danda sit in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. C. re cognita, sub die **18** Iunii **Ï881** respondere censuit :

Affirmative.

Ex **QUIBUS COLLIGES** *I*

I. Testatorum voluntates omnino servandas esse, omnia iura clamant, quando disertis verbis admittunt aut excludunt aliquas personas a successione in iuspatronatus.

IL Qui iure passivo fruuntur, eoquod nominati censeantur ab ipso fundatore, iure proprio obsistere possunt cuivis nominationi, quatenus ipsi a collatoribus negligantur.

III. Ait enim s. Tridentina Synodus : in beneficiorum collatione, nullimode esse detrahendum qualitatibus et certis oneribus, quae .in eorumdem beneficiorum erectione aut fundatione requisita vel constituta fuerint.

IV. Quum nonnulla beneficia ex fundatione conferri debeant certis personis, seu certo generi personarum, ideo istorum beneficiorum collatio necessaria dicitur.

V. In themate quum ex certis documentis pateat, oratorem descendere a prima linea, passive vocata, hinc denegari eidem nequivisse eiusmodi cappellaniam, cuius onera, etiam per alium implere posset. (1)

(1) Eecole Vol. IV, pag. 643 et 653, Vol. VIII, pag. 463.

EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

PARISIEN, SEU CONGREGATIONIS MISSIONIS QUOAD VICARIOS ET PRAEFECTOS APOSTOLICOS.

Die 3 Iunii 188i.

COMPENDIUM FACTI. Revmus P. Fiat superior generalis congregationis Missionis, SSmo Patri Leoni XIII retulit dif-

fìcultatem in conventu generali, habito ad eligendum superiorem generalem, ortam, quoad Vicarios et Praefectos Apostolicos nempe: an hi, dum de eligendo Superiore generali agitur, voce passiva gaudeant nec ne?

Conventus generalis, ait, re mature examinata, persuasum habuit, hos revmos dominos, nec per regulas, nec per constitutiones, nec per decreta conventuum generalium hac in electione voce passiva privari. Attamen eumdem conventum latere non potuit, vicarios praefectosque Apostolicos ad conventum vocari neque venire posse, nisi accepta ab Emo Praefecto S. C. Propagandae Fidei facultate; neque acceptare posse, absque dispensatione Summi Pontificis, officium superioris generalis, si quem eorum ad hoc promoveri contigerit. Hoc in casu quilibet videt, electionem superioris generalis perfici haud posse vel suspensam remanere. Ideo nullus conventui suppetebat modus sese expediendi ab hoc perplexo statu, nisi Vicarii et Praefecti Apostolici, libenti atque spontaneo corde , hac vice renunciassent suffragio passivo.

Eamdem emiserunt renunciationem Vicarii et Praefecti Apostolici pro electione assistentis et admonitoris Superioris generalis. Hi enim dum locum ad officium in quo a Sede Apostolica constituti sunt, absque eiusdem Sedis dispensatione relinquere nequeant, residere deberent apud superiorem generalem ex natura officii assistentis aut admonitoris et vi decretorum conventuum generalium.

Quamvis pro hac vice, his mediantibus renunciationibus, sponte emissis, praesens electio haud suspensa manserit, ne dubium tamen pro futuro irresolutum consisteret, res supremo Sedis Apostolicae iudicio commissa fuit.

Disceptatio Synoptiea.

Archiepiscopus Parisiensis de informatione et voto super hanc quaestionem interpellatus ait, sese censere:

1. Episcopos e Congregatione Missionis ad regimen alicuius Dioecesis assumptus nec passiva nec activa voce gaudere

in electione superioris generalis aliorumque officiorum, utpote iam a vinculis Congregationis absolutos, et in perpetuum suae Sedi alligatos.

2. Vicarios Apostolicos, episcopali insignitos dignitate, vocem activam non vero passivam habere posse in Capitulo generali. Id consentaneum foret praxi hactenus vigenti et loco, quem obtinent inter sodales Congregationis; nam vitam communem agunt cum missionariis, Superiores sunt domorum; et etiam visitatoris munus gerunt in sua provincia. Ideoque semper vocem activam habuerunt, quae non videtur ipsis deneganda. Non idem dicendum de voce passiva, quamvis nullibi ipsis tollatur in constitutionibus ac decretis. De facto nullus Vicarius generalis electus fuit ad generalatum, et talis electio aliena foret a mente constitutionum, quibus statuitur Superiorem generalem non posse acceptare dignitates ecclesiasticas absque consensu capituli generalis, nisi summus Pontifex id in virtute sanctae obedientiae, praecipiat. Id praecipitur §. 9 Bullae Clementis X *Ex iniuncto,* iam pluries laudatae.

3. Praefectos Apostolicos qui non sunt dignitate episcopali insigniti, ad officium Superioris generalis eligi posse optandum foret. Nam nihil obstat in constitutionibus et decretis Congregationis missionis: et aliunde magni interest ut numerus eligendorum non plus aequo coarctetur. Ni fallor, ait Antistes, eadem ratio non militat pro officio assistentis et admonitoris Superioris generalis et aliis officiis Congregationis. Quapropter in sententiam, ait Antistes, devenire m concedendi tantum vocem activam, non vero passivam in electionibus huiusmodi.

Emus Praefectus S. C. Propagandae Fidei rogatus de sua sententia, censuit haud conciliari posse vocem passivam ad officium Generalis ordinis pro vicariis Apostolicis, qui nomine s. Sedis iurisdictionem exercent in aliquo determinato territorio. Quoad vocem activam, arbitratus est prae oculis habendam esse consuetudinem, qua fit "ut illa in Congregatione

etiam Vicarii Apostolici vocentur ad electionem Superioris generalis.

Consultor suum prolaturus suffragium distinguit ius constitutum et ius constituendum. Ius constitutum hac in re constat ex regulis canonicis, constitutionibus Congregationis, ac legitima consuetudine. Et dum iuxta huiusmodi normas Episcopi huius ordinis ad Dioecesim regendam assumpti, nullam amplius in eius conventibus vocem habent, quia sunt extra familiam regularem constituti; Vicarii vero et Praefecti Apostolici, sive dignitate episcopali decorati, sive non, in Capitulo voce activa gaudent, quia ita sunt a s. Sede in partibus ecclesiastici regiminis destinati, ut maneant tamen in Congregationis gremio.

Quaestio itaque redigitur ad vocem passivam quoad munus residentiale Superioris generalis, assistentis et admonitoris. Nulla enim adest prohibitio ut eligantur ad haec munera Vicarii et Praefecti Apostolici. Imo profertur generalis capituli decretum, per *Constit. Clementis XI* confirmatum, quo quicumque Missionis sacerdotes, qui duodecim, post emissa vota, annos in Congregatione transegerunt, ad generalatum ceteraque officia libere eligi valeant.

Cum vero tam in constitutionibus, quam in ipso decreto excipiatur - dummodo quis nullo canonico impedimento irretiatur - videndum est, ait Consultor, an quoad vocem passivam ad praefata officia canonicum impedimentum sit munus praefecti seu vicarii Apostolici. Porro s. Cong. Ep. et Reg. sub die 19 Augusti 1795 edidit generale decretum, ne in quocumque regularium instituto eidem personae duo munia incompatibilia conferantur, ita ut muneris posterioris collatio sit nulla. Quod vero munus Superioris generalis assistentis et admonitoris Congregationis Missionis cum munere Vicarii seu Praefecti Apostolici incompatibile existat, patet, aliis omissis , ex quo Generalis Superior, assistens et admonitor Parisiis in domo s. Lazari, Vicarius vero, et Praefectus Apostolicus in assignato territorio residere debeant. Neque eorumdem eligibilitas sustineri videtur, ex quo si quis ex eis eli-

geretur, posset a s. Sede approbari in generalati! cum dimissione muneris Vicarii seu Praefecti Apostolici. Nam electio ista conditionata esset, contra ritum et consuetudinem ; et electio Superioris generalis interim suspensa maneret, donec Apostolicum responsum obtineretur; ideoque ipsum Capitulum suspenderetur, contra constitutionum statutum, et non sine gravi ordinis perturbatione.

Ex iure autem constituendo, optandum foret quod Praefecti Apostolici, qui non sunt Episcopali dignitate insigniti, ad officium Superioris generalis, eligi possint; ne numerus eligendorum ad,..supremum Congregationis regimen plus aequo imminuatur. Quapropter consulendum esset Sanctissimo Patri pro huiusmodi concessione et declaratione, quod nempe Congregatio Missionis libere in Generalem eligere statimque proclamare possit aliquem ex Praefectis Apostolicis, non Episcopis, maioritate suffragiorum electum. Hoc autem consilium dare non est meum, ait Consultor, sed sacrae Congregationis, cui res explananda commissa fuit a Beatissimo Patre.

Quibus praenotatis, quaestio proposita fuit per duo sequentia

Dubia

I. *An Vicarii Apostolici, ordine Episcopali insigniti, in congregatione Missionis ius habeant vocis activae et passivae in electione Superioris Generalis, Assistentis et Admonitoris eiusdem in casui*

II. *An Vicarii et Praefecti Apostolici, ordine Episcopali haud insigniti, in congregatione Missionis ius habeant vocis activae et passivae in praedictis officiis in casui*

RESOLUTIO. Sacra Congr. Ep. et Reg. sub die **3** Iunii **1881** re discussa, censuit esse respondendum:

Ad I. *Negative quoad vocem passivam, affirmative quoad activam, personaliter tamen exercendam.*

Ad II. *Prout in primo, durante munere.*

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Vicarios Apostolicos, ordine episcopali insignito» in congregatione Missionis haud eligi posse in Generalem, assistentem et admonitorem Superioris generalis eiusdem.

II. Huiusmodi enim munera, aliis omissis, conciliari omnino nequeunt cum munere Vicariorum Apostolicorum; eoquod dum isti territorium sihi assignatum incolere debent, Generalis vero, eius assistens et admonitor Parisiis vitam degere coguntur.

III. Eosdem tamen Vicarios Apostolicos, Episcopos, ius habere vocis activae in praedictis electionibus, dummodo personaliter suffragium ferant, minime vero per alios sive per procuratorem.

IV. Vicarios vero et Praefectos Apostolicos, ordine episcopali carentes destitui iure vocis passivae tantum dum in munere huiusmodi permanent; ita ut si hoc desinat, eligi et iterum possunt ad munera Generalis, assistentis et admonitoris.

V. Vicarios Apostolicos Episcopos numquam redintegrari in iure vocis passivae quoad praedicta munera, quia Constitutiones Missionis praecipiunt Superiorem generalem adire non posse ecclesiasticas dignitates, nisi id iusserit Pontifex Romanus in virtute sanctae obedientiae.

EX S. CONG. S. R. U. INQUISIT.

DECRETUM QUOAD DISPENSATIONES MATRIMONIALES

Feria IV die 1. Februarii 1882

In Congregatione Generali S. R. et Universalis **Inquisitionis** habita coram Emis ac Rmis DD. S. R. E. Cardinalibus **in rebus** fidei Inquisitoribus Generalibus proposito dubio: Utrum ad **valorem** dispensationum, quae sive directe ab Apostolica Sede, sive ex **Pon-**

tificia Delegatione conceduntur super quibuscumque gradibus prohibitis consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis et legalis, nec non publicae honestatis necessarium sit exprimere copulam incestuosam, a sponsis habitam ante impetrationem vel executionem praedictarum dispensationum, nec non exprimere consilium, et intentionem cum qua copulam inierunt obtinendae facilius dispensationis.

Iidem Emi ac Rmi DD. praehabito voto dd. Consultorum, respondendum decreverunt : Standum Decretis s. Officii fer. IV 8 Augusti 1866 et s. Poenitentiariae 20 Iulii 1869 nempe

I. Feria IV. 8. Augusti .1866.

u Emi Patres decreverunt subreptitias esse et nullibi, ac nullo
» modo valere dispensationes, quae sive directe ab Apostolica Sede,
» sive ex Pontificia Delegatione super quibuscumque gradibus pro-
» hibitis consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis et le-
n galis, nec non publicae honestatis conceduntur, si sponsi ante ea-
» rumdem dispensationum executionem, sive ante sive post earum
v impetrationem incestus reatum patraverint, et vel interrogati,
» vel etiam non interrogati, malitiose, vel etiam ignoranter reti-
» cuerint copulam incestuosam, inter eos initam, sive publice nota
» ea sit, sive occulta, et reticuerint consilium et intentionem, qua
» eam copulam inierunt, ut dispensationem facilius consequerentur.
n Sufficere autem, ut unus ex sponsis delictum hoc suum, vel ne-
n fariam intentionem modo dictam expiraverit. Quod profecto ne-
» dum a probatis auctoribus communiter traditur , sed etiam a
7> Summo Pontifice Benedicto XIV. confirmatur in Constitutione,
TÍ quae incipit ***Pastor bonus,*** *n*

II. Sacra Poenitentiaria sub die 20 Iulii 1869 respondit

u Post Constitutionem Benedicti XIV ***Pastor bonus*** non posse
n amplius dubitari de nullitate dispensationis obtentae, reticita eo-
n pula incestuosa, vel prava intentione facilius obtinendi dispen-
» sationem, habita in ea patranda. »

EPISTOLA ad Archiepiscopos et Episcopos, aliosque locorum ordinarios in regione Sicnla.

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES ET DILECTI FILII

»ALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Sicut multa • audacter et insidiose ii susceperunt, qui de pernicie catholici nominis iamdiu cogitant: ita nominatim videntur decrevisse, vim quamdam popularis invidiae in Pontifices maximos excitare. - Quod quidem ipsorum consilium quotidie magis illustratur et erumpit. Omnem enim occasionem vituperandorum Pontificum datam avide arripiunt, non datam studiose captant : incorruptis rerum gestarum monumentis posthabitis, fictos sermones dissipant : falsa crimina , tamquam venenata tela iaciunt, tanto effraenatiore ad audendum licentia, quanto est impuni tas maior. In qua male dicendi consuetudine aliud quippiam propositi inest, praeter contumeliam : videlicet huc plane spectant homines improbi, ut e persona Pontificum Romanorum ad ipsum Pontificatum, divinitus institutum contumelia perveniat, adductisque in contemptionem summis Ecclesiae Principibus, Ecclesia ipsa , si fieri possit, opinione hominum iudicioque damnetur. - Harum machinationum triste ad recordationem documentum extremo mense martio Vos,'Venerabiles Fratres et Dilecti Filii, Panormi vidistis. Nec tacita esse potuit indignatio vestra : significationem eius luculentam et nobilem, qualem ab Episcopis expectari oportebat, ad Nos per litteras, officii plenas, deferendam curavistis. Profecto illae iniuriae praeter modum graves fuere, ut qui ex constituto Panormum convenerant, coniiciendis certatim probris in Pontifices Romanos visi sint convenisse. Ne ulla quidem verecundia religionis fuit, quam Siculi homines ab avis et maioribus sancte inviolateque conservant, quaeque est atrociter dictis lacessita, in quibus ipsam agrestem immanitatem nemo probus ferre aequo animo potuit. Quantus harum rerum inustus animo Nostro sit dolor, coniecturam ex dolore vestro singuli facite. Nihil enim tam lamentabile est, quam publice licere Ecclesiae maiestatem sanctitatemque

nefarie contemnere ; nihil tam miserum, quam summorum Pontificum memoriam ab italis hominibus indigne violari.

Ea quae Pontifices Romani pro salute Italiae gesserunt, orbis terrae testimonio iudicioque comprobantur , ita ut nihil sit, quod nomini Decessorum Nostrorum metuamus ab aequis et prudentibus viris. Verumtamen Nos in criminationibus, de quibus loquimur, valde commovit primum rei indignitas per se : deinde multitudinis minus eruditae periculum, quae facilius decipi et in errorem impelli potest.

Et sane magnus futurus est error, si in re iudicanda sex ante saeculis gesta non ab his temporibus moribusque nostris cogitatio avocetur. Respicere quippe opus est ad instituta et leges eius temporis, maxime vero ius gentium, quo tunc viveretur, repetere. Exploratam est, quaecumque demum illius iuris origo et indoles extiterit, temporibus illis plurimum in rebus etiam civilibus auctoritatem Romanorum Pontificum valuisse, idque non modo non repugnantibus, sed consentientibus libentibusque principibus et populis. Cumque optabile videretur Vicarii Iesu Christi patrocinium , non raro usu veniebat, praesertim in Italia, ut ad eum velut ad parentem publicum confugerent civitates, eidemque sese in fidem sponte sua traderent et commendarent. Domina animorum religione, Apostolica Sedes perinde habebatur ac propugnaculum iustitiae, et infirmiorum tutela adversus iniurias potentiorum. Et hoc quidem cum magna utilitate communi : hac enim ratione factum est, ut, Pontificibus auctoribus, diremptae saepe sint controversiae, sedati tumultus^ sublatae discordiae, bella composita. - In hoc tamen magisterio populorum ac pene dictatura, nemo Romanos Pontifices iure coarguet imperii sui vel opes augere, vel fines proferre voluisse. Omnem potestatem suam illuc semper converterunt ut civitatibus prodessent i nec semel ipsorum opera et auspiciis Italia impetravit, ut vel **ex**ternorum hostium propulsarentur incursiones, vel domesticorum adversariorum turbulentia ambitio frangeretur. Quam ad rem sapienter et opportune, Venerabiles Fratres et Dilecti Filii, commemorati a Vobis sunt Gregorius VII, Alexander III, Innocentius III, Gregorius IX, Innocentius IV Decessores Nostri, qui exterarum gentium dominationem, rebus italicis saepius imminentem, prudentia et fortitudine summa prohibuerunt.

Quod ad Siciliam vestram pertinet, fidei et pietati eius in hanc Apostolicam Sedem paterna benevolentia Pontificum mutue cumulatele respondit. Revera ipsorum consilii vigilantiaeque non me-

•dioeri ex parte Siculi debent quod potuerint Saracenam servitutem -effugere. Gratamque etiam et aequam libertatem ab Innocentio IV •et Alexandro IV gens Sioula tunc impetravit cum, post Conradi Imperatoris obitum, summam imperii penes municipium esse placuit. Post autem si Clemens IV Carolum Andégavensem solemni ritu Siciliae regem appellavit, cum Pontifex reprehendatur nihil est. Fecit ille iure suo , fecit quod e republica Siculorum magis esse iudicavit, delatis imperii insignibus viro nobili et potenti, qui civicas res ordinare et exterorum ambitioni resistere posse videbatur: •de quo viro vel ipsa maximarum virtutum domestica exempla sperare iubebant, fore ut iuste et sapienter imperaret. Nec caussa est, quamobrem vel Urbano IV vel Clementi IV vitio detur, quod homo natione exterus regnum Siculorum capessivit. Etenim praeterquam quod exemplis huius generis, nec antea carebat, nec postea caruit historia, Siculi ipsi in potestatem externi principis illo eodem anno volentes concesserunt.

Simul ac vero se Carolus inflexit in dominatum iniustiorem, maxime ministrorum vitio praecipitata in perniciosam partem republica, desiderata certe non est Romanorum Pontificum in admonendo caritas, in corripiendo severitas. Constat inter omnes, quot quantasque curas Clemens IV et Nicolaus III adhibuerint, ut hominem ad aequitatem iustitiam quam revocarent. Quorum providentia pervicisset fortasse obstinationem viri principis , nisi viam rebus novis cruenta multitudinis ira subito patefecisset. Post inhumanam illam caedem, cuius, ubi furor constitisset, ipsos puduit auctores, conscientia officii impulit Martinum IV, ut Siculos itemque Petrum Aragonium aliquanto severius pro merito ipsorum adhiberet. Nihilominus tamen eam severitatem et ipse Martinus et Honorius IV, Nicolaus IV, Bonifacius VIII lenitate et misericordia mitigarunt; iidemque non antea quiescere visi sunt, quam, omnibus iis controversiis per litteras legationesque compositis, Siculorum saluti et legitimae libertati, quantum fieri poterat, consuluerunt. Quibus ex rebus manifestum, quod Vos, Venerabiles Fratres et Dilecti Filii, verissime dixistis, fautores iniusti dominatus vel popularis invidiae concitatores,appellari Romanos Pontifices, nisi per summam iniuriam, non potuisse. In quo quidem Decessores Nostri iustioribus iudicibus usi sunt iis ipsis hominibus Siculis, qui, recenti adhuc caede, Sedem Apostolicam Edentibus animis implorandam censuerunt.

Haec commemorare voluimus , ut de tot tantisque iniuriis Ecclesiae et Pontificatui Romano impositis querelas Nostras publice

testaremur: eodemque tempore ut vos intelligeretis, gratas admodum accidisse Nobis communes litteras vestras, quibus easdem iniurias summa voluntatum concordia Nobiscum pariter deplóratis.

Apparent in iis litteris episcopalis vestigia virtutis, cuius gratia forsan ignoscentior posteritas erit eorum temeritati, qui nihil dubitarunt Romanum Pontificatum, hoc est nobilissimum et maximum Italiae decus, incesto ore lacerare.

Ceterum ex hoc ipso magis ac magis perspicitis, quod superiore mense februario monuimus , quanta vigilantia providere oporteat ut fides catholica in tanta iniquitate temporum apud Italos conservetur. Pergite itaque, Venerabiles Fratres et Dilecti Filii, fortiter pro iuribus Ecclesiae propugnare, mendacia improborum convincere, fraudes detegere, Sieulosque universos in fide et amore retinere huius Apostolicae Sedis, unde iis, beneficio Apostolorum, christianae sapientiae lumen affulsit.

Divinorum munerum auspicem et praecipuae benevolentiae Nostrae testem Vobis, Venerabiles Fratres et Dilecti Filii, et populis curae fideique vestrae concreditis Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud s. Petrum die XXII Aprilis HDCCCLXXXII Pontificatus Nostri Anno Quinto.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

ŒDSOLANEN.

FUNERUM ET EMOLUMENTORUM

Die 11 Iunii 1881

COMPENDIUM FACTI. Anno **1879** Parochus s. Victoris urbis Mediolanensis, supplici dato libello exposuit : intra limites suae paroeciae ab aliquot annis Religiosos s. Ioannis de Deo privatam aperuisse domum, quam appellarunt *Hospitium sanitarium,* sub nomine s. Iosephi. Domus haec pauperibus clausa, excipit tantum infirmos divites qui solvere

possint tres, quinque et decem libellas dietim. Hinc oratoris iudicio domus haec videretur nil habere commune cum aliis domibus eiusdem Ordinis, in quibus aegroti conditionis et religionis omnigenae excipiuntur, dummodo pauperes ; quibus omnino gratuita exhibentur remedia tum corpori tum animae. Directores huius domus, prosequitur Orator, expetunt facultatem aperiendi publicam Capellani contra paroecialem Ecclesiam, ut emolumentis frui valeant, seseque subtrahant iuribus parochialibus. Quapropter quaesivit Orator, an privilegia elargita a s. Pio V et a Gregorio XIII religiosis s. Ioannis de Deo, protendi possint ad hanc novam domum; et an funerum emolumenta ipsis competant religiosis, vel Parocho, in cuius morantur iurisdictione.

Disceptatio Synoptica

IURA RELIGIOSORUM. Patronus hospitalis domus s. Iosephi •contendit, eiusmodi domum s. Iosephi a iurisdictione parochiali ita exemptam esse, ut ipsi competat ius nedum funera eorum celebrandi, qui in dicta domo decedunt, verum etiam integra funerum emolumenta percipiendi. Quod ut efficaciter consequatur, in duas partes orationem suam dispescit. In prima parte adstruit iura, exemptiones, et privilegia quae religiosi huius domus s. Iosephi sibi vindicant, in Bullis seu Constitutionibus apostolicis fundamentum habere. In secunda vero nonnullis.offensionibus, ex adverso oppositis, occurrit.

Primum itaque caput aggrediens • edisserit, nullo pacto ambigi posse quod religiosis s. Ioannis de Deo in hospitali domo s. Iosephi degentibus ius competat, nedum funera in publica proprii hospitalis Ecclesia peragendi, verum etiam eorum emolumenta percipiendi: quandoquidem id ex pluribus romanorum Pontificum Constitutionibus scatet. Equidem sa. me. Pius V. in Brevi *Salvatoris Nostri* pro hospitali Granatae in Hispania erecto, in §. 9 ita decrevit : « Nec non hospitale, « illiusque Ecclesiam, Altaria et Capellas praedicta ab omni- * moda dictae et quarumcumque aliarum parochialium seu

« aliarum Ecclesiarum ac illorum Rectorum et Beneficiato-
€ rum iurisdictione et superioritate, ratione perceptionis elee-
« mosynarum, oblationum et aliorum iurium'et obventionum
< praedictorum et quorumcumque aliorum etiam funeralium,
« quae ipsi hospitali proveniunt et provenient, perpetuo exi-
« mimus et totaliter liberamus. »

Cuius dispositionis duplicem rationem ab eodem Pontifice assignari subdit. Prima scilicet, quia Parochi in hospitali nihil faciunt, cum illud proprium Rectorem pro sacramentorum administratione habeat : altera vero, quia huiusmodi emolumenta in subsidium et incrementum hospitalium rependi debent: Huiusmodi autem privilegia et exemptiones Granatensi hospitali concessas a Gregorio XIII per Bullam *In super eminenti,* die 28 Aprilis 1576 ad omnia hospitalia s. Ioannis de Deo extensas, et ampliatas fuisse ait, ceu ex §. 14 eiusdem Bullae liquet. Imo subdit, Sixtum V ut haec iura, privilegia atque exemptiones maiori firmitatis robore communiret, binis Constitutionibus die 10 Iunii 1585 editis, tum Breve s. Pii V, tum etiam Bullam Gregorii XIII ex integro confirmasse. Addit insuper quod Gregorius XIV praeter memorata privilegia iura et exemptiones a praefatis Pontificibus omnibus s. Ioannis hospitalibus, sive in Italia sive extra Italiam extructis concessa, iisdem privilegia, immunitates et exemptiones communicavit, quae s. Spiritus de hac Urbe Archihospitalis propria existunt.

Porro privilegia et immunitas a sa. me. Sixti IV s. Spiritus Archihospitali indulta in hoc consistebant, ut eiusdem Praeceptores et Rectores non modo quartam parochialem solvere haud tenerentur, sed et ab obligatione solvendi gabellas, passus et alia onera immunes forent. Nec aliter se gessisse, urget, Clementem VIII, qui in vim Constitutionis diei 9 Septembris 1596, nedum Religionem s. Ioannis de Deo, ad quorumdam instantiam ab ipsis suppressam, in pristinum restituit, sed insuper in §. 2 praefatae Constitutionis statuit ut omnia Hospitalia ad hanc Religionem pertinentia, eorumque Rectores privilegiis, et exemptionibus et praerogativis

per suos Praedecessores indultis, perpetuo gaudere valerent. Idque optimo iure factum fuisse asserit, **si** enim, ut sapienter observat Card. De Luca ***Disc. XXIII §. V de Paroch.*** - ibi - « ista hospitalia exempta sunt a Parochorum **Turis**-te dictione, quoniam ille qui ex eodem ordine, seu alias de-
« putatus ad administrandum sacramenta infirmis, habetur
« loco parochi, ipsumque hospitale intra suum ambitum dicitur
« habere territorium separatum, atque quoad ibi viventes con-
« stituere quamdam speciem Parochiae diversae, ac stantis
< per se » ; sponte sua fluit huiusmodi hospitalium Rectoribus ius non modo funera in propria Ecclesia peragendi, ceu quilibet parochus peragere solet, sed etiam emolumenta omnia ipsis concedi oportere.

Ex quo evenisse urgebat orator ut quoties huiusmodi iura et privilegia ad praedictos s. Ioannis Religiosos spectantia in discrimen adducta fuerint, iugiter nedum a sacris Tribunalibus, sed etiam ab ipsis Romanis Pontificibus recognita et confirmata fuerunt; quod confirmavit defensor, multis allatis exemplis.

Hoc in iure praestituto, cum in facto consistat, s. Iosephi hospitalem domum, esse coenobium ac hospitale ad s. Ioannis de Deo Congregationem pertinens, sponte sua fluere, prosequitur Orator, ad hanc hospitalem domum eadem privilegia et iura, easdemque facultates et exemptionem, ceteris omnibus hospitalibus proprias, extendi et communicari debere. Porro quod s. Iosephi hospitale uti domus religiosa sit habendum, quodque ad formam aliorum eiusdem s. Ordinis constitutum sit, ea fidem faciunt, quae huiusmodi erectionem vel praecesserunt vel comitata sunt.

Sane ex facto constare edisserit, eam nedum christifidelium eleemosynis, nedum pecuniis religiosorum propriis, verum etiam pecuniis e capsa totius provinciae depromptis, auctorantibus Religionis superioribus, acquisitam atque ampliatam fuisse. Constare pariter ex facto urget ipsam domum non modo consentiente et approbante Congregationis **maiori** Confratre extructam, non modo clausura Apostolica

munitam, non modo ven. huic hospitali s. Ioannis Oalibytae aggregatam, sed etiam patribus Provincialibus ac Prioribus, ex superioris Generalis mandato, subiectam esse.

Rursus, prosequitur Orator, hanc domum esse religiosam evincunt Regulae disciplinares, de rmi p. Generalis mandato viris, in s. Iosephi hospitali existentibus, a p. Provinciali indictae.

Nec satis : indolem religiosam talis domus apparere propugnat ex fine, quem in ea extruenda confratres sibi proposuerant, ut scilicet domum haberent, in qua, independenter a quacumque laica potestate, vitam, iuxta regulas proprii Ordinis, agere valerent, et novum coenobium instituèrent, in quo reciperentur quotquot habitum s. Ioannis de Deo suscipere in votis haberent, ne ipsa Religio sensim et sine sensu extingueretur. Tandem praefatam domum uti religiosam habendam esse contendit, quia Rmus p. Generalis domum religiosam extruere in mente habuit, eamque tali nomine iugiter usurpavit.

Constito autem, concludit Orator, agi in themate de coenobio et de religiosis, qui albo confratrum s. Ioannis de Deo recensentur, sponte sua fluit ipsis quoque iura et privilegia omnia atque exemptionem a parochorum iurisdictione communicanda esse, quibus romani Pontifices huiusmodi religiosas familias, ubilibet institutas, vel instituendas cumulare censuerunt ; ideoque tam ius funera in propria Ecclesia peragendi, quam eorum emolumenta percipiendi ipsis tribui oportere. (1)

(1) Omissis aliis decisionibus et auctoritatibus, opportunum duximus referre sententiam Tribunalis Cardinalis Vicarii, die 2 Februarii 1879. Mortuo siquidem in hospitali s. Ioannis Episcopo Versaliensi et funeribus in Ecclesia eius hospitalis peractis, quaestio efferbuit circa funerum emolumenta. Ea enim sibi competere Parochus asserebat, Statuto Cleri Romani innixus quod sub §. 12 haec habet: «Integri funeris praetendi ius » Parocho proprio datum etiam intelli- » gitui quoad eos, qui in quocumque » privilegiato hospitali decedunt ». Denegabat contra Generalis, eiusdem hospitalis superior, ad iura et privilegia a Summis Pontificibus suo Ordini concessa provocans. Cessa in irritum amica transactione, Emus Urbis Vicarius, perpenso voto a duobus canonistis dato, libratisque utriusque partis rationibus, sententiam protulit religiosis s. Ioan-

Posthaec transvolans orator ad secundum suae orationis caput ait, inani labore consumi adversarios obstrepentes agi in themate non de coenobio ac hospitali fratrum s. Ioannis de Deo, sed de privata domo, quam quidam pii viri erexerunt, statutum confidentes in cuius vim aegroti persolvere tenentur quotidie vel tres vel quinque, vel decem libellas, ut in hospitali excipiantur. Respondet-enim quod huiusmodi offensio superius penitus refuta ta fuit, ubi, pluribus adductis argumentis, demonstratum est, hospitalem domum s. Iosephi esse vere religiosam, et vere religiosos pariter esse viros qui sub s. Ioannis de Deo regulis communem vitam ibi agunt.

Praeterea a veritate abhorrere subiungit, quod in praedicta domo non recipiantur nisi qui *tres, quinque et decem libellas* quotidie persolvunt. Quandoquidem ex irrefragabilibus documentis comprobari substinet, quod licet tenuis trium libellarum pensio pro quolibet infirmo statuta sit, tamen quidam ex infirmis libellas duas cum dimidio, quidam vero duas, aliqui autem unam tantum libellam vel minus persolvunt, nonnulli tandem omnino gratis recepti et curati fuerunt. Huiusmodi autem trium libellarum pensio, collatis prius cum Archiepiscopo consiliis, ideo a Religiosis statutam fuisse contendit, ut • hospitalis domus, ceu superius innuimus, a tutela et vigilantia commissionis saecularis, vulgo *Congregazione di Carita,* subduceretur.

Quae cum ita sint mirum non esse, subiungit, si non modo antiqua s. Ioannis hospitalia, sed etiam nuperrime fundata, quae in eadem ac s. Iosephi domus, imo in duriori conditione versantur, iisdem privilegiis, exemptionibus ac iuribus super funeribus eorumque emolumentis percipiendis fruantur. Sane Orator tum p. Prioris, tum rmi p. Generalis dispositionibus innixus, in propatulo esse ait, quod hospitalia tam Patavii, quam Brixiae, etsi eodem modo quo s. Iosephi domus instituta sint, nihilominus privilegiis, exemptionibus

nis amicam. Ideo si ius religiosorum s. Ioannis recognitum fuit, non obstante clausola Cleri romani Statuto inserta, fortius retinendum esse videtur in casu, quum Parochus s. Victoris nullum privilegium in sui favorem afferre valeat.

ac iuribus omnibus gaudent, quae s. Iosephi Religiosi modo sibi vindicant.

Exemplis huc usque allatis orator addit exemplum hospitalis domus Lutetiae Parisiorum existentis, quae licet sit vere domus valetudinis, seu *maison de Santé* et nonnisi infirmos divites suscipiat, qui libellas quinque, decem, vel etiam quindecim [dietim persolvunt ; tamen iure funera peragendi, eorumque emolumenta percipiendi fruuntur, non ob aliam causam, nisi quia haec domus ad s. Ioannis de Deo Congregationem spectat. Cum igitur ex facto manifestum emergat, hospitalem s. Iosephi domum, inter s. Victoris confinia sitam, esse vere religiosam, et vere Religiosos, ad s. Ioannis de Deo Congregationem pertinentes, esse viros qui huiusmodi hospitalem s. Iosephi domum, sub rmi p, totius Ordinis Generalis, aliorumque Superiorum obedientia regunt atque gubernant, orator concludit, hospitali s. Iosephi domui eiusmodi privilegia, iura atque exemptiones communicandas esse. (1)

Quibus praenotatis favore religiosorum tantum, cum alia pars nil exhibuerit in sui defensionem, propositum fuit enodandum

Dubium

An hospitalis domus s. Iosephi exempta sit a iurisdictione Parochi, ita ut huic minime competant emolumenta funerum eorum, qui in ea domo decedunt in casu.

RESOLUTIO. Sacra Concilii Congregatio, re -semel atque iterum dilata, sub die **11** Iunii **1881** censuit esse respondendum :

Affirmative in omnibus et amplius.

(1) Confer Bononien... diei 4 Maii 1881 relatam pag 346 et emes quod emolumenta funebria cederent parochis domicilii cuiusque decedentis in hospitali: non autem soli parocho, intra cuius paroeciae limites erectum est hospitale s. Iosephi, quatenus domus haec frui non posset privilegiis et exemptionibus concessis Eeligioso ordini s. Ioanni de Deo.

Ex QUIBUS COLLIGES

L Exemptionem a Parochorum iurisdictione atque omnia iura et privilegia ita a summis Pontificibus esse concessa Religiosis Calybitis, ut cunctis eiusdem Ordinis familiis rite constitutis atque constituendis sit communicanda.

II. Cum vero domus s. Iosephi, Mediolani erecta **a** Religiosis s. Ioannis de Deo, omnibus religiosae domus caracteribus praedita sit, dubitari nequit eamdem exemptam esse **a** iurisdictione Parochi, et ius habere funera peragendi eorumque emolumenta percipiendi.

ORDINATIONIS SEU EXCARDINATIONIS

Die 9 Iulii 1881.

Per Summaria Precum

COMPENDIUM FACTI. Petrus dioecesis V. renuente Archiepiscopo eum in Seminario diutius recipere, propriam reliquit Dioecesim, et primum in Bugellen. deinde in Savonen. dioecesim migravit; ubi tribus abhinc annis studiis theologicis navat in nobili collegio sacerdotum Missionis, in quo munus etiam praefecti complet. Quemadmodum in bugellensi Dioecesi degens, ita ex quo in savonensi Collegio commoratur, pluries ab Archiepiscopo literas testimoniales expetivit, ut ab Episcopo savonensi ordinari valeret; at perperam. Archiepiscopus enim, expetitas literas testimoniales iugiter denegavit. Proinde clericus Petrus s. C. Congregationem adivit petens, ut promoveri posset ad sacros ordines ab Episcopo savonensi. Archiepiscopus de hac re pro informatione et voto requisitus respondit: tum ob ingenii obtusitatem, tum ob non laudabiles vitae mores, tum etiam ob vocationis defectum non posse oratoris votis obsecundare.

Quamobrem Episcopus savonensis rogatus fuit, ut referret de *moribus, studiis,* ac *vocatione* oratoris; qui respondens, s. C. Congregationi retulit: praefatum clericum bonis ornari moribus, mitique indole; obedientem sese exhibere, clarumque pietate, omni diligentia studio incumbere s. Theologiae duobus abhinc annis, in quo ita profecit, ut laudari a suis magistris mereretur.

Rebus sic stantibus iterum petiit clericus a s. C. C. ut sibi concederetur incardinari in Dioecesi savonensi, ex quo Archiepiscopus litteras testimoniales dare renueret.

Disceptatio Synoptiea

PRECES CLERICI REIICIENDAE VIDENTUR. Patet ex Decreto Conc. Tridentini *Sess. 23 Cap. 8 de reform,* quemlibet a proprio Episcopo ordinari debere. Quod si quis ab alio promoveri petat, literas testimoniales Episcopi, mores ac probitatem commendantes, praeferre debere, iuxta Conc. Trident, loco citato. Hinc si Episcopus in domino iudicaverit huiusmodi literas testimoniales tribuendas non esse, eius iudicio standum est, nec facile permitti debet, ut quis contra sui Episcopi voluntatem promoveatur. Hinc Barbosa in *Tractat, de Episc. part. 2, allegat. 4, num. 66* docet, quod *Deum solummodo iudicem habebit Episcopus* in ferendo iudicio de idoneitate clerici ad sacros ordines suscipiendos. Quam doctrinam S. C. C. saepe saepius sequutam fuisse, patet ex *Lucana Ordinationis diei 5 Iulii 1749;* ex *Asculana Ordinationis* proposita die 24 Martii 1792 et resoluta die 21 insequentis Aprilis.

Et licet quandoque a sancta Sede facultas fuit indulta, ut quis ab alio, quam a proprio Episcopo, ad sacros ordines promoveretur; sive ut, renuente proprio Episcopo, excardinationem concederet, vi cuius in aliam dioecesim se conferret; nunquam tamen huiusmodi facultatem tribuit, quando rationabiles causae ab Episcopo proprio fuerunt adductae. Nemo in dubium revocabit causas ab Archiepiscopo adductas ad

denegandas testimoniales gravis fuisse ponderis. Quibus Praesul adiecit : sibi videri haud esse nimis favendum causae clerici a proprio Ordinario reiecti; causamque clerici Petri, uti prorsus immerentis, omnino reiiciendam esse.

Cum itaque ad Ordinarios spectet iudicium ferre de promovendis ad Ordines suscipiendos, cumque originis Ordinarii iudicium Oratoris precibus contrarium sit, videtur quod ipsi nedum facultas ad Ordines in savonen. dioecesi suscipiendos, sed etiam ut in eadem dioecesi incardinari valeat denegandа sit.

PRECES CLERICI EXCIPIENDAE VIDENTUR. EX altera vero parte perpendendum est, quod licet, cum agatur de promovendis ad ordines, proprii Episcopi informationi et voto, standum sit, et a iudicio Episcopi appellatio non detur; semper tamen praesto est recursus ad sanctam Sedem. Quae iuxta prudentiae leges et varias rerum circumstantias, vel mandat proprio Episcopo ut clericum ad ordines promoveat, aut literas dimissoriales concedat; vel ex plenitudine potestatis facultatem impertitur ordines suscipiendi sive a Metropolitano, sive a viciniori, sive a quocumque alio catholici orbis Episcopo; vel denique, Episcopo renuente excardinationem concedere, ipse Summus Pontifex indulget, ut quis ex una in aliam dioecesim se transferat. Patet ex variis S. C C . resolutionibus, praesertim vero *Burgi s. Sepulcri Irregularitatis eoo defectu scientiae die 23 Februarii 1875.* (1) Agebatur siquidem de Diacono, qui irregularis ex defectu scientiae a proprio Episcopo declaratus, penes Episcopum sarsinaten, confugerat, petens ut in sua Dioecesi eum reciperet. Annuit sarsinaten. Episcopus, sed renuit Episcopus Burgi s. Sepulcri, qui proinde literas, quas vocant excardinatoriae, diacono tradere recusabat. Quaestione ad s. C. C. delata, EE. PP. Episcopo Burgi s. Sepulcri significare censuerunt, integrum sibi esse eumdem Diaconum ex sua Dioecesi dimittere, eum in finem, ut dioecesi Sarsinaten, incardinari posset, sed in

(1) Videsis hanc quaestionem Vol. VIII pag. 689.

antecessum fidem sibi iureiurando dari mandaret, ne posthac ad suae dioecesis iurisdictionem rediret, et ibi commorationem facere intenderet. Concinit *Aniden. Ordinationis 23 Martii 1878* **(1)** *Aprutina Ordinationis 26 Aprilis 1879.*

In themate vero Oratoris precibus facilius annuendum esse videtur; tum quia Episcopus savonensis, paratum se exhibet illum in propria dioecesi recipere eumque ad ss. Ordines promovere, si S. C. C. id placuerit; tum quia plura adsunt praeclarissimorum virorum testimonia, quae de oratoris vitae honestate, bonis moribus et profectu in studiis adhuc dubitare non permittunt. Ii sunt Episcopus dioecesis bugellensis, Franciscus Martinengo, Sacerdos Missionis, Superior Collegii savonensis, Franciscus Giacello, et ipse ex Congregatione Missionis, Superior eiusdem Collegii et tandem Rector Seminarii Episcopalis savonensis.

His breviter utrinque adnotatis, quid in casu sentiendum esset, remissum fuit Emis Patribus.

RESOLUTIO. Sacra Cong. **O.** re perpensa, sub die **9** Iulii **1881** censuit respondere:

Pro gratia habilitationis ad contrahendum domicilium in Dioecesi savonensi, ope declarationis cum iureiurando de animo ibidem permanendi, ad hoc ut Orator ab Episcopo pro suo arbitrio et conscientia promoveri valeat ad Ordines, facto verbo cum SSmo. (2)

(1) Adest quaestio haec Vol.XI pag.30. Adeas, si placet, Vol. X pag. 474 et 485.

(2) Ex eo quod dixerit Tridentina Synodus *Sess. 2S cap. 16 de ref.:* « Cum » nullus debeat ordinari, qui iudicio sui » Episcopi non sit utilis aut necessarius •» suis Ecclesiis....» eruit aliquis penes Episcopi arbitrium esse concedere aut recusare s. Ordinationem suis subditis: et non dari appellationem apud s. Sedem. Non dari appellationem a denegatione ss. ordinum certum est ; sed dari recursum ad Sedem Apostolicam pluries resolutum fuit a s. C. Concilii, et praecipue constat ex decreto ipsius s. Congregationis diei 21 Aprilis 1668 circa dubia proposita ab Archiepiscopo Rhemensi. Constat insuper ex facto, iugiter repetito, quod nempe a denegatione ss. Ordinum recursus veniunt Romam et excipiuntur. Nam si Tridentinum arbitrio Episcoporum reliquit conferre, vel denegare ordines suis subditis, id intelligendum de arbitrio ex ratione regulato ; quod nempe s. ordinatio denegari nequeat, absque iusta causa. Ad rem ait Cardinalis Petra *Tom. 1 ad Constit, unie. Urbani II Sect. 1, n. 39 u "Dìri* cerem..... posset dari recursus extra» iudicialis ad s. C. Congregationem, ut

» Episcopus propalet causam, ob quam » denegat ordines. Nam arbitrium con- » cessum Episcopis est regulandum a » iure. Haec enim est differentia inter *v* arbitrium et simplicem voluntatem, » ut primum regulari debeat, si non *i* stricte, saltem aliquo modo a iure; » cum tantum istius habenas relaxet *n* non solvat; secunda vero nullam habet » regulam.... Attamen debet esse gra- » vamen verum et denegatio irrationa- » bilis, ut detur locus ad cogendum Epi- » scopum ad ordinum collationem, cum » non sufficiat purum gravamen...»

A tempore Gregorii XIII causae recursuum solent aliquando remitti ad Metropolitam aut viciniorem Episcopum, aliquando Romae dirimuntur. Si recursus remittitur Metropolitae aut Episcopo viciniori, ii ab Episcopo causas explorant cur oratorem reiecerit; « iisque » non bene cum iustitia congruentibus, » eumdem ad ss. ordines promovent, j» petita prius semel, iterum et tertio... » a suo Episcopo venia». Si Romae dirimuntur, Secretarius s. Congregationis scribit ad Episcopum, ordines recusantes, ut pandat s. Congregationi causas denegationis. Quae si forte minus iustae reperiantur, datur recusato indultum pontificium, ut ab alio Episcopo ordinari valeat. Apostolica Sedes, in casu, ex plenitudine potestatis, perpensis denegationis causis, indulsit clerico Petro ut. absque testimonialibus litteris Episcopi originis, ad ordines promoveri posset ab Episcopo savonen. Iussit tamen ut clericus iureiurando animum declararet manendi in perpetuum in Dioecesi savonen. Nam iuxta *Constit. Speculatores* §. 11 ad acquirendum domicilium, ad effectum suscipiendi ordines, praeter factum habitationis requiritur, ut quis « se vere et » realiter animum huiusmodi habere iu- » reiurando affirmet ». Quod autem exhibendae essent etiam litterae testimoniales patet ex cit. Constit. §. 12 « Si quis *n* tamen a propriae originis loco in ea » aetate discesserit, qua potuerit alicui » canonico impedimento obnoxius etnei, » etiam Ordinarii suae originis testimo- » niales litteras, ut supra afferre debe- » bit, ac de illis expressa similiter men- » tio in susceptorum ordinum litteris » facienda erit ». Hinc rite additum est in resolutione, facto verbo cum SSmo. Hoc enim adiici solet resolutionibus, quatenus gratiae concessio vulneret aliquod placitum iuris, a quo s. Congregatio dispensare nequeat. Ideo Secretarius rem SSmo Patri refert, qui probare solet. In themate obstabat, Constit. *Spe~ culatores,* cui derogandum erat.

ÂUXITÂNÂ

ADMINISTRATIONIS SACRAMENTORUM ET FUNERUM

Die 9 Iulii Ì881.

COMPENDIUM FACTI. Canonicus Archipresbyter Capituli auxitani S. C. C. supplici oblato libello, adivit, quae sequuntur exponens : Capitulum auxitanum anno 1874 in condendis statutis operam dedit, quae 41 articulis constabant. Haec statuta ad iudicium sanctae Sedis delata fuerunt, et S. **C. C.**

die 11 Augusti 1877 super omnibus articulis mentem suam aperuit, excepto 40 articulo, de quo in praesenti quaestio instituitur. Articulus autem 40 ita exaratus fuerat « Hebdo-
» madarius, aegrotantibus canonicis sive in Paroecia Ecclesiae
» Metropolitanae, sive in alia civitatis Paroeciae, Sacramenta,
» ex consuetudine ministrat, assistentibus vel Archipresby-
» tero, vel proprio Parocho. Si Canonicus obierit in Paroe-
» ciae Ecclesiae Metropolitanae exequiae fiunt a Capitulo,
» praecedente Hebdomadario » Consultor a S. C. C. requisitus hac super re, censuit praedictam consuetudinem *esse omnino contra iura parochialia.* Praefatus Archipresbyter reclamavi^ et nunc enixe réclamât contra illam interpretationem asserens, consuetudinem praefatam pugnare contra iura parochialia, et ex alia parte non esse legitimam, utpote non immemorabilem, et introductam ex ignorantia iuris.

« Archiepiscopus hac in re requisitus ait: haec consuetudo,
» existit a restauratione Sedis archiepiscopalis anno 1824,
» et usque ad hunc diem sine intermissione remanet. Insuper
» nihil probat, hanc consuetudinem introductam fuisse in igno-
y> ranfia iuris, utpote multi ex Canonicis, tunc institutis, Ca-
» pitulares fuerunt ante Revolutionem ; ex quo induci potest,
>> hanc consuetudinem usu viguisse hoc tempore, et ad no-
» strum transmissam fuisse. » Capitulum ex parte sua refert, Articulum 40 fuisse unanimiter ab omnibus admissum, ipso Archipresbytero haud excepto, qui, si aliquid voluisset, poterat sese illico opponere huic capitulari resolutioni ; cui tamen adhaesit, quamquam pertentaverit aliquam parare oppositionem.

Disceptata» §ynoptiea

QUAE HEBDOMADARIO ADVERSANTUR. Ad primum dubium quod spectat, hebdomadario haud competere ius sacramenta administrandi Canonicis, sive in paroecia Ecclesiae Metropolitanae, sive in aliis paroeciis civitatis aegrotantibus, nullo pacto ambigi posse videtur. Quandoquidem exploratum in iure

est ad parochos spectare ius ministrandi sacramenta omnibus christifidelibus intra propriae parochiae confinia eorum pastorali officio commendatis. Scatet id ex Clement. *Dudum §. Verum de sepult,* atque ex decreto s. Concilii Tridentini *Sess. 24 Cap. 13 de Reform..*- ibi - « mandat sancta Sy-
» nodus Episcopis pro tutiori animarum eis commissarum
» salute ; ut distincto populo in certas propriasque parochias,
» unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assi-
» gnent, qui eas cognoscere valeat, et a quo solo licite sa-
> cramenta suscipiant. » Idipsum scatet ex Catechismo Romano *part. 2 de sacram, extr. unci.* §. *21;* ubi statuitur nulli fas esse, extra necessitatis eventum, sine parochi licentia, aegrotantes inungere. Cui concinit Benedictus XIV *de Synod. Dioec. I. 8 c. 4. n. 7;* ubi tradit sacramenti extremae unctionis administrationem spectare privative ad parochos, solumque parochum eiusdem esse ministrum ordinarium. Quae. cum ita sint mirum non est si doctores omnes idipsum uno ore tradant ; Barbosa *Lib. 3 Decret. Tit. 29 de Paroch. num. 9* adhaerens dispositioni *Clem. 1 de privil.* et alii communiter. Nec refert quod Parochiani vel laici vel clerici sint ; quandoquidem etiam clerici, nisi alibi beneficium cum residentia habeant, ibique resideant, dicuntur proprii, respectu illius parochi, in cuius paroecia degunt; Tuschus *V. Parochiani conci. 99 num. 1.* Vallensis *h. t.* §. *1 num. 12.* Engel, *eod. num. 22.*

Porro cum explorati facti sit, quod Canonici vel dignitates sive in paroecia Ecclesiae metropolitanae, sive in aliis paroeciis civitatis aegrotantes, parochiani proprii Hebdomadam haud sunt, sponte sua fluere videtur non ad praefatum Hebdomadarum, sed ad proprios parochos ius spectare huiusmodi Canonicis vel Dignitatibus aegrotantibus sacramenta ministrandi. Quod ita S. C. C. iugiter resolvit, praesertim quoad Canonicos et Beneficiatus Ecclesiae cathedralis infirmos, sed in alienis paroeciis degentes, luce meridiana patet ex *Mantuana 5 Martii 1680 ad IV, ex Tibiirtina 12 Maii 1685 ad I, ex Tolentina 11 Septembris 1699 ad I, ex Eugubina 12 Martii,*

et 2 Aprilis 1729. Neque aliquid valet contraria consuetudo, quam prohibet *Trid. Sess. 24 cap. 13 de ref.... Hinc* S.C.C, huiusmodi iuris principiis, et Constitutioni Pii IV *In Principis Apostolorum Sede* adhaerens, declaravit, quamcumque consuetudinem adversus parochialia iura, tamquam abusum et corruptelam haberi oportere, ceu videre est in *Varen. Iurium Parochialium 28 Augusti 1756, Nullius Sublacen. Iurium Paroch. 29 Ian. 1825, Oritana Iurium Parochial. 22 Septembris 1877 §. Incassum, Platien. Iurium et praeeminentiarum 15 Februarii 1879.* (1)

Post haec facilis videtur responsio ad secundum dubium. Si enim ad Parochum pertinet intra suae paroeciae fines ea omnia peragere, quae ad exercitium iurium parochialium sese referunt *ex Cap. 2 de Parochis* et ex *Clem. dudum §. verum de Sepult.* Si officium funebre, praesente cadavere, inter iura stricte parochialia recensetur, quando *tumulandus est subiectus parocho, intra cuius fines est Ecclesia vel oratorium,* ceu tradit S. R. C. Decretum Urbis et Orbis diei 10 Decembris 1703, pleno alveo fluere videtur quod ad solum. Archipresbyterum spectat privative Canonicorum funeribus praeesse, absolutionem explere, officium funebre persolvere, et ea omnia peragere, quae, iuxta ecclesiae disciplinam, super defunctorum cadavera fieri consuescunt. Et iure merito *alii enim Canonici,* (ut ait Card. de Luca de Parochis *disc. 46 num. 5) eiusdem Ecclesiae, penes quam sit cura habitualis, non dicuntur Parochi ; neque eorum beneficia dicuntur curata— ergo non possunt praetendere ius parochiale ;* ideoque nec ius funerandi', quod ad parochialia iura pertinere non ambigitur.

QUAE HEBDOMADARIO FAVENT. EX alia parte Hebdomadarius sibi vindicat ius administrandi sacramenta Canonicis,

(1) Quaestio haec prostat Vol. XII pag. 551. Recole idem Vol. XII pag. 498 col. 2 verbis-Saepe saepius.... ubi aliquid animadversum est quoad quaestionem utrum irritari possint Tridentina decreta, consuetudine contraria. Confer etiam notam relatam Vol. XIII pag. 553 et seq., quoad decreta Tridentina irritanda per contrariam consuetudinem.

nedum in paroecia Ecclesiae metropolitanae, sed etiam in aliis paroeciis civitatis aegrotantibus, omissis generalibus iuris dispositionibus, et totam vim suae deductionis repetit ex iure consuetudinario, quod in Dioecesi auxitana a restauratione sedis Archiepiscopalis, seu ab anno 1824 inolevit, et usque ad hunc diem, sine intermissione, viget.

Iamvero quamlibet legem humanam, etiam canonicam contraria consuetudine rationabili et legitime praescripta abrogari posse, habetur in *Cajo, final, de consuet. L. de quibus ff. de legib, et i, 2 Cod. Quae sit longa consuet.* ac tradit Bened. XIV *de Synod. Dioeces, lib. 12 cap.* 8; Schmalzgrueber *Ius Can. part. 1 tit. 4 num. 20;* idque locum habere, non obstante lege resistente et prohibente consuetudinem introduci, nisi lex addat huiusmodi consuetudinem esse irrationabilem, ut multis citatis docet Bonae. *disp. 1 q.* ***1*** *punct. ult.* §. *3, Anchar, con. 51 in fine, Glossa in Clement. Statutum de elect.* Praesertim vero vim suam habere debet in praeeminentiarum et iurisdictionis controversiis, quas ad tramites consuetudinis definiendas esse docet Pignat. *Consult. Can. 25 num. 2 tom. 10,* Piton, *discep. Eccles. 914 num. 9,* S. O. O. in *Casertana 2 Augusti 1823.* Ad rem eadem s. Congregatio formiter discusso articulo *Divionen. Administrationis Sacramentorum et Funerum die 29 Maii 1869,* proposito dubio ; *An et cui ius competat administrandi ultima sacramenta Canonicis titularibus et honorariis in Paroecia s. Benigni habitantibus in casu:* Respondit : *Affirmative favore Capituli quoad Canonicos titulares: quoad Canonicos honorarios coadiuventur probationes* (1). Porro in themate consuetndo in Capitulum transferens exercitium quorumdam iurium parochialium rationabilis esse videtur.

Sed praeterquamquod huiusmodi auxitanae Cathedralis consuetudo rationabilis est, ipsa etiam legitime praescripta esse videtur. Sane tralatitium in iure est, ad inducendam

(1) Quomodo autem resolverit hanc secundam dubii partem, quoad canonicos honorarios videre est Vol. IV pag. 578.

consuetudinem quae ecclesiasticis constitutionibus adversatur, satis esse quadraginta annorum spatium. *Felin. in Cap. 1 num. 13 de Tren.* Reiffenst. *lib. 1 Decret, tit. 4 n. 105.* In themate autem agi de consuetudine plusquam quadragenaria manifestum erumpit ex informatione Archiepiscopi, qui perhibet : *Haec enim consuetudo existit a restauratione sedis Archiepiscopalis armo 1824 ei usque ad hunc diem sine intermissione remanet.*

Quin imo Archiepiscopus auxitanus, non absque fundamento, putat hanc consuetudinem in sua Archidioecesi inolitam, ante ipsam gallicam Revolutionem viguisse : *ex quo induci potest, Kanc consuetudinem usu viguisse hoc in tempore et ad nostrum transmissam fuisse.*

Inutili autem labore ex adverso obiiceretur per Bullam Pii VII suppressa et extincta fuisse omnia privilegia et iura antiquorum Capitulorum (1). Quandoquidem Card. Caprara in decreto finium cuiusque Dioecesis assignandorum, inter alia, commendavit Episcopis, ut in suis statutis *vel condendis vel immutandis, usuum ac consuetudinum laudabilium antea vigentium,* rationem haberent; quo decreto unita fuisse tempora ante et post gallicam subversionem elapsa, merito retinendum videtur.

Consuetudini huic accedit statutorum Capitularium articulus 40 : « Hebdomadarius aegrotantibus Canonicis sive in » paroecia Ecclesiae metropolitanae, sive in alia civitatis » paroecia sacramenta ex consuetudine ministrat, assistenti- » bus vel Archipresbytero, vel proprio Parocho. » Porro huiusmodi art. 40 in pleno firmitatis robore manutenendum esse evincitur ; tum quia in consuetudine legitime praescripta fundamentum habet, tum quia omnibus Canonicis annuentibus, et ipso Archipresbytero acceptante, editus fuit, tum etiam, imo praesertim quia S. C. C. cui huiusmodi statuta pro approbatione oblata fuerunt, *die 11 Augusti 1877 mentem suam aperuit super omnes articulos, excepto 40, de quo ta-*

(1) Confer quae adnotavimus in Appendice II quoad Concordatum initum anno 1801 inter Galliae gubernium et Apostolicam Sedem, Vol. XIV pag. 181..

cuit. Hoc vero silentium approbationi aequivalere censendum esse videtur ; quandoquidem praesumi haud potest quod S. O. O. super hoc articulo tacuisset, si aliquid in eo contineretur, quod vel a Concilii Tridentini decretis abhorreret, vel salutari Ecclesiae disciplinae adversaretur.

Quo vero ad secundum dubium, Capitulum ut adstruat -quod exequiae canonicorum, in paroecia Ecclesiae metropolitanae decedentium ab ipso, praecedente hebdomadario persolvi debeant, haud multa verba effundi opus esse existimat, quandoquidem quaestiones funerarias ad tramitem consuetudinis, in quolibet loco vigentis, dirimendas esse pluries definivit S. C. C. praesertim vero in *Divionen.* **(1)** *Administrationis Sacramentorum et funerum die 29 Februarii* **1867.** Quod autem Capitulum hoc fruatur iure vi consuetudinis probant, tum statuta capitularia, tum verba Episcopi aientis : *Haec enim consuetudo existit a restauratione sedis Archiepiscopalis anno 1824, et usque ad hunc diem sine intermissione remanet.* Ideo ambigi non posse videtur, quod praedictum Capitulum manutenendum sit in huiusmodi iuris quasi possessione. Idque eo vel magis, quia exequiae sunt veluti consectarium administrationis sacramentorum. Quibus praenotatis proposita fuere enodanda sequentia

Dubia.

I. *An et cui competat ius sacramenta ministrandi canonicis sive in paroecia Ecclesiae metropolitanae, sive in alia paroecia civitatis aegrotantibus in casu.*

II. *An et cui competat ius peragendi exequias canonicorum in paroecia Ecclesiae metropolitanae obeuntium in casu.*

RESOLUTIO. Sacra Congreg. Concilii, re cognita, sub die **9** Iulii **1881** censuit respondere :

Ad I et II affirmative favore hebdomadarii et amplius (2)

(1) Qnaestio haec relata fait Vol. III pag. 127. Cum autem in secunda parte primi dubii insoluta manserit, ideo reproposita fuit die 29 Martii 1869 et relata Vol. IV pag. 577.

(2) Quoniam inter DD. adhuc quae-

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Vim obligandi leges amittere per contrariam consuetudinem, rationabilem et legitime introductam ex eo etiam colligi quia consuetudo habet vim legis : ast sicuti lex posterior priorem abrogat, ita consuetudo abrogat legem.

II. Consuetudinem in themate legitime praescriptam, et rationabilem esse patere ; nam ratio haud abnuit canonicos Cathedralis suis collegis ultima ministrare sacramenta, etiamsi aegrotent in alia civitatis paroecia, et exequias eisdem peragere loco parochi Capituli.

III. Ad legitime praescribendam consuetudinem requiri,, praeter alias proprietates, consensum tacitum principis ; quod contingit' quando princeps sciens consuetudinem non contradicit, dum id commode facere posset.

IV. Ad roborandam in themate consuetudinem, quae forsan ab immemorabili viget pene in tota Gallia, non defuisse etiam principis consensum tacitum, colligi posse videtur ex hoc quod S. C. C. tacuerit super articulo 40 Statutorum capitularium, in quo praecipue de hac consuetudine fit sermo.

stio agitatur an lex tridentina abrogari possit per consuetudinem contrariam, aliquid in casu, de quo actum est, adnotare placet. Tridentino *Sess. 24 cap. IS de reform,* prorsus adversatur consuetudo haec, vigens pene in tota Gallia, uti edicitur; qua fit ut Hebdomadarius, loco Parochi, ius sibi vindicat sacramenta ministrandi aliis collegis aegrotantibus, sive in paroecia Cathedralis, sive in alia; nec non exequias peragendi canonicorum obeuntium in paroecia Ecclesiae cathedralis. Anno 1867 et 1869, uti in notis huius quaestionis relatum est, consuetudo ista iudicio Apostolicae Sedis submissa fuit, ceu submittitur-quaestio praesens: quia Parochus, iuri communi et praecipue Tridentino inhaerendo, censuit ab hac consaetudine iura parochialia laedi non posse. Ast s. C C. ratam habens eiusmodi consuetudinem ostendere videtur, etiam legem Tridentinam praescribi posse per contrariam consuetudinem, rationabilem et legitime praescriptam. « Et nulla ratio exceptio- » nis dari potest, cum haec etiam sit » lex humana, quantumvis prohibeat fu- » turam consuetudinem...» Suarez de Legibus lib. 7 cap. 19 n. 19.

REMOTIONIS IMPEDIMENTI

Die 9 Iulii 1881.

COMPENDIUM FACTI. Amore captus erga puellam Assumptam, ab eaque pari dilectione amatus, Antonius e Baronibus S. eam in uxorem ducere statuit. Verum cum iam in eo essent ut nuptias celebrarent, de re certior facta Antonii mater, in Curiam formalem dissensum suum interposuit, ut praefati matrimonii celebratio omnino impediretur.

Adversus impedimentum a matre oppositum, recursum habuit Antonius ad eamdem Curiam ad hoc, ut veluti irrationabile removeretur ; ac re iudicialiter cognita, voti compos factus est per sententiam curiae, qua appositum impedimentum *nullum atque de iure irritum* fuit declaratum. A qua sententia appellationem interponens Baronissa mater apud s. C. O. Antonius filius supplicem obtulit libellum, expostulas facultatem ineundi matrimonium, etsi appellatio matris penderet.

Disceptatio Synopttca.

IURA MATRIS. Ac in primis favore Baronissae animadvertendum occurrit, exploratum in iure esse quod matrimonia, a filiisfamilias absque suorum parentum consensu inita, adeo illicita sunt, ad tradita per *cap. Aliter et cap. Nostrates caus. 30 quaest. 5,* et notavit *Tertull. 2 ad uxor. cap. 9,* ut, *nisi adsit causa,* filiifamilias, sine huiusmodi consensu contrahentes, gravissime peccent. Et merito, honor enim et reverentia parentibus debita, expostulat, ne filii absque illorum consilio tam grave ac perpetuum negotium ineant ; Liguori *opus Mor. I. VI num. 849,* Scavini *Be Sacram, matrim. Tract. XIIBisp.* **1** *Cap. 1 Art. 1 Tom. 3p. 340.* Quapropter eiusmodi matrimonia, re integra, prohibenda videntur, quemadmodum iustissimis de causis prohibet ac de-

testatur Tridentina Synodus *cap. 1 Sess. 24 de Ref. Matr.* per haec verba : « Sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis... » illa semper detestata est atque prohibuit. » Hinc eiusmodi matrimonium esse prohibendum videtur, cum plures iustae ac legitimae causae id suadeant. Sane explorati facti est agi de matrimonio ineundo a filrofamilias, ex nobili prosapia orto, cum muliere longe inferioris conditionis, cuius familia est negotiationi addicta. Huiusmodi autem matrimonium sequi non posse, tum propter grave peccatum quod Antonius committeret ex inobedientia matri, in re gravi contra Dominicum praeceptum - *Honora patrem et matrem tuam* - et Apostolicum *ad Eplies. cap. 6 et ad Coloss, cap. 3;* tum propter irreparabile damnum quod ipsi matri, splendori et dignitati familiae inferretur, docent unanimiter Doctores sive theologi sive canonistae, uti videre est penes *d. Bonaventuram in 4 sent. quaest. 3 art. 2 vers, respondeo ad argumentum.* Hinc est quod iudices ecclesiastici sua qua pollent auctoritate adiuvare debent parentes, ne talia matrimonia effectum sortiantur, illa positive impediendo ad hunc finem, ut nempe de medio tollantur inimicitiae, scaadala, aliaque gravia huius generis mala, prudenter timenda, quaeque regulariter sequi solent, ceu tradunt *Layman de Sponsa!, tract. 10part.* ***i*** *c. 1 num. 3; Dicastil. de Sacram. Matr. disput. 4 dub. 19;* proindeque nec Ecclesia, nec illius Parochi debent concedere facultatem filiis vel filiabus nubendi, contra voluntatem parentum, praesertim cum tale connubium vergat in illorum dedecus, ceu uno ore docent *Adam. Opatov. de Sacram, tract, de Matrim, disput. 1 quaest. 18 num. 158; Pignatel. consult, can. 11 per tot. tom. 4; Piton, discept, eccl. 52. n. 84.*

Quod autem rationabilis parentum dissensus inter illas iustissimas causas annumeretur, ex quibus Tridentinum Concilium et sancta Dei Ecclesia matrimonia, invitis parentibus, contracta semper detestata est atque prohibuit, tradit *Piton, discept, eccles, observ. 52 n. 85 tom. 2.* Porro in themate Antonii matris dissensum rationabilem esse, nullo pacto ambigi posse videtur. Sane exploratum in facto est Antonium

mediis ad onera matrimonii sustinenda necessariis carere, quandoquidem nonnisi libellarum 350 annuum reditum habet. Tandem ex.facto constat, nec ipsam Assumptam conspicuam dotem possidere, qua Antonio auxilio esse valeat, ad praefata matrimonii onera sustinenda.

IURA FILII. Contra vero perpendendum est quod, quidquid a iure communi caesareo statutum fuerit quoad matrimonium filiorumfamilias ac servorum, absque parentum aut dominorum consensu initum; ex constanti Ecclesiae disciplina a sacris canonibus hausta ac derivata, parentum consensus de necessitate haud requiritur, ut matrimonii praeambula filiorum familias in suo robore sustineantur, ad tradita per *Reiffenst. Ius. canon. lib. 4, tit. 1 §. 1 num. 24.*

Fortius autem id tenendum de matrimonio contrahendo, ceu docet D. Thomas 2. *2 q. 14 art*. 5 - ibi - « Non tenen- > tur nec servi dominis, nec filii parentibus obedire de ma- » trimonio contrahendo vel virginitate servanda, aut aliquo > alio huiusmodi.»Et optimo quidem consilio id statutum fuit; semel ac enim quis ad pubertatis annos pervenerit, quoad ea quae suae personae statum spectant, a paterna potestate subtrahitur, et sui iuris fit, ita ut, etiam invitis parentibus, matrimonium contrahere vel Religionem ingredi valeat, ceu docet idem *s. Thomas in 4 sent. dist. 38 q. 1 art. 1 §. 3 ad 2 et dist. 28 art. 3 ad 1.*

Hinc mirum non est, quod s. Tridentina Synodus *Sess. 24 Cap. 1 de Reform. Matrim,* illos anathemate damnet, qui propugnant, matrimonia filiorum familias sine parentum consensu celebrata, irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse. His principiis adhaerens S. C. C. non semel, neque bis facultatem contrahendi matrimonium concessit, licet parentes et consanguinei nobiles omnes refragarentur, ceu videre est in *Florentina diei 12 Ianuarii 1726,* et in :7V-*dertina diei 7 Septembris anni 1793.*

Episcopus autem adiecit : rationum momenta a matre adducta parvi ponderis esse ; nam si Antonius in maiori aetate constitutus reditum 350 libellarum tantum habet, pinguem

praetendere dotem haud potest. Aliunde neque redituum defectus, neque indolis inconstantia, de qua accusatur Antonius, aut dotis deficientia, vel conditionis inter sponsos disparitas constituere valent legale impedimenti argumentum. Si itaque rationes a matre ad inducendum impedimentum prolatae tanti haud existimandae sunt, ut matrimonium filii impedire valeat, consequitur Curiae M. sententiam esse confirmandam.

Hisce utrinque perpensis, remissum fuit EE. PP. decernere quonam responso dimittendum esset

Dubium

An sententia diei 28 Decembris 1880 sit confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congreg. Concilii, re cognita, sub die **9** Iulii **1881** censuit respondere :

Sententiam Curiae Episcopalis esse confirmandam et amplius **(1).**

(1) Recole *Melevitanae Remotionis impedimenti,* Vol. XIII, 440; quidquid in ea colligimus aut adnotavimus huic aptari posse casui videtur. Adiicere tantum placet quod per hanc quoque resolutionem generalis rohoratur Ecclesiae disciplina, a sacris canonibus derivata, quod nempe parentum consensus non requiritur de necessitate, ut matrimonia filiorumfamilias valide ineantur.

NULLITATIS MATRIMONII

Die 9 Iulii et IO Septembris Í881.

COMPENDIUM FACTI. Inter Sophiam K. et Adam M. anno **1866** matrimonium initum fuit, etsi mulier id nolens egisse videretur. Verumtamen, initis nuptiis, sponsi rei maritali operam dederunt, et proles adnata fuit. At cum tractu temporis vir inter honestatis limites haud se cohibuisse, sed de die in diem in vitia, ac praesertim in vinum, et vagam venerem

praeceps ruere visus fuerit, hinc dissentionibus inter eos exortis, Sophia saepe saepius paternam domum petiit, ibique, invito viro, tamdiu morata fuit, quamdiu parentibus eam degere placuit.

Ast Adam a lubrica semita recedere cum nollet, et uxoris valetudo hac de causa in discrimen iret, ad paternos lares Sophia remeavit, amplius non reluctante viro. Quapropter Sophia separationem iudicio vindicavit die 20 Aprilis 1873, et voti compos facta est.

Hoc absoluto iudicio, nullitatem matrimonii, utpote ex vi et metu contracti, proclamavit penes eamdem Curiam ecclesiasticam anno 1877, et victrix ab arena discessit. Verum ab hac sententia appellatum fuit ad Curiam T. quae priorem revocans, sententiam pro validitate tulit. Tunc Sophia ad S. C. C. die 31 Iulii 1880 appellationem interposuit.

Disceptatio synoptiea

DEFENSIO MULIERIS. Matrimonium *solo consensu* constat, et consensus absque absoluta libertate esse nequit ; prout Alexander III docet in cap. 14 de sponsal. - *Matrimonium autem solo' consensu contrahitur, et ubi de ipso quaeritur, plena debet securitate gaudere, cuius est animus indagandus.* -

Iure igitur meritoque Ecclesia docuit, et iudiciis confirmavit maiorem in matrimonio quam in ceteris conventionibus libertatem requiri; *Sánchez lib. 4 disp. 6 num. 2 Pontius de imped. matr. caus. 31 quaest. 2 et 3 §. 12. Cosci de sep. thori lib. 1 cap. S num. 93.* Quod non modo legi consentaneum, sed christianae reipublicae utilitati expedire affirmat *Schmalzgrueber lib. 4 tit. 1 §. 394.*

Sed quae omnia in huiusmodi iudiciis ratio et experientia requirunt, in casu concurrere ait : Sophia enim quoad potuit, maritum declinavit, quem toto pectore aversabatur: parentes vero nuptias conciliandi cupiditate flagrantes, imperio ac dominatus consuetudine quidquid vellent a filiabus

assequebantur. Vicit violentia, cuius in actu ipso matrimonii atque in primo complexu argumenta erumpunt. Nullum itaque matrimonium asserit, auctore *Schmalzgrueber* qui in *to. 4 part. 1 tit. 1 §. 393* docet - *Atque hinc sequitur invalidum esse matrimonium...contractum a virgine cum iuvene, quem illa aversabatur, ex mera reverentia in parentes, cum indignationis, exprobralionis, durae tractationis et similium incommodorum verosimili existimatione coniuncta* -.

In causa tamen non modo hunc *reverentialem* metum, sed etiam *communem* ex gravioribus metuendi causis conspirare asserit defensor. Quod ad metum reverentialem attinet, certum est ex actricis aliorumque depositionibus, Sophiam paternae indignationis metu coactam, consensum praebuisse. In iure vero nihil magis obvium, quam quod conditiones illae a prudentibus impositae, ad aestimationem metus gravis et cadentis in constantem virum, exulant in casu metus reverentialis, in quo naturae officium violentiae gravitatem auget; *Sánchez de matr. lib. 4 et disp. 1 num. 10 Rota dec. 491 num. 8 cor. Royas, et dec. 870 cor. Emerix,* ubi traditur - *Non enim refert quod non constet, eum qui metum incussit fuisse terribilis naturae, sive solitum minas exequi, quia id requiritur in personis extraneis, non autem in patre, vui de iure naturae reverentia debetur: nam in his terminis sufficit metus reverentialis iunctus periculo mali gravis, probabiliter opinati ex sola parentis indignatione, ut firmat Garz. etc.* -

Sed *communem* etiam metum maximae gravitatis in causa evinci, praeter necessitatem actricis orator ostendit. Ac primo ad metus aestimationem, plurimum voluntatis interpretationem conferre ait : Si quis enim certo ac deliberato animo aliquid avertit, iam nonnisi per violentiam obire praesumitur, *Rota dec. 23 par. 42 num. 17 seqq. Rec. dec. 320 cor. Ludovisi num. 7, Cosci de sep. thori lib. 1 cap. 8 num. 54* qui docet - *Ex parte mulieris per testes dicitur probatus metus si deponant_______de ipsius aversione erga*

coniugem ante et post matrimonium ». Alienissimum vero actricis animum cunctis inquisitionis actibus demonstrat, ac praecipue viri testimonio qui profiteri debuit - *quod ei sine amore et inclinatione nupsit, sed tantum extrinsecus inflammata*-. Quod si assiduae patris minae iungantur, *collocare eam sicut educatricem liberorum, includere in monasterium, expulsionem e domo, recusationem paternae benedictionis et etiam execrationem* - illam metus indolem occurrere asserit, quae gravissima in iure censetur, scilicet quae cadit in fortem et constantem virum. Tales enim huiusmodi minae sunt, quae ad communem metum vehementissimae censentur, *Ursaya discept, eccl. to. 4 par. 1 disc. 1 §. 2 num. 58 seqq.*

Deinde plurium testium auctoritate fretus, ostendit orator, ita ferream esse voluntatem patris, ut *de resistentia, Sophia etiam cogitare non poterat, quia haec in ea familia non admittebatur*-. Insuper plures testes autumant, parentem actricis, furore percitum, nedum reluctante filiam verbis, sed virga multavit ; quod in cultiori familia vere inauditum videtur.

Quoniam vero apud curiam M. aliquis testes dixit esse pessimos sine ullo iudicio, ideo Defensor quoad eosdem ait : aut legitimae exceptiones contra testes vel testimonia afferendae sunt, ac probandae ut iis fides detrahatur, aut omnino credendum est. Posita vero factorum evidentia, veritas in oculos insilit : quippe in quolibet vel futili contractu ex praetorio edicto. - ***Quod*** *metus causa gestum erit ratum non habebo* - is metus attenditur qui in contrahentis puellae opinione vim faciat; *Haimberger Diritto Romano pvivato e puro lib. 1 cap. 4* §. 89 iuxta Ciceronis sententiam - *puto suo quemque arbitrant timere oportere* - Ita igitur si res de agelli venditione esset, atque in pervigilio contractus puellam pater verberaret ut venderet, nemo venditionis nullitatem non decerneret : haec autem tanto magis decernenda est, cum de matrimonii sacramento agatur, in quo maiorem Ii-

bertatem quam in ceteris contractibus, ecclesiae disciplina requirit.

His expensis, de diuturno tempore, post matrimonium elapso, de concubitu, de prole disserit atque ostendit pluries S. O. O. pro nullitate respondisse, licet plures annos uxor cum coniuge absumpsisset, et liberos suscepissent. Ita in causa *Herbipolen. nullitatis matrimonii*quae acta est *mense iunio 1859,* in *Coenomanen. Matrimonii diei 10 iunii 1865,* in *Romana matrimonii die 15 septembris 1629.* Nunquam, enim nullitatis, semel probatae, purgatio admittitur, nisi duo praesertim concurrant : scientia nullitatis quae sanari debuisset, et pacificum ac spontaneum contubernium; *Sánchez lib. 4 disp. 18 num. 3 seqq:,* docet : *secunda conditio est ut ratificans matrimonium sciat,, matrimonium* prius contractum fuisse nullum... Ultima conditio est ut habitatio illa sit omnino spontanea-.* Quod ad scientiam, attinet, hanc frustra in actricem requiri animadvertit, quae matrimonii nullitatem penitus ignoravit, prout ex ipsius Sophiae, ex eius parentum, et ex aliorum testium depositionibus patet. De cohabitatione vero, nunquam hanc liberam fuisse contendit, cum mulier maximam temporis partem in domo parentum absumeret, nec inde, nisi coacta, ad coniugem rediret, et quo confugeret non haberet.

Denique matrimonium, ex publico impedimento invalidum, nunquam purgatione convalescere tradit, post Tridentinum, quod ad illius validitatem omnino formam requirit. Unde sequitur haud aliter matrimonium, nulliter initum, instaurari posse, *quam si rursus coram Ecclesia contrahatur,* nisi occultum impedimentum fuisse probetur; *Barbosa de offe. Episcopi alleg. 32 num. 149 - Eodierno iure cohabitatio efficere nequit matrimonium ; novus etiam consensus requiritur et forma Concilii.* - Communi iurisprudentia receptum est, publicum omnino haberi impedimentum quod licet actu occultum sit, quandocumque vulgari et probari potest, *Reiffenst. Append. de disp. sup. imp.* §. *2 num. 44 seqq. et num. 60; Sánchez de matrim, lib. 2 disp. 37 num. 11* qui

docet: - *Si impedimentum sit plene probabile in foro externo, credo necessario iterandum esse coram parocho et testibus* -.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS s. **VINCULI**. Hisce at vero omnibus obsistit officiosus matrimonii vindex. Ait enim, quod licet Ecclesia ad sacramenti matrimonii libertatem tuendam proclamaverit, huiusmodi contractum ex vi et metu initum, nullitati subiacere, voluit tamen ad praecavendas hominum malitias, ut non omnis metus nullitatem matrimonii secumferret, sed *gravis,* qui nonnullis subesset conditionibus, secus pro validitate iugiter standum esse decrevit. Unanimis est hac super re doctorum, et canonistarum sententia. Ita pro omnibus Clericatus *de matrim, decis. 57 num. 16 et seq. € Quaeritur quot conditiones requirantur, ut metus sit gravis, et dirimat matrimonium ? ^Concorditer respondent iuristae et theologi quinque conditiones requiri. Prima est, quod -malum, seu damnum, quod quis minatur se esse illaturum, nisi in matrimonium consentiat, sit malum, et damnum grave, aptum incutere timorem etiam in constantem virum L. metum 1 ff. de eo quod metus causa f t, in qua haec verba « metum accipiendum Labeo dicit, non quemlibet timorem, sed maioris mali » ubi glossa explicat dicens, idest magni mali. Ideo si ageretur de levi malo, aut parvo damno, metus non esset gravis, ut advertunt DD. omnes, quos aile g ant, et sequuntur Sánchez lib. di, disput. 4, Pontius lib. 4 cap. 3, et Salmaticen. cap. 9 praebent de malo, et damno gravi exempla sequentia 1. De metu mortis, et amissionis vitae Cap. Cum Dilectus. 2. De corporis cruciatibus, et flagellis, aut de servitute. 3. Amissionis proprii status, conditionis, seu dignitatis* etc.

Iamvero nihil in themate occurrere edicit, quod metum, nedum gravem, sed ne levem quidem probet, nihilque haberi, quod ad matrimonium nullum proclamandum sufficiat. Sane testes, quotquot sunt in themate iudicialiter auditi, non aliam perhibent parentes et praecipue Patrem, filiae intulisse coactionem, nisi *levem, impossibilem* et *genericam,* non

autem specificam, ceu requiritur ad tradita per Bossium *c. 12 num. 339.* Quod ut luce meridiana clarius effulgeat, in medium profert depositiones iuratas eorum testium, qui domum paternam oratricis intime frequentabant, ex quibus nihil aliud hauriri posse ait, nisi quod parentesj nedum Sophiam, sed totam familiam ita severe, et rigide educarent, ut impossibile pene esset, patri praesertim, haud obedire.

Quare concludit officiosus defensor: ex testibus minime probari metum gravem cum suis qualitatibus. Mala vero, seu damna, si qua fuerunt a Patre intentata, nonnisi a Sophia in medium prolata fuisse contendit, quae etsi admitti vellent, profecto haud tam gravia esse subdit, ut mentis perturbationem, ideoque et consensus et matrimonii nullitatem secumferre possent. Neque legitime probatum est Sophiae patrem consuevisse executioni mandare, quae comminabatur mala : quod omnino requiritur ex DD. et praecipue *Sánchez lib. 4 disp. 4 n. 21.*

Hinc etsi pater una vice percusserit filiam, per unicum actum consuetudo non probatur, ceu tradit delicatus *decis. 25 n. 20 - Et ideo haec consuetudo non probatur per unicum actum, quando minans semel tantum est executus minas, sed requiruntur saltem duo actus secundum doctrinam Archidiaconi in cap. Illud, in fine dist. 12, Bartoli, et Abbat.* Quod eo vel magis in themate est admittendum, si facti circumstantiae, et adiuncta aequa mentis lance cribrentur. Quandoquidem omnia iara parata erant ad nuptias, quando Sophia Patri declaravit se nolle nubere cum Adamo. Infremuit huic declarationi Pater, et baculum manu tenens, quodam improviso furore percitus, eam verberavit. Ex hoc tamen unico actu ridiculum esset deducere patris atrocitatem et consuetudinem exequendi quae minabatur.

Adiecit autem defensor, quod si aliquis fuit metus, tamen usque ad matrimonii celebrationem non perduravit, uti ex iure requiritur, ad matrimonium irritandum. Sane Sophia in vim legis Russicae Ecclesiae declarationem libertatis con-

sensus coram testibus sponte, ac libere subscripsit, ante diem celebrationis matrimonii, quin aliquid relevet id quod ex adverso Sophiae patronus asserit, quandoquidem testes ex officio deputati deponunt, Sophiam sponte, ac libere declarationem subscripsisse, quin ullam adverterent in illo actu Sophiae perturbationem.

Tandem ait defensor, quidquid sit de disputatis, recolendum est agi in casu de invalidando matrimonio, post septem cohabitationis annos ; nam diuturna cohabitatio et copula, pluries affectu maritali habita, huiusmodi metum, si adfuisset, omnino purgavissent, et matrimonium convalidatum esset. Neque hic opponere iuvaret, post Concilium Tridentinum nonnisi coram Parocho, et testibus matrimonium posse revalidan. Id enim tunc. solum admittendum fore subiungit, quando impedimentum esset *publicum,* minime vero quando uti in casu est *occultum, et ignotum ipsi parocho, et testibus.*

Ceterum concludit defensor cum Giraldi *exposit. iur. Ponti f. p. 1 lib. 4* « Si matrimonium fuerit contractum » cum impedimento occulto, et adhibita fuerit solemnitas a » Tridentino praescripta, hoc sublato, non est necesse reno- » vare consensum coram Parocho, et testibus, sed clam in- » ter contrahentes ex declaratione s. Pii V. decretis s. Poé- » nitentiariae, et s. Rotae sententia relatis, a Benedicto XIV. » *Instit. Eccles. 87 §. Magno studio.* »

Hisce animadversis sequens enucleandum propositum fuit

1> ubi tim

An constet de nullitate matrimonii in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congr. Concil, re perpensa, sub die **9** Iulii **1881** censuit respondere :

Affimative, firmo tamen in filia statu et iure legitimae filiationis.

Sub die **10** Septembris proposita iterum fuit quaestio sub sueto dubio : *An sit standum vel recedendum a decisis in casu.* » et responsum fuit - *In decisis* -.

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I. Quum sacramentum matrimonii in consensu versetur, ideo contrahentes plena frui libertate debere, ne irritum fiat actum, in quo rationabiliter exposcitur maior libertas, quam in aliis civilibus conventionibus, quae auctoritate iudicis aut partium dissensu rescindi queunt.

II. Hinc irritum a DD. haberi matrimonium a virgine contractum ex reverentia in parentes, coniuncta cum verosimili existimatione indignationis, durae tractationis et similium incommodorum.

III. In personis extraneis tantum requiri an constet, eum qui metum incussit fuisse terribilis naturae, sive solitum minas exequi ; non vero in parentibus, quibus ex iure reverentia debita est ; et ideo ad irritandum matrimonium sufficit ex DD. metus reverentialis, iunctus periculo mali gravis, probabiliter opinati ex sola parentis indignatione (1).

IV. In themate patris consuetudines, indignationem, vehementiam omnino Sophiae notas fuisse credendum est ; cum iidem testes, uno ore, deposuerint, patrem, ita omnia suo nutu coercere, ut filia de resistentia ne cogitare quidem posset, quoniam non admittebatur in illa familia (2).

(1) Recolenda opportune sunt verba Tallii in lege manilia: « Omnes, quorum » in alterius manu vita posita est, sae- » pius illud cogitant quid possit is, cu- » ius in ditione aut potestate sunt, quam » quid debeant facere ».

(2) Recole causam matrimonialem, relatam Vol. XII pag. 403. In ea ample disceptatum est de metu reverentiali, per quem irritum declaratum fuit illud matrimonium. Ceu in casu praesenti consultum fuisse reperies statui prolis, enatae ex coniugio, auctoritate ecclesiae, pro nullo habito, iuxta doctrinam *Alexandri III in cap. qui filii sint legit,* excriptam in noia 2 pag. 442. Inibi reperies etiam quidquid animadversum fuit quoad matrimonium nullum, ob impedimentum occultum , et revalidandum absque forma Tridentina. Corrige etiam errorem typographicum, qui totum destruit aedificium , pag. 420 linea 4 et lege - *constare de invaliditate* -

NÎCIEN.

IURIUM, ET PRIVILEGIORUM

Diebus 11 Iunii 1881 et 18 Martii 1882.

COMPENDIUM FACTI. Extat in oppido *Mentone* Niciensis Dioecesis Sodalitas, vulgo *dei Penitenti neri,* sub titulo *Misericordiae et s. Ioannis Decollati;* quae iam inde ab anno 1639 Archiconfraternitati s. Ioannis Decollati almae Urbis aggregata fuit. Priores huius Sodalitatis pontificiis Constitutionibus innixi, et praesertim sententiae Tribunalis Rev. Camerae Apostolicae diei 22 Aprilis 1788 (1) qua decretum fuit, ut Confratres sacras functiones in Ecclesia Sodalitatis propria, celebrari solitas *per sacerdotes sibi benevisos,* independenter a parocho loci, peragere valerent, mense Aprilis, anni elapsi, Ecclesiae paroecialis Praeposito inconsulto, Capellanum elegerunt, ut praeesset ss. caeremoniis, quae non sunt iuris parochialis, sed ad confraternitatem pertinent, atque enunciantur praefata sententia.

Huic electioni acriter obstitit paroecialis Ecclesiae Praepositus, qui in vim statutorum quibus huiusmodi sodalitas regitur, ac legum praecipue synodalium, ratus sibi ius competere sacras functiones in memorata Ecclesia peragendi, vel sin minus hoc munus alteri Sacerdoti demandandi, contendebat, sodales ad Cappellani nominationem, absque suo consensu, devenire haud valere. Priores e contra ut propria iura sarta tecta tuerentur, Episcopum adierunt, qui ipsorum votis nedum satisfacere haud censuit, sed etiam Presbytero ab ipsis electo, sub poena suspensionis, ipso

(1) Oborta quaestione contra Curiam ct parochum ab Auditore Camerae Apostolicae Sodales anno 1788 obtinuerunt sententiam *u* ad libitum canendi et ca- ii nere faciendi in dictae Confraternita- » tis Ecclesia, seu publico Oratorio so- » lemnes Missas tam Sanctorum, quam *n* de requiem, sive per ipsius R. *D.* Cap- » pellanum, sive per alios sibi benevisos » Sacerdotes : *ideoque* celebrandi etc. » absque ullo praevio consensu, licentia, » dependentia, assistentia, ingerentia » praedicti parochi pro tempore Civita- » tis Mentone ».

facto incurrendae, indixit ne in Sodalitatis Ecclesia ullam sacram functionem peragere auderet. Tunc Priores confratres recursum habuerunt ad s. C. Concilii.

Disceptatio synoptiea

IURA CONFRATERNITATIS. Retulit orator libere exercuisse Sodalitium electionem sui Cappellani, qui functiones, et missas tam pro vivis quam pro defunctis, sive solemnes sive privatas celebravit absque ulla dependentia, approbatione, aut licentia Parochi.

Nihilominus", subiungit, anno 1824 postquam Civitas Mentoni ad pristinum statum fuit restituta, quaedam a Vicario generali statuta fuerunt concinnata, quae, nonnullis productis testibus, et signanter productione sententiae *anni 1788,* generatim non fuisse observata demonstrare sategit.

Hisce praenotatis in *quatuor capita* suam divisit allegationem. Ac primum affirmat Sodalitium a Misericordia ius habere deputandi seu eligendi Cappellanum, absque ulla Parochi approbatione, iuxta praxim Archisodalitii aggregantis s. Ioannis Decollati. Indubitati porro iuris est, privilegia, utpote concessa Archiconfraternitati aggreganti, omnibus Confraternitatibus aggregatis competere , et praeseferre causam universalem s. Cong. in *Novarien. 3 Sept. 1718* et late ostendit s. Rotae Auditorium in Brixien. *Aggregationis* coram Lancetta 22 *Ian. 1712* - ibi - *num.* 4 censuerunt (iudices) *competere Confraternitati ius eligendi* Officiales, et *Cappellanum* sibi *benevisum,* ad nutum amovibilem, pro peragendis consuetis functionibus.

At praescindendo etiam a titulo aggregationis, idem confirmari, prosequitur Orator, inspecto iure pommuni et signanter Decreto Urbis et Orbis *diei 10 Dec. 1703* in responso ad III et IV dubium (1). Ex quibus validius ar-

(1) Habes hoc decretum integrum Vol. I pag. 591.

gumentum sategit deducere in interiori actu simplicis administrationis, ad tradita per Card. De Luca, qui in huiusmodi electionibus excludit Superioris approbationem; *Adnot. ad Conc. Trid. Disc. 31 n. 24. Cum ista vero non sit electio, sed simplex deputatio.* (1).

Itidem in Vaivén. *Iuris eligendi Cappellanum* proposita in s. Congregatione EE. et RR. die *29 Iul. 1870* sub dubio : *An et quomodo et cui competat ius eligendi Cappellanum:* resolvit: *Affirmative, favore Confraternitatis,* licet Ordinarius ius confirmandi Capellanum postulaverit. Ideo sententia Auditoris Camerae, per necessarium consequens , statuendo *benevisos Confraternitatis sacerdotes,* excludit Episcopi, ac vehementius Parochi approbationem, quippe illis non istis debeant esse benevisi. Unde etiam, quoad electionem Capellani, arguit natam fuisse rem iudicatam *Piton. Disc. Eccl. 159 num. 38 Mtogradotom. II Cons. 7 n. 31 Surdus tom. IV Cons. 467 num. 11.*

In secundo *capite* protuetur Orator, omnes missarum celebrationes et consuetas functiones pertinere ad Confraternitatem, quippe quae nullimode ad iura, et exclusivas Parochi functiones pertinent. Distinguit eapropter functiones et iura quae iuxta Monacellium, *Formul, legal, tom. 10 form. 18 num. 4* pertinent exclusive ad Parochum, ab illis quae non sunt mere parochiales, illisque quae sacerdotales dicuntur. In hisce postremis duabus functionibus, nullam deducit potestatem habere Parochum. Quapropter praemissis responsionibus Decreti Urbis et Orbis ad Dubia 5, 6, 7, 11, 12, lfi, 17, ex hisce concludit, Confraternitates quoad functiones non parochiales nullimode esse subiectas Parochi iurisdictioni. Quod luculentius erui asserit ex resolutionibus s. C. C. in *Firmana Iurium Parochialium die 2 Iunii 1736, Hortana diei 1 Aug. 1739,* et *Reatina ss. Fun~*

(1) Recolé, Vol. XIII pag. 131 nbi in responso ad secundum dubium resolvitur: Ordinarium ius habere interveniendi in coetibus confraternitatis, *quin tamen suffragium ferre valeat.* Si Episcopus ergo nequit se immiscere in negotiis Confraternitatum, multo minus id facere posse parochus videretur.

ctionum diei 12 Januarii 1844; ubi ad Dubia L « An liceat < Oapellano novenas , triduos, et alias functiones cum ex- « positione , et benedictione SSmi Sacramenti explere in « Oratorio s. Dominici, independenter a Parocho in casu? - « II. An liceat eidem Oapellano Missas solemniter canere * independenter a Parocho, respondit - *Affirmative in om- « nibus, ad formam Decretorum Urbis et Orbis s. Congr. « Rituum 10 Decembris 1703 ».*

Ex quibus deducit nil novi definitisse sententiam Audit. Camerae an. 1788. Imo in ipsa recte iudicatum fuisse, non requiri praeviam licentiam Curiae, quae licentia in ordinariis publicae-Ecclesiae functionibus inutiliter postularetur. Ad *tertium Dubium* transgrediens Orator, an videlicet Confraternitas possit libere administrare propria bona, propugnat definitam esse hanc quaestionem in decreto *num. 31 Urbis, et Orbis,* ubi ad quaesitum : « *An Confraternitates possint administrare propria bona atque de illis disponere, absque ulla dependentia a Parocho?* S. R. C. respondit - *Affirmative* - Quam resolutionem ad alios proventus, et oblationes extendi deducit, ex Card. *Petra Const. Äthan.,* Pignatellio *tom.* 6. *Cons. 83 n. 3* - ibi - « *Si autem agatur de C on fraternitate laicorum, oblationum administrationem spectare ad ipsas Confraternitates* ». Bassius *de Sodalit. Quaest. 7 num. 7, Confraternitates possunt erogare, et impendere reditus, et eleemosynas, absque licentia Episcopi, qui non debet se ingerere in administratione, sed illam Confratribus relinquere, iuxta resolut, s. Congr. EE. et RR. in Castellanen. 14 Novembris 1603.* Quae libera administrandi, atque erogandi facultas ex ipso Tridentino *cap. 9 Sess. 22* deducitur.

Quoad quartum dubium, ait orator, statuta reformanda esse in iis articulis , quae aperte generali decreto et sententiae Auditoris Camerae opponuntur. Non enim statuta, inquit, contra ius sine beneplacito Apostolico sustinentur cum careant requisitis: unde nunquam in totum, nec pacifice fuerunt observata, veluti exemplo affirmat praedecessoris

Parochi, qui nusquam se immiscuit in negotiis Confraternitatis. Nec aliquid concludere difficultates ex Concordato, quod nusquam confraternitatum spolium approbavit. Quin imo idem Pius VII, cuidam Congregationi roganti, ut sibi pristina privilegia concederentur, respondit : huiusmodi privilegia atque indulgentias haud cessavisse; eoquod Congregatio oppressa fuisset, minime vero suppressa. Nec demum sustinet Orator obstaculum adinveniri in Constit. Synodalibus. Praescindendo enim quod istae praeservant particularia privilegia, *salvo particulari privilegio quo frui possit aliquod sodalitium;* hae tamen impedire nequeunt executionem Decreti Urbis, et Orbis, ceu nuperrime s. Rituum Congregatio in *Nicien.* favore Sodalitii e Misericordia Nicae existentis resolvit. Propositae enim quaestioni die 30 Martii 1878 decernere rata est « standum est Decreto Generali *diei 10 Decern-* ***it*** *bris 1703;* propterea Sodalitas'praefata Missas tam pro « vivis, quam pro defunctis per proprium Capellanum licite « potest, ceterasque functiones peragere, quae in memorato « decreto definiuntur, nulla praemissa licentia Parochi Ca- « thedralis atque *enunciatae Constitutiones Synodales* in « casu nullam vim habent sive abrogandi, sive derogandi « superius citat. Decreto ».

Quod congruit canonicae Iurisprudentiae, signanter in *Savonen. Aggregationis die 3 Iulii 1705 coram Motines.* « Quo vero attinet ad Synodum dioecesanam, per hanc « derogari non poterat amplissimis privilegiis Pontificiis, < per aggregationem concessis, cum neque contra iuris com- « munis sanctionem potest Episcopus per suas Synodales « Constitutiones quidquam decernere » *De Luca de Iudiciis disc. 35 n. 5, D animali. Decis. 97 n. &, Rota coram Coccin. Decis. 1619 n. 10* etc.

IURA ECCLESIAE PAROECIALIS. Altera sed vero ex parte Ecclesiae paroecialis Praepositus totis viribus contendit, Sodalitatis Confratribus ius haud competere Cappellanum eligendi independenter a Parocho, ex eo quod nedum statuta sodalitatis propria, sed etiam ipsa consuetudo huiusmodi

Cappellani nominationi, a Confratribus proprio marte peragendae adversatur.

Ac prae primis quaestionem statutorum aggrediens Praepositus animadvertit: quum post gallicam rebellionem (qua perdurante pia Sodalitia disparuerunt) ageretur de reconstituendis Confraternitatibus, Episcopus, de consensu principis Monoecen. statuta concinnavit, vi quorum Cappellani electio omnesque ecclesiasticae functiones fieri nequirent, absque consensu parochi localis. Ne autem Sodales ab eius sese subtraherent iurisdictione, omnium Congregationum praeses fieri voluit. Quae statuta vim obtinuerunt et adhuc obtinent: ita ut numquam parochi permiserunt ut Sodalitia privilegiis uti valerent. Pariter haud veritati consonum est Sodalitium nominasse semper Cappellanum, absque ulla oppositione Episcopi, aut parochi.

A statutis autem quibus sodalitas regitur, ad consuetudinem Praepositus gradum faciens, edisserit consuetudinem sibi et non Confraternitati in themate patrocinari; cum explorati facti sit quod a die 20 Iulii anni 1824 quo statuta ab auctoritate ecclesiastica, una cum civili, elaborata fuerunt, usque ad praesens ea in honore iugiter habita sunt. Iam vero praefata statuta *cap. 20.* decernunt: cappellanus cuiusvis Sodalitii eligetur a respectivis prioribus, salva praesidis approbatione. Idque iure optimo factum fuisse propugnat, cum ex huiusmodi statutorum capite octavo manifestum erumpat, parochum pro tempore Confraternitatum praesidis munere fungi. Quapropter cum sodalitium statuta exceperit, atque observaverit ab anno 1824, nequit sibi vindicare iura quae gallicam antecedunt rebellionem. Hinc subiungit praepositus quod Confraternitas, ad sua iura protuenda, frustra ad pontificias Constitutiones et ad sententiam ab Auditore Camerae diei 20 Aprilis 1788, favore Confraternitatis editam appellat; contendit enim quod quaelibet iura in,regno gallico, ante revolutionem vigentia, penitus eversa fuisse per Concordatum s. Sedem inter et Reipublicae moderatorem peractum. Ait enim ad rem Episcopus: Soda-

litium de quo agitur, ceu aliae omnes Confraternitates, existere cessavit ; eiusque Ecclesia in horreum conversa fuit. Hinc quum constitui iterum deberent Confraternitates, post dictam cladem, oportebat haud parvipendere dispositiones Gubernii, quod, post Concordatam 1801, abnuit totalem independentiam eisdem Sodalitiis, quoad administrationem temporalem et spiritualem. Neque dici potest quod Confraternitas haec renasci debeat cum omnibus suis privilegiis, eoquod vi extincta fuerit. Nam suprema auctoritas Pii VII omnes suppressit Galliarum Ecclesias ut novas constitueret (1). Quod si ex voluntate R. Pontificis Dioeceses et Ecclesiae illius Regni omnia amiserint antiqua privilegia, comprehendi nequit quomodo Confraternitatum privilegia, existere permiserit.

Quod revera in vim Concordati omnia antiqua iura et privilegia a Confraternitatibus amissa fuerint, Episcopus corroborat exemplo sodalitatis vulgo *Madonna del Carmine* in Dioecesi Nicien. pariter existentis , quae. iura et privilegia a saeculo anteacto sibi propria a s. Sede iterum concedi petiit novoque indulto obtinuit nuperrimis hisce temporibus. Post haec Episcopus inclamat : ex hoc colligi potest quod etiam Apostolicae Sedis iudicio privilegia huiusmodi extincta censeantur. Et ideo sive statutorum sive consuetudinis vi, Sodalitium iure caret sibi eligendi Cappellanum, independenter a parocho et absque Episcopi approbatione. Cui cappellano, Confraternitati beneviso, Parochus denegare valet facultatem canendi Missas pro vivis et pro defunctis, ceterasque functiones consuetas peragendi, innixus Concordato. Statutis, Legi Synodali in Dioecesi vigenti, et nuperrimae conventioni inter Ecclesiasticam auctoritatem, et dictum Sodalitium initae. Ex dictis ergo clare patet, Sodalitium invocare non posse in sui favorem Decretum *Urbis et Orbis. 1703:* nam illud in suo robore reliquit conventiones, pacta, et concordias, inter partes initas et a s. Sede

(1) Recole quae collegimus in append. II pag. 181 Vol. XIV quoad suppressionem omnium Dioecesium et paroeciarum.

approbatas, nec non Indulta, Constitutiones synodales ac provinciales, quemadmodum et consuetudines immemorabiles, vel saltem centenarias. Praeter adducta, ait Episcopus, adsunt aliae causae, quae suadent non esse concedendam Sodalitio independentiam sive a Parocho, sive ab Episcopo ipso, ne iam existentibus adiiciantur aliae difficultates. Si enim id fieret admitterentur privilegia quae civile Gubernium respicit ceu legi et concordato contraria; quippe quae iam extincta fuerint.

Ex hactenus disputatis responsio ad tertium dubium facilis esse videtur. Si enim, ceu ex capite 8 statutorum anni 1824 clare patet, parochus pro tempore Confraternitatis praeses constituitur: si parochus, cum necessitas id expostulat, convocare et praeesse tenetur: si tandem huiusmodi statuta in pleno firmitatis robore manutenenda sunt, praesertim quae sodalibus scientibus et acceptantibus elaborata atque executioni demandata fuerunt; sponte veluti sua fluit bonorum administrationem sodales, sine dependentia a parocho haud gerere vel de ipsis disponere posse qui, uti innuimus, est ipsius sodalitii praeses et caput.

Ad ultimum denique dubium descendens Praepositus propugnat, sodalium preces esse reiiciendas. Sane si statutorum reformationi locus fieri deberet, id vel ex iure vel ex gratia contingeret. Porro huiusmodi reformatio non ex iure concedenda esse videtur, ex eo quod memorata statuta a legitima auctoritate indicta, a sodalitate Iubenti animo admissa ac acceptata, executioni iugiter usque ad nostra tempora demandata fuerunt, quin aliquid ex adverso obmussitatum unquam fuerit. Porro explorati iuris est, pacta et conventiones ad unguem servanda esse; *Pacta conventa sunt servanda* praecipit *L. 254 Conveniat ff. depositi.* Sed neque ex gratia impetrandam esse eiusmodi reformationem statutorum, Praepositus subiungit, nedum quia Parochi iura laederentur, sed etiam quia quammaxime mala Christifidelium animarum bono obvenirent.

Quibus praenotatis supposita fuerunt EE. **PP.** enodanda sequentia

Dubia

I. *An et quomodo ius competat Confraternitati de Misericordia Capellanum eligendi in casu.* **(1)**

II. *An competat facultas canendi Mùsas pro vivis, quam pro defunctis, ceterasque consuetas functiones peragendi per' proprium Capellanum sive sacerdotes benevisos.*

III. *An sodales possint bona administrare ac de illis disponere, absque ulla dependentia a Parocho in casu.*

Et quatenus affirmative ad praecedentia.

IV. *An et quomodo sint reformanda statuta in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re cognita, sub die **11** Iunii **1881** censuit respondere :

Ad I, II, et, III providebitur in quarto.

Ad IV. Attentis peculiaribus circumstantiis, standum esse staUitis diei 20 Iulii 1824.

CAUSAE PROSECUTIO. Orator novae audientiae beneficio impetrato, partes Confraternitatis e Misericordia protuendo, restrictum facti et iuris cum novo summario distribuit, ut ex *noviter deductis* cunctisque perpensis recederetur a decisis, *affirmative* respondendo ad tria dubia iam proposita, iuxta Decretum *Urbis et Orbis* diei *10 Decembris 1703,* et speciales resiudicatas , et decretum nuper emissum in ipsa Niciensi Civitate quoad Sodalitium eiusdem Instituti.

(1) Confer Vol. I pag. 582 Vol. VI pag. 109.

Enimvero contendit nullas adesse speciales circumstantias, ob quas in themate a iure communi, et Pontificiis decretis sit deflectendum. Non profecto ex parte s. Sedis, quae solemniter disciplinam in *citato* Decreto absque ulla exceptione cunctis Catholicis praescripsit, ac tantopere adlaborat ut abusus , et vel ipsas aber rationes in Gallicana Liturgia coerceat, quammaxime studens, ut editae a ss. Congregationibus resolutiones executioni mandentur. Non certe ex parte Episcopi cuius iura sarta manent ; nam quaestio tantummodo cum Parocho deagitur qui praetendit sese ingerere in administratione Sodalitii contra Ecclesiae leges, et ipsam observantiam. Quare ex eiusdem resistentia, dissidia maiora sunt oborta, pendente lite. Ex noviter deductis ostendit orator quod Confraternitas semper extiterit sub ipsa dominatione Gallica an. 1809 et 1810, nec umquam amiserit iura, et privilegia Archiconfraternitatis s. Ioan, Decollati, veluti novo revincit documento, ubi affirmatur, Confraternitates aggregatas non indigere renovatione, ut frui prosequantur iuribus et privilegiis, sibi communicatis, quamvis per seditionum motus sus deque eversae fuerint.

Tandem neque ex parte Gubernii speciales circumstantias adesse contendit, cui nihil interest utrum hic vel alter sacerdos celebret, nec se ingerit in interiori administratione. Concordatum porro tantummodo dioeceseon circumscriptionem, et bona alienata respicit, nec in eo ulla fit mentio de Sodalitiis, quae pia humanitatis officia erga pauperes et defunctos exercent.

Imo favore Confraternitatis peculiares adesse urget circumstantias , ut ius universale servetur. Sic praeter ius aggregationis praesto est sententia Auditorii Camerae quae n. 17 iudicavit functiones per Cappellanum peragi *absque ullo praevio consensu, licentia, dependentia aut ingerentia Parochi.* Ita etiam favore eiusdem adesse decretum s. Rituum Congregationis diei 30 Martii 1878 latum pro Confraternitate a Misericordia civitatis Nicien. quod maxime est ponderandum, na iisdem concurrentibus circumstantiis

contradictorium enascatur iudicium. Praesertim cum Pius IX b. m. Pontifex in adnexionis tractatu litteris Encyclicis *31 Decembris 1860* iura acquisita Ecclesiarum, piorumque locorum praeservaverit.

Idcirco nuperrime s. Rituum Congr. in ipsa Niciensi Civitate die 30 Martii 1878 exorta quaestione inter Parochum Eccl. Càthed. et sodalitium de Misericordia decrevit : « *standum est decreto generali diei 10 Decembris* « 1703, propterea sodalitas praefata Missas tam pro vivis « quam pro defunctis *per proprium Cappellanum* canere « licite potest, ceterasque functiones peragere quae in me- « morato decreto definiuntur, *nulla praemissa licentia* pa- « rochi Cathedralis »

Quibus iterum animadversis suetum propositum fuit

An sit standum vel recedendum a decicis in I, II, III et IV dubio in casu.

RESOLUTIO. Sxcra Concilii Cong. iterum re perpensa, sub die 18 Martii 1882 respondit :

Recedendum a decisis, et Episcopus una cum Sodalitio reformet Statuta, iuxta generalem Ecclesiae disciplinam, et legitima Sodalitii privilegia.

Ex **QUIBUS COLLIGES**. I Post decretum *Urbis* et *Orbis* anno 1703 editum, ut iuges dirimerentur quaestiones inter parochos et Confraternitates , haud denegari posse eisdem Confraternitatibus facultatem eligendi proprios Cappellanos, qui peragant in earumdem Cappellis omnes functiones non paroeciales, independenter a parocho.

II Praeter ea iura et privilegia quae quodlibet Sodalitium, canonice erectum , obtinet per Decretum citatum *Urbis* et *Orbis*, et ea consequitur, per communicationem, quae concessa fuere Archisodalitio, cui aggregetur.

III Iuribus, quae potiuntur Sodales, et illud adimitur administrandi bona propria, et de illis disponendi, ceu resolvit cit. *Decret,* sub dubio 31.

IV Adversus iura haec et privilegia Sodalitiis a iure communi impertita, nullum ponere posse obstaculum neque Ordinariorum Statuta, neque constitutiones Synodorum particularium ; utpote quae praeiudicium inferrent supremae Apostolicae Sedis auctoritati, et iuri communi.

V Quapropter quum in themate haud evincta fuerit immemorabilis consuetudo contraria, dum incoeperit tantum anno 1824, S. O. O. revocando primam sententiam, peculiaribus circumstantiis innixam, recognovit bonum Sodalitii ius.

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM

Feria II die 3 Aprilis 1882

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio apostolico vaticano die 3 Aprilis 1882 damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera:

CHAILLOT J. L. — Pie VII et les Jésuites d'après des documents inédits, Rome, imprimerie Salvinoci. 1879.

RENAN ERNEST. — Marc-Aurèle et la fin du mond antique, Paris, Calman Lévy éditeur, 1882.

G. D. M. Vita di Martin Lutero. Roma, libreria di Alessandro Manzoni, 1882.

SICILIANI PIETRO, •— professore di Filosofìa nella R. Università di Bologna. Sul rinnovamento della Filosofia positiva in Italia. Voi. unico. Firenze 1871.

— La Critica nella Filosofìa zoologica del XIX secolo, dialoghi, Napoli 1876.

— Socialismo, Darwinismo, Sociologia moderna. Seconda edizione accresciuta di un nuovo lavoro — Le questioni contemporanee. Bologna. 1879.

— Prolégomènes à la Phychogénie moderne. Traduit de l'Italien par A. Herzen. Paris 1880.

— Teorie sociali e socialismo. Conversazione epistolare con Bonelli. Firenze, 1880.

— Della Psicogenia moderna in servigio degli studi biologici, storici e sociali. Terza edizione ampliata con ritratto dell'autore e prefazione di Iules Soury. Bologna, 1882.

COSCIA NICOLA. Mille dei più originali e concettosi canti popolari » serenate, stornelli, strambotti e rispetti che soglionsi alternare fra innamorati delle campagne italiane nelle sfide, nelle veglie, nei balli, scelti e portati alla comune intelligenza, Roma, tipografia Adolfo Paolini, 1882. ***Decr. S. Off. fer. IV. Februarii 1882. Auctor laudabiliter se subiecit et Opusculum reprobaoit.***

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, put in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari prae" cepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 3 Aprilis 1882.

FR. THOMAS M\ CARD. MARTINELLI Praefectus.

Fr. Hieronymus Pius Saceheri Ord. Praed.

Loco © Sigilli. S. Ind. Congreg, a Secretis.

EX SAGRA RITUUM CONGREGATIONE

SALFORDIEN.

A Revino hodierno Episcopo Salfordiensi quum a s. Rituum Congregatione exquisitum fuerit: ***An liceat absque speciali Apostolico indulto in Missa, quae celebratur cum cantu, sed sine adsistentia sacrorum ministrorum, thurificationes peragere f*** Sacrorum Rituum eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, respondit: ***«Negative, iuxta alias decreta. •»*** Atque ita respondit et rescripsit.

Die ***Z*** Iulii 1880.

D. CARD. BARTOLINIUS S. R. C. **PRAEFECTUS.**

PLACIDUS RALLI S. R. C. ***Secretarius.***

DECRETUM GENERALE

Ex minus recta interpretatione Decreti sacroruum Rituum Congregationis, sub die 8 Aprilis 1808 lati in una Compostellana, quo declaratum fuerat dici posse Missam de Requie, praesente cadavere, diebus primae classis, licet non festivis de praecepto, excepto Festo Titularis, factum est ut in nonnullis Ecclesiis usus invaluerit eiusmodi Missas canendi in solemnitate anniversarii propriae Dedicationis, quod utpote Festum Domini, ac prae Titulari maioris dignitatis honore pollens, vi decretorum nunquam ipsi postponendum est. Quocirca eadem sacra Rituum Congregatio ad omnem ambiguitatem tollendam, opportunum e re esse duxit declarare, quemadmodum per praesens Decretum declarat ac praescribit, nullibi licere in anniversario .Dedicationis propriae Ecclesiae, Missam de Requie, ne praesente quidem cadavere, decantare, quemadmodum in Patriarchali Archibasilica Lateranensi aliisque praestantioribus Urbis Ecclesiis semper cautum fuit. Non obstante Decreto diei 16 Aprilis 1853, in,una Ordinis Minorum s. Francisci de Observantia ad Dubium XX, quo Missa huiusmodi permissa fuerat. Atque ita declaravit ac servari mandavit die 27 Februarii 1882.

Facta autem per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro LEONI PAPAE XIII relatione, Sanctitas Sua Decretum sacrae Congregationis approbavit et confirmavit.

Die 16 Martii anno eodem.

D. CARD. BARTOLINIUS S. R. C. **PRAEFECTUS.**

PLACIDUS RALLI S. **R.** C. ***Secretarius.***

LITTERAE APOSTOLICAE

De Ordine s- Basilii M. Ruthenae Nationis in Gallicia reformando.

LEO PP. XIII

AD FUTURAM REI MEMORIAM

Singulare praesidium et decus semper Ecclesia catholica sibi sensit accedere eorum hominum opera, qui christianam sanctitatis officiique perfectionem expetentes, humanis rebus generosa quadam alacritate dimissis, sese Iesu Christo dica vissent. Qui etsi principio quidem semota a civitatibus loca liberius Deo vacaturi incolerent, rationemque aetatis degendae clericalium munerum expertem mallent, postea tamen, proximorum caritate et quandoque Episcoporum etiam auctoritate compulsi, in urbes concedere et sacerdotalium munerum oificia suscipere non recusarunt. — Mirifice inter hos vel a primis Ecclesiae saeculis effulsit magnus ille Basilius Caesareae in Cappadocia Episcopus, theologus idemque orator cum paucis comparandus, qui non modo ad omnem virtutis laudem ipse contendit, sed ad imitationem sui vocavit plurimos : quos sapientissimis praeceptis institutos ad communem religiosae vitae disciplinam in coenobia congregavit. Ii vero poenis voluntariis et labore assuefacti in divinas laudes sacrorumque doctrinarum studia dispertiebant utiliter tempora ; atque his artibus cum alia multa assecuti fuerant, tum illud praecipue ut rem christianam valerent et virtute sua illustrare et, ubi opus esset, data opera defendere. Quamobrem quo tempore praeclarus ille virorum religiosorum Ordo Photiana clade interiit, fons utilitatum non exiguus una secum exaruit. Verum ubi primum, receptis denuo in Ecclesiam catholicam Ruthenis, ille revixit, et in dignitatem pristinam revocatus est adnitente Sancto Iosaphato Archiepiscopo Polocensi, martyre invicto, eodemque eius Ordinis alumno, tunc Rutheni revirescentis sodalitii celeriter sensere operam. Eius enim sodalibus id maxime erat propositum, conservare Ruthenorum cum Ecclesia Romana coniunctionem, plebem erudire, in

iuventute instituenda elaborare, parochialia munera gerere, cunctis demum officiis, quae ad excolendos animos pertinent, perfungi, praesertim si Cleri saecularis aut numerus aut industria temporibus impar extitisset. Quibus illi de caussis tantum sibi apud omnes benevolentiae conciliarant, tantum opinionis et gratiae, ut ïionnisi ex Basilianis legerentur, qui vel Episcopi vel Archimandritae fierent (1). In Zamoscena Synodo Ruthenorum provinciali, cuius Apostolica Sedes decreta confirmavit, cautum fuerat, ut nemo esse Episcopus posset, quin institutum Basilianum professus esset, nemo autem profiteri, quin intra monasterii septa annum ***probationis regularis*** et sex hebdomadas ad leges et consuetudines sancti Basilii exegisset (2). Itaque non solum Episcopi Ruthenorum, sed etiam Pontifices Romani, Decessores Nostri, sodalitatem Basilianam magno in honore habuerunt, mentisque laudibus prosecuti et praecipua cura complexi sunt: eam quippe probe noverant, Ecclesiae catholicae maxime apud Ruthenos et antea plurimum profuisse et in posterum non minus profuturam. De Clemente VIII (3) et Gregorio XII (4) satis constat, quantum in ornandis Basilianis operae studiique collocarint: quos ipse Benedictus XIV (5) et recentiore memoria Pius VII (6) singularibus verbis commendarunt. His vero luculen" tum postremo tempore accessit testimonium f. r. Pii IX (7) iis consignatum litteris Apostolicis, in quibus b. Iosaphat© sanctorum caelitum solemnes honores decernebantur.

Sed pristina monasteriorum coniunctione dirempta, Ordinem iampridem fiorentissimum variis debilitatum casibus, humanae infirmitatis incommoda non parum afflixere : idque maxime per hanc aetatem, cum in tanta opinionum insania et corruptela morum passim doctrina catholica in invidiam vocetur. Abductis praeterea rerum novarum cupiditate ad profana studia animis, multorum caritas deferbuit, ac pauci inveniuntur, qui mortalibus abdicatis rebus proxime ingredi Iesu Christi vestigiis instituant. — Nobis interim Ordinis Basiliani dolentibus vicem, et qua ratione relevari

(1) Breve Bened. XIV diei 12 Aprilis 1753 inc. *Inelytum quidem.*

(2) Syn. Zamosc. Tit. VI de Episcopis.

(3) Clem. VIII, *Altissimi dispositione* 23 Sept. 1G03.

(4) Greg. XIII, *Benedictus Deus* 1 Nov. 157».

(5) Bened. XIV , *Inter plures* 2 Maji 1744. *Inelytum* 12 Apr. 1753. *Super familiam* 30 Mart. 1756.

(6) Pius Vii, *Ea sunt Ordinis* 30 Iulii 1822.

(7) Pius IX. *Splendidissimum Orientalis Ecclesiae* 29 Iun. 1867.

«asum eius oporteret, in animo considerantibus, illud commode accidit, ut de rerum statu non modo Nos Episcopi, sed etiam ex eodem Ordine sodales diligenter docuerint. Immo quod olim in Orientalium Ecclesiarum discrimine Basilius magnus, idem illi sibi faciendum opportune censuerunt, ut opem Apostolicae Sedis imploraverint, propositis etiam inter alia remediis, quae sanctus Iosaphat in caussa simili sapienter et utiliter adhibuit. Perplacuit Nobis communis Episcoporum et Monachorum voluntas: et leniri coeptus est animi nostri dolor Ruthenorum caussa susceptus, de quibus quoties cogitamus, toties angimur: non enim possumus vel illatas fidei catholicae iacturas non deplorare vel praesentia pericula non extimescere. Sed recto sperandum in posterum iudicamus, si Deo adiutore et auspice magnus ille Monachorum Ordo ex integro floruerit, quo vigente, Ruthenorum viguit Ecclesia. Habendus enim ille est annosae instar arboris, cuius radix sancta: unde novorum insitione palmitum fructus expectare licet laetos et uberes: idque eo magis quod cultores expetuntur, quorum alias est in opere eodem industria, spectata, scilicet sodales e Societate Iesu, quos ipse sanctus Iosaphat et Velaminus Rutski Metropolita adiutores optimos experti sunt. — Igitur de gravi huiusmodi negotio, quod singulares curas Nostras sibi iure vindicat, mature deliberare iussimus aliquot Venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales e sacro Consilio christianae fidei propagandae Orientalibus negotiis praeposito. Quorum cum probaverint us* sententias, ad ordinandam sodalitatem Basilianam in monasteriis Galliciae, ea quae sequuntur auctoritate Nostra Apostolica decernimus, religioseque servari praecipimus.

Inclytum Ordinem s. Basilii magni in Ruthenis sic restitui volumus, ut sodales eius ad sacerdotalia munera probe exculti in curanda proximorum salute sempiterna strenue versentur. Atque in hoc genere nihil optamus magis, quam ut studeant ipsum s. losaphatum ferme alterum parentem suum imitari et ad excellentem eius caritatem proxime accedere. Huius rei gratia Collegium tirociniorum, seu ***Novitiatum,*** uti vocant, iure legitimo constitui volumus in Monasterio Dobromilensi intra fines Dioeceseos Premisliensis : cuius monasterii templum et continentes aedes una cum omni re familiari, iuribus, redditibus Collegio tirociniorum seu ***Nooitiatui*** cedant.

Monachos Ordinis Basiliani in G-allicia futuros tirocinium in Monasterio Dobromilensi ponere rato tempore iubemus : si secus posuerint, professio religiosa irrita infectaque esto.

Quo tutius et firmius fatiscentis Ordinis necessitatibus consulatur, pluresque adolescentes ad profitendum tam salutare vitae institutum excitentur, privilegium eamdem ob caussam a Pio VII Decessore Nostro renovatum vel concessum per Apostolicas Litteras die 30 Iulii an. 1822 datas, quarum initium ***Ea sunt ordinis,*** ita confirmamus, ut etiam Latinos, nondum tamen sacris ordinibus initiatos, cooptari liceat. Iis fas esto ad Ruthenorum ritum sese in omnibus conformare ante solemnem professionem: qua peracta, non tamen antea, ad ritum Ruthenum, vetito ad Latinum regressu, vere et penitus transiisse intelligantur.

Cum susceptum huius Ordinis reformandi negotium multas habeat difficultates, quae consilium auctoritatemque Sedis Apostolicae postulant, idcirco--eius regimen Nobis et Romanis Pontificibus successoribus Nostris reservamus, curam agente sacro Consilio christianae fidei propagandae Orientalibus negotiis praeposito, donec aliter ab ipsa Sancta Sede Apostolica decernatur. Eidem Sacro Consilio ius potestatemque tribuimus nominandi, rite perrogata Monachorum sententia, eligendique Protoegumenum seu Praepositum Ordinis in G-allicia Provincia. Hanc itaque sodalitatem Basilianam ab ordinaria Episcoporum et ipsius etiam Metropolitae Ruthenorum auctoritate et iurisdictione omnino eximimus et exemptam esse declaramus: salva tamen potestate, quam Tridentina Synodus Episcopis in hoc genere attribuit etiam uti Apostolicae Sedis Delegatis.

Collegium tirociniorum, quod diximus, veterum exempla sequuti, nominatim s. Iosaphati et Velamini Rutski Metropolitae, Societati Iesu instituendum ac regendum tamdiu concredimus, quamdiu ex ipso Ordine Basiliano non extiterint viri, quibus Monasterii Dobromilensis regundi curam Sedes Apostolica deferendam putet.

Itaque praecipimus, uti quam primum Coenobii Dobromilensis et ***Novitiatus*** magisterium gubernationemque suscipiant lecti aliquot e Secietate Iesu sacerdotes ; qui tamen non modo quod ad religiosam disciplinam, sed etiam quod ad officii mutationem in potestate ordinaria Antistitum suorum, uti nunc sunt, ita esse pergant. Iisdem sacerdotibus e Societate Iesu Protoegumenus tradat, salvo tamen Basilianis iure dominii, monasterium supra dictum, Nobis iam ultro oblatum, una cum omnibus eius bonis ac redditibus: de eaque traditione instrumentum iustum perficiatur. Ea bona eorumque bonorum fructus in tuitionem Coenobii et Alumnorum insumendos administrent sacerdotes Societatis Iesu, non auctoribus Monachis Basilianis, auctore Sacro Consilio christiano nomini propagando, cui

in annos singulos rationes acoepti et expensi, item relationem de statu tirociniorum deque adlectis inter tirocinia ex fide reddant.

Monasterium Dobromilense, quod interim potestate Protoegumeni «xsolvimus, accipiat quotquot ex Rutheno vel Latino ritu in Ordinem Basilianum cooptari se velle declaraverint. Nec tamen cooptentur, nisi quos probos et idoneos esse constiterit non solum legitimis de vita moribusque, litteris, et utriusque Ordinarii tam originis quam domicilii testimonio, verum etiam semestri probitatis constantisque voluntatis documento, quod intra Monasterii septa ante ediderint, quam vestem initialem sumpserint.

Dobromilenses alumni seu ***Novitii*** ad omnem pietatem religiosamque perfectionem informentur ex instituto Ordinis Basiliani .disciplinaque per Sanctum Iosaphatum ordinata. Cumque omnino velimus Ruthenorum ritus probatasque consuetudines inviolate servari, curent et provideant rectores Monasterii, ut, aliquo adhibito ex sacerdotibus Ruthenis, in aede sacra continenti divina officia peragantur, et Sacramenta administrentur ritu Rutheno : item ut alumni liturgiam cëremoniasque Ruthenas sedulo ediscant. Iidem alumni divinas laudes rite persolvere assuescant: abstinentias et ieiunia ad praescripta Sancti losaphati servent: ea tamen prudenter temperare Coenobii Praefecto liceat: cui et licere volumus eos, quibus praeest, a praeceptis ecclesiasticis iusta de caussa exsolvere, eidemque ceteras facultates impertimus, quas in Antistites Ordinum religiosorum conferre Sedes Apostolica consuevit.

Sacramentales alumnorum confessiones, etiam biennio postquam vota simplicia nuncupaverint, excipiat ipsorum magister, etsi forte praefecturam monasterii idem gerat: ita tamen ut illis integrum sit, quandocumque voluerint, ad extraordinarium Confessarium accedere.

Post tirocinium anni unius et sex hebdomadum, vota simplicia Alumnos nuncupare fas esto, si modo digni et habiles ad officia Ordinis sui Antistitum iudicio videantur. Quos minus dignos minusve idoneos esse constiterit, eos etiamsi votis obstrictos, quae ***devotionalia*** appellantur, Praefectus Coenobii iisdem solutos abire iubeat. Qui vota simplicia rite ediderint, eos abire iubere ne liceat citra Sedis Apostolicae auctoritatem, excepto quod evidens necessitas urgeat, quae cunctationem nullam recipiat.

Alumni post vota simplicia Sacerdotibus Societatis Iesu studiorum moderatoribus ad humaniores literas instituantur : mox philosophiam et theologiam sub iisdem doctoribus percipiant, atque in. iis studiis ad disciplinam D. Thomae Aquinatis exerceantur.

Iisdem, exacto a nuncupatione votorum simplicium triennio, Ordinem Basilianum solemni ritu profiteri liceat, servatis legibus a f. r. Pio IX Decessore Nostro editis, inprimis Constitutione ***Ad universalis Ecclesiae*** edita die 7 Februarii 1861.

Haec quidem decernenda indicavimus. Interim diligens dabitur opera perscribendis vivendi legibus seu Constitutionibus, iisque ad ipsas illas propius accedentibus, quas Basilius et Iosaphat tam praeclare condiderunt. Eas vero Nostra et huius Apostolicae Sedi» auctoritate recognoscendas et approbandas esse volumus. Et hac demum ratione futurum confidimus, ut Basiliana Ruthenorum in Gallicia societas in spem gloriae veteris, opitulante Deo, reviviscat, atque ad omnem virtutem instructa, id facile assequatur, quod eius tum conditor Basilius, tum restitutor losaphatus animo proposuerant: nimirum catholicum nomen in alteris conservare, ad alteros propagare, avitam eius gentis cum Ecclesia Romana coniunctionem tueri, Episcopis Ruthenorum catholicis adiutores doctos, industrios, bene animatos suppeditare.

Verum adlaborantes pro incolumitate Basilianae in Gallicia familiae, non in hac unice curas defigimus, ut non etiam ceteros caritas Nostra complectatur eiusdem alumnos extra G-alliciam consistentes. Qui sane pari studio benevolentiaque Nostra digni sunt, maxime ob utilitates Ecclesiae catholicae non modo partas, sed etiam reliquas et speratas. Interea pro certo habemus, eos minime sibi defuturos, ac velle universos omni ope contendere, ut dignitas retineatur Ordinis Basiliani, atque omnium monasteriorum exoptata coniunctio, Dei beneficio, obtineatur. — Venerabiles autem Fratres Ruthenorum Praesules, de sodalitate Basiliana egregie méritos, libenti animo futuros arbitramur, non quod ipsos in hac parte levandos onere duximus, sed quia, rebus auctoritate Nostra ita constitutis, iure ea bona ex Ordine Basiliano expectari possunt, quae communi omnium desiderio expetebantur.

Prosperos coeptorum exitus impetret a Deo ipsa parens eius Maria Virgo, una cum Michaele Archangelo, caelesti Gallieiensium Patrono, et Basilio magno et Iosaphato martyre: quorum omnium gratia faxit Deus, ut plurimi ex omni hominum ordine in animum inducant huius reformationis beneficia experiri.

Haec volumus mandamus atque indulgemus, decernentes irritum et inane si quid contra praemissa a quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis minime obstantibus, quibus omni-

bus et singulis ad effectum dumtaxat praesentium Apostolica auctoritate derogamus. Volumus autem ut praesentium Litterarum exemplis etiam typis impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel extensae.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo Piscatoris die 12 Maii 1882 Pontificatus Nostri anno Quinto.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die 6 Augusti 1881.

COMPENDIUM FACTI. Maria probatissima femina in vico lazieniec Dioecesis V. nata, rei litterariae, ac praesertim poesi intenta, quemdam Stanislaum bibliopolam ac librorum editorem suorum poëmatum , autographum vendendi causa, in civitate adiit. Ex hoc negotio ad exitum ducto, necessitudo quaedam, ut fieri solet, inter eos exorta fuit, quam semper coluerunt : et quamvis mulier stabile domicilium in civitate V. haud haberet, tamen vir saepius ad eam accedens penitus cognoscere statuit. Ex iteratis itaque visitationibus ita erga ipsam amore captus fuit, praecipue ex eius morum honestate ut, arrepta occasione, eam ut sibi nuberet rogaverit, ratus suis votis responsuram. Nec eum opinio fefellit, quandoquidem mulier laetanter viri voluntati obsequens, cito ej. dexteram porrexit; et quamvis frigida ex utraque parte

amoris signa intercesserint, nihilominus connubium sacro ritu tandem initum fuit anno 1876.

Verumtamen non una eademque fuisse videtur amborum mens in hoc contrahendo matrimonio, nam vir, utpote rectam de hoc sacramento notionem habens, consensum suum in verum et proprie dictum matrimonium cum omnibus suis effectibus, prouti communiter a catholicis intelligitur praebuit. Non idem tamen sentiisse videtur mulier, quae ut ipsa ait, erronea ducta opinione, illud inivisse iactitat dumtaxat fine, ut mutuum auxilium invicem in litterarum studiis excolendis praeberetur , nullumque ius , ut ipsa fatetur, in suum corpus viro per matrimonium transtulit. Ipsa enim fassa est : se non matrimonium carnale, sed mere litterarium cum eo contraxisse ; videlicet non ut liberos, sed libros procurarent. Attamen sub vespere diei initi matrimonii domum sponsi petiit ; ubi mansit sex dies, cum propria matre in cubiculo seposito et obserato , et duos dies absque matre. Cum autem vir saepius pertentaverit praebere uxori amoris signa, uxor semper eum repulit adiicens : se numquam illius aut alterius uxorem esse posse vel fore; eiusque domum reliquit. Vir postea omnem lapidem movit, ut uxori suae reconciliari et matrimonialiter cum ea vivere posset. At frustra: nam nemo eam flectere valuit. Hac de re, omni spe reconciliationis amissa, tanta erga illam affectus est aversione, ut amplius vivere cum ipsa decreverit. Cum autem se periculo incontinentiae expositum sentiret, libellum obtulit Curiae V. ut matrimonium suum, utpote non consummatum, dispensatione Sedis Apostolicae dissolveretur. Tabulae processuales a Curia confectae sunt ad tramites Benedict. Constitutionis, et ad s. Sedem transmissae, ut dispensationem indulgerei.

Disceptatio Synoptiea

DEFENSIO VIRI. Huius patronus bifariam divisit suam orationem, evincens in primo capite nullum fuisse matri-

monium ob defectum consensus ; in secundo autem ostendere sategit, dispensationem haud esse denegandam, nedum quia agitur de matrimonio rato et non consummato, verum etiam quia causae ad dispensationem obtinendam urgent.

Ad primum igitur orationis caput deveniens, praemonito quod matrimonium tam civili quam canonico iure est : *Maris et foeminae coniunctio , individuam vitae consuetudinem continens, ad prolem procreandam ;* illud sine viri puberis et mulieris, viri potentis, libero consensu consistere haud posse contendit ad tradita per *cap. Tuae fraternitati 25 Decret. De spons. et matrim.:* cui adhaeret Lancellottus *lnstit. iuris canonici lib. 2. tit. 11. §. 1. de nupt.* Ferraris *Biblioth. verb. Matrimon. Art. 1. n. 10 et 17,* et S. C. C. in *Romana 7 Martii 1700.* In themate vero consensum ex parte mulieris exulasse evincere censuit ex ipsius mulieris depositione ante Consistorium Curiae emissa, in qua haec signanter leguntur : « Momento ipsius matrimonii, « pariter ac antea, consensum in verum matrimonium non ***4*** praestiti.... Cum sacerdos interrogasset me : Voves ne « fidem, amorem et obedientiam coniugalem? repetivi post « sacerdotem verba ; sed ante unumquodque horum verborum <c adieci submissa voce: Non. >

At non modo ipsius mulieris confessionem iureiurando praestitam, verum etiam facta, quae matrimonii celebrationem subsecuta sunt confirmare adurget consensum ad verum matrimonium contrahendum defecisse. Haec nedum ex iurata partis confessione patere subdit, sed etiam a iurato testium examine, qui omnes fere iisdem verbis idipsum deposuerunt. Aversio autem quam erga Stanislaum fovebat, huiusmodi erat, ut fere post tres annos ab inito matrimonio coram iudice delegato asserere non dubiteverit : « Marito meo Sta- « nislao reconcilian et vivere cum eo maritaliter nequeo, ob « insuperabilem aversionem et indignationem meam ».

Quapropter Metropolitanae Theologus in suo voto huiusmodi verbis utitur : « patet Mariam ductam quadam nescio « morali vertigine mentis, suum consensum in verum ma-

« trimoiiium denegasse in ipso actu celebrationis matrimo- « nii ». Cui chorum agit Canonista, qui ad rem haec habet: « Validitas dicti matrimonii, prout ex actis in causa « hac formatis apparet, valde suspecta videtur ob defectum « consensus requisiti ad matrimonium verum, sensu catho- < lieo, ex parte Mariae ; quae contrahendo fines essentiales < connubii, non modo non intendebat, verum etiam penitus < excludebat, idque (ut ipsa fatetur) in ipso actu celebra- « tionis matrimonii >.

At admisso etiam hoc consensu, iuxta ss. canones nihilominus dispensationi locum esse defensor propugnavit, tum quia matrimonium in casu ratum, sed non consummatum fuit, tum quia iustae causae pro dispensatione indulgenda haud deficiunt. Inconsummationem matrimonii evincere studuit ex confessione coniugum, iuramento vallata, tum ex depositione testium qui septimae manus audiunt, tum denique ex inspectione corporis mulieris.

Ad corpus mulieris inspectionem gradum faciens animadvertit, eam iuxta Constit. Benedicti *"XIV-Dei miseratione* fuisse a duobus medicis, tribus obstetricibus coram matrona peractam, omnesque seorsim, praestito iuramento declaravisse structuram totius corporis *Mariae, et praecipue statum partium genitalium, in perfecto virginitatis statu reperiri.* Quae omnia simul iuncta, prosequitur orator, omne dubium amovent, matrimonium ratum esse et non consummatum : quin imo, accedente corporis mulieris inspectione, non modo moralem, sed et physicam certitudinem de eiusdem inconsummatione in themate haberi contendit.

Quoad dispensationis causas, ait : primum inter illas locum tenere aeternam coniugum salutem ; Cosci *de separat, tor. lib. 3, cap. 2 n. 99.* Porro quod in casu aeterna coniugum salus periclitetur, ob incontinentiae periculum,[1] extra omnis dubitationis aleam , ex iuvenili Stanislai aetate, nec non ex ipsius confessione, erui contendit. Aversio Mariae erga virum, quae genuit viri aversionem erga uxorem, alia est dispensationis causa ex Cosci - *de sep. tor. lib. 1. cap.* ***io***

ii. 256. Cui aversioni insuper accedit obstinatio mulieris, quae recusat dare operam praecipuo fini matrimonii seu prolis procreationi, ac individuae vitae consuetudini. Alia adest causa dispensationis in consensu utriusque coniugis, elicito pro hac obtinenda dispensatione: porro utriusque coniugis consensum inter causas concedendae dispensationis adnumerari tradit Sánchez *lib. 2 disp. 16 n. 3.*

DEFENSIO S. VINCULI. Qui matrimonii vinculum ex officio tuetur dispensationem in themate indulgendam non esse censuit. Eo quod ex cohabitatione simul habita praesumptio iuris, et de iure oritur de matrimonii consummatione. Ita De Iusti de *dispensat, matrimonii lib. 1 et IO num. 25,* Pignatellus *consult. 149 num. 1,* s. Congregatio in *Comen. Matrimonii 17 Decembris 1768.* Imo subdit ex unanimi Doctorum sententia non solum ex longa cohabitatione in eadem domo, sed etiam ex sponsorum mora in loco secreto, et abdito, et quidem per unius horae spatium, supposita idoneitate ad copulam praefatam, praesumptionem oriri de matrimonii consummatione; Abb. in *dis. cap. 3 - Ex commoditate unius horae inter sponsum, et sponsam oriri praesumptionem carnalis coniunctionis -.* Atqui ex actis manifestum erui, dicit, per duos integros dies, et noctes virum cum uxore solos cohabitasse, et pernoctasse. Ex qua cohabitatione praesumptio oritur consummationis, quae non eliditur nisi contrariis concludentissimis probationibus, ad tradita per Pignatell. *consil. 149 num. 21,* Rota *tom. 2 decis. 54 n. 8,* s. Congregatio in supracitata *Comen.* Iam vero quae ad excludendam matrimonii consummationem afferuntur, sunt *coniugum iuramentum, fides septimae manus et virginitatis inspectio,* quae profecto pro concludentissimis probationibus haberi haud queunt. Sane iurata coniugum adsertio tum solum aliquid ponderis secumfert, quando agitur de impotentia coeundi, vel de coniugibus, qui nunquam una simul cohabitaverint, ceu tradit Consci *lib. 1 cap. 1 n. 17,* cui concinit Sánchez.

Multoque minus valere subdit fidem septimae manus;

nam septimae manus auxilium a *Capit. 5, et 9 de frigid, et male fe.* inductum fuit, ut iunctum ceteris adminiculis, moralem convinctionem in animis iudicantium induceret, ad definiendas causas matrimoniales, in quibus de impotentia coniugum pertractatur.

Quam infirma et egena probatio ex virginitatis inspectione, quam incerta sint eiusdem signa in universa scientia medico-legali manifestum apparere dicit, innixus auctoritati Zacchiae *quaest, medico-legal. tit. 2 quaest. 1 virginitatis nullae dantur certae, et inseparabiles notae)* cui consonat inter recentiores Barzellotti in medicina lesali *cap.* ***4 §. 43.*** -

Huiusmodi autem argumentum validius evadere urget, si paullisper animadvertatur, quod inspectio post tres circiter annos a supposita copula, habita fuit. Iamvero per hoc temporis spatium naturalem cohaesionem partes muliebres iterum acquirere potuisse edicit officiosus Defensor, ita ut virgo iterum reapse videretur.

Praeterea ad causas dispensationis transeundo ait:.causas in themate adductas neque graves esse, neque urgentes contendit ; hinc dispensationem in casu prorsus denegandam esse «disserit. Prima causa enim adducta est incertus valor matrimonii ipsius, ob defectum consensus ex parte uxoris. Sed id asseritur ab ipsa allegante: quae assertio haud sufficit ad effectum solvendi matrimonium, iuxta Berardi *dissert. 7 de dissociatione coniug. cap. 1.* Neque ex repugnantia mulieris ad copulam aliquid desumi potest ; nam constat eamdem repugnantiam plures mulieres expertas fuisse.

Multoque minus ad dispensationem valere subsumit *mutuum coniugum consensum.* Tunc enim in potestate coniugum poneretur dispensatio matrimonii, quod quantam redoleat absurditatem nemo est, qui non videat. Hinc optime Sánchez *disp. XVI n. 9,* innixus auctoritati Barbosae, tenet non esse causam sufficientem dissolutionis *mutuum coniugum consensum.* Nec secus dicendum esse subdit de altera causa aversionis, exortae inter coniuges, nisi de tri-

stissimo coactae coniunctionis exitu probabilis coniectura habeatur Sánchez *dist. 16 num. 4.*

Hisce breviter expositis, sequens dirimendum propositum fuit

Dubium

An sit consulendum SSmo pro dispensatione matrimonii rati et non consummati in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re perpensa, sub die 6 Augusti 1881 censuit respondere :

Affirmative, imposita mulieri gravi ac salutari poenitentia, arbitrio Ordinarii.

Ex **QUIBUS COLLIGES**. I. indolem et naturam matrimonii eam esse ut perpetuum amoris constituat vinculum et animorum coniunctionem; et ut contrahentes sibi invicem suas donent personas: quod fieri nequit sine consensu vero eorumdem, per quem imprimis nuptiae perficiuntur.

II. Hinc nullum esse matrimonium, quatenus unus ex contrahentibus ex propria malitia simulaverit consentire et contrahere, vere tamen et ex animo non consenserit : quia non verba externa aut eorum sonitus, sed animus et voluntas sese obligandi, matrimonium efficit: *Cap. Tua nobis 20 de spons.*

III. Contrahentem, qui ita non consentit, graviter peccare peccato iniustitiae in conctratu, et peccato sacrilegii in sacramento (1).

(1) Ecclesia tamen ne viam aperiat divortiis et adulteriis, dum facile posset fictionem consensus allegare, quem propriae uxoris poeniteret , interim uti Terum praesumit consensum, verbis et signis claris exploratum, donec evidenter non probetur contrarium. Neque fidem praestat contrahenti; etiamsi iureiurando affirmet se flete consensisse. Rationem huius facti dat Innocentius III in *cap. per tuas 10 de probat.:* «Cum nimis indignum sit, iuxta legitimas sanctiones, ut quod sua quisque voce protestatus est, in eumdem casum, proprio valeat testimonio infirmare. » In casu de quo agitur ». C. C. praetulit concedere dispen-

IV. Quapropter dum Apostolica Sedes aeternae contrahentium saluti consuleret, dispensationem concedendo super matrimonio rato et non consummato, voluit ut gravi plecteretur poenitentia mulier quae taliter proprium praebendo consensum offendit iustitiam contractus et sacramenti religionem.

sationem super matrimonio non consummato, quam salebrosam inquisitionem peragere super matrimonii validitate ob consensum a puella taliter praestitutum, Ipsa enim consentendo in matrimonio nullum viro censuit concedere ius in suo corpore; sed auxilium quaesivit pro suis studiis, poetica litterarum cultrix.

REINTEGRATIONI IN PAROECIAM SEU COMPENSATIONIS DAMNORUM

Die 6 Augusti 1881.

COMPENDIUM FACTI. Etsi nihil certi statui possit circa statuta et praerogativas quibus antiquissima ecclesia Collegiata s. Georgii olim fruebatur; tamen ex indubiae fidei documentis illud in comperto est, quod circa initium saeculi 17,nempe an. 1617, eius administratio erat concredita cuidam laicae societati Estauritarum dictae, una cum Hebdomadariorum collegio, cui abbas praeerat, apud quod cura animarum tam habitualis, quam actualis residebat.

Verumtamen, hoc vertente aevo, res immutatas fuisse patet, quandoquidem inter Abbatem, hebdomadarios et Estauritas ex una parte, et congregationem piorum Operariorum, nuper exortam, ex altera, conventio inita fuit, a Paulo V deinceps solemniter firmata per Breve *ex Debito 7 Iunii 1618,* in cuius vim piis Operariis usus Ecclesiae s. Georgii perpetuo cedebatur.

Attamen, dum omnia iura cedebantur, unum reservabatur, ceu eruitur ex ipso Brevi Pauli V: - ibi - « *Sit reservatum*

dicto Collegio ius parochiale quod hodie possidet in praedicta Ecelesia ». Verum huic quoque iuri Hebdomadarii cesserunt favore congregationis piorum Operariorum anno 1621 ; praecavendo tamen «quod si aliquando Congregationem praedictam •» extingui seu exprimi contigerit, eadem animarum cura ad » collegium Hebdomadariorum, eisdem modo et forma, qui» bus ad praesens competit, revertatur».

Anno 1689 animi paciscentium ita exasperati sunt, ut apud s. Cong. Ep. et Reg. agitaretur magna quaestio *nullitatis cessionis,* quae tamen anno 1704 dimissa fuit responso : *nihil de reintegratione.* Immutato autem regimine politico, per decretum dictatoriale anni 1861 iuridica existentia despoliatae fuerunt omnes Collegiatae, quibus cura animarum non incumbebat.

Tum auctoritas ecclesiastica curavit adstruere ut Hebdomadariorum collegio competeret exercitium curae animarum ; obtinuitque a gubernio declarationem, qua Ecclesia collegiata, uti curata recognita fuit. Pii Operarii interdum obtinuerunt a gubernio summam libellarum 7000, ob titulum actualis curae. Vi amicae declarationis praedictae Hebdomadarii valuissent incolumes *abire ab tmiversae* suppressionis lege, anno 1866 contra Ecclesias collegiatas indicta. Verum curia Archiepiscopalis suasit Hebdomadariis ut super memorata favorabili declaratione non insistèrent, ne dum ipsi libellas 2200 re-r cuperarent, pii operarii amitterent summam libellarum 7000, obtentam titulo paroeciae.

Ast cum a piis Operariis Hebdomadarii nihil in compensationem damnorum et litis renunciationem, progressu temporis obtinuissent, rati nedum curam habitualem, sed etiam actualem, in vim legis eversivae Ordinum Regularium, sibi ipsis competere, supplici oblato libello a s. C. Concilii expetiverunt decernere, ut pii Operarii curam actualem dimitterent, vel partem oratoribus darent ex reditibus perceptis, causa parochialis Curae.

Ordinarius rogatus de informatione et voto, retulit existere reservationem in Bulla Gregorii XV, qua cura anima-

rum redire deberet ad Collegiatam, quatenus congregatio piorum Operariorum extingueretur. Quae conditio ait, haud purificata est, eoquod Congregatio haec, etsi suppressa a Gubernio, coram Ecclesia tamen, cum suis privilegiis, vivit. Sese autem censere aequum esse, ut pii Operarii aliquam praebeant Hebdomadariis compensationem ex ingenti summa libellarum 7000, quam obtinuerunt gratia curae animarum, quae olim Collegiatae incumbebat. Quae compensatio videtur deberi dictae Collegiatae ob onera ab eadem satisfacienda, et quia salvaret a totali ruina celebris Collegiata haec, indigne a gubernio despoliata.

Disceptatio Synoptic».

DEFENSIO PIORUM OPERARIORUM. Horum Parochus innixus patulis instrumenti verbis, vi cuius cuncta Hebdomadariorum iura piis Operariis cedebantur, et Bullae Gregorii XV cessionis confirmatoriae, ait : redintegrationem in paroeciam omnino esse denegandam. Hisce praeiactis, prosequutus est nil magis humanae fidei congruit, quam ea quae mutuo consensu stabilita sunt servare *L. 1 ff. De Pactis C. Iuris gentium §. Praetor ait ff. eod. Cap. 1. Ant i g onus de pactis* - ibi - « *inita pacta suam obtineant firmitatem, pacta custodiantur.* » Concinit S. CC. in *Vigilien. Inhibitionis 14 Augusti 1880* §. *Praeterea tralatitium,* s. Rota *Decis. 252 n. 1 p. 1 recent.* Et iure meritoque : quod enim semel placuit amplius displicere non potest; ad tradita per *Reg. 21 de Reg. iur. in 6°;* praesertim vero si mutatio voluntatis ceu in themate occurrit, vergeret in alterius partis praeiudicium, uti late expenditur in *Fulginaten. Reintegrationis 15 Februarii 1879* §. *Ea hactenus adductis.* Praeter conventionem omnibus numeris absolutam, etiam res iudicata anni 1704, ut supra dictum est, obstat precibus Hebdomadariorum. Nam, subdit Parochus, si de existentia rei iudicatae dubitari nequit, sequitur quod Hebdomadarii reiiciendi sint ex non iure actoris. Sententia enim quae in rem iudicatam transivit, nec praetextu instrumenti noviter reperti re-

tractari potest *leg. sub specie Cod. de re Iudicat, leg. Imperatores ff. eod. Leg. sub praetextu Cod. de transad. Leg. Argentarius §. Cum autem de edendo Cap. Inter Monasterium de re Iud.* Res enim iudicata nedum parit exceptionem litis finitae et pro veritate habetur, ceu tradit S. C. C. in *Bononien. Interpretat. Rescript. 14 Maii 1881 §. Ex altera vero parte;* sed etiam quamcumque probationem in contrarium reiicit s. Rota *Decis. 60 num. 6 p. 6, et Decis. 266 n. 11 p. 15 recent,* praesertim vero, prouti in themate occurrit, si observantia plusquam centenaria roboratur. Perperam autem diceretur esse penes pios Operarios tantum curam habitualem ; nam in instrumento cessionis clausulae adiectae sunt, ita effraenatae, ut piis Operariis omnia iura tributa fuisse videantur *cum omnibus iuribus quocumque titulo;* tum ex apertissimis gregorianae Bullae verbis, in qua absque ulla distinctione cavetur, quod *cura animarum praedictos Presbyteros absolute remanet.*

Quod eo vel magis in casu, admittendum esse propugnat, in quo cura animarum per Vicarium exercetur, non ab Hebdomadariis, sed ab ipsa piorum Operariorum congregatione deputandum. Iamvero, quod cura habitualis penes eum resideat, cui, paroecia vacante, ius.inest deputandi Oeconomum vel Vicarium, ab Ordinario approbandum, tradit *Innoc, in cap. cum non ignores num. 2 De praebend.* Pignatelli *Consult. 24 n. 3 t. 1,* Scarfant. in *Lucubrat. Can. lib. 3 num. 28j* et docet s. Rota *dec. 400 num. 2 part. 1 tom. 1 recent.* Cui adhaeret S. C. C. in *Brixien. Iurium Capitularium 26 Iunii 1880 §. Verum omne dubium.*

Perperam tandem Hebdomadarii ad legem italicam, Ordinum Religiosorum eversi vam recurrunt, qua pii Operarii suppressi fuerunt, ut ostendant conditionem in Paroeciae cessione, in vim Bullae Gregorii XV adiectam, purificatam fuisse, qua existente a laudato Pontifice cautum fuerat, ut cura animarum Hebdomadariis restituenda foret. Huic enim assertioni Parochus respondet: memoratum Pontificem non de quacumque suppressione locutum fuisse, sed de ea, quae legitima po-

testate ecclesiastica auctorante aliquando contingere poterat. Cum igitur in casu Ordinum Religiosorum eversio a potestate laica, ecclesiastica inclamante et reprobante, praescripta fuerit, eam nihili faciendam esse tradit *Bald, in Morgar. ad Innocent, loco repertor. in verbo Civitas.* Concinunt *Lotterius de re Benef. lib. 1 q. 14 num. 107, Piton. Discept. Eccles. 8 n. 17.*

Ait insuper idem Parochus : neque damnorum compensatio indulgenda est Hebdomadariis : eoquod in iure certum est, neminem actione damnorum percelli posse, nisi probetur damnum vere illatum, dolo vel culpa irrogatum fuisse, uti habetur *in cap. ult. de iniuriis et damno dato* - ibi - « *Si culpa tua datum est damnum vel iniuria irrogata, seu aliis irrogantibus opere forte tulisti, aut haec imperitia tua, sive negligentia evenerunt, iure super his satisfacere oportet«..* Concordat *text. 1 in lege ff. ad legem Aquil.* et iure merito ; tum quia *factum cuique suum non alteri nocere debet, I. factum ff. de reg. iur.;* tura quia potior debet esse causa eius, qui damnum absque omni sua culpa patitur, quam alterius, qui sua culpa damnum intulit, Reiffenst. *Lib. V decret, tit. 36 h. t. §. 2 num. 39 de damno dato et*_____'Cui concinit s. Rota praesertim in *Nursina Emendationis damnorum die 29 Martii 1852 n. 1 coram Mertel* - ibi - « Praecipuum damnorum petendorum requisi-
» tum est, ut qui agit, undique certum demonstret commo-
> dum ac lucrum, quod amisisse queritur, praeterea ut amis-
» sio ex eius facto derivet a quo indemnitas petitur, *text.*
» *in Leg. si servus et Leg. habere ff. de evict. Leg. si quis damna ff. locati, Rota decis. 13 num. 1 et seq. tit. de reb. cred. cor. Falconerio, decis. Romana affictus super damnis 17 Iunii 1757 §. 2 coram Elephantutio, decis. Faventina Executionis transactionis super damnis 3 Iulii 1668 §. 2 coram Mannelli, decis. 13 n. 9 decis. 29 n. 1 coram Marco.*

His in iure praestitutis. Parochus piorum Operariorum prius evincere conatus est, fere nullum damnum obvenisse Hebdomadariis ; qui amiserunt tantum 24 ducata, pergravi

onerata taxa. Deinde adiecit: etiamsi iidem Hebdomadam grave persenserint damnum, nulla ipsis debetur compensatio cum id contigerit nulla operariorum culpa. Sane pii Operarii penes tribunalia civiliter demonstrare satagentes ipsis curam animarum competere, cum iure suo usi sint, nemini fecisse iniuriam tuto asseri posse videtur, ad tradita per *leg. Proculus et leg. Fluminum in fine ff.* ***de damno*** *infecto.* Porro compertum apud omnes est, quod si quid aut iure factum, aut iure omissum est, etsi detrimentum ex hoc alteri obvenerit, nullam tamen adesse damni querelam, quia nemo damnum dedisse intelligitur, *nisi quis, id facit quod facere ius non habet L. 141 ff. de Reg. iur.* Chorum agit s. Rota *decis.* ***36*** *num. 2 et* ***3*** *cor. Malvasia;* S. C. C. in *s. Dionysii seu Reunionis - Translationis - Suspensionis diei 11 Decembris* ***1880*** §. *ult.*

Hisce praeiactis, proposita fuere dirimenda

Dubia.

An sit locus reintegrationi in Paroeciam s. ***Georgii*** *maioris favore hebdomadariorum in casu.*

Et quatenus negative

An et in qua summa annuendum sit precibus ***orato-*** *rum in casu.*

RESOLUTIO. Sacra Concilii Congreg, re cognita, sub die 6 Augusti 1881 respondere censuit:

Ad I *Negative et amplius*

Ad II *Negatire in omnibus et amplius.*

Ex **QUIBUS COLLIGES**

I Quod semel placuit amplius displicere non posse ***ex reg.*** *21 de reg. iur. in* ***6:*** ideoque conventiones et pacta inita suam habent firmitatem et custodiri debent; praecipue si mutatio voluntatis vergeret in alterius partis praeiudicium.

II Sententia, quae transivit in rem iudicatam, dum quomodolibet retractari nequit, parit exceptionem litis finitae, pro veritate habetur, reiicitque omnem probationem in con-

trarium ; ita ut qui agere vellet repelli queat ex non iure actoris.

III Ex iure et DD. erui curam animarum habitualem residere penes illum, cui, paroecia vacante, inest ius deputandi oeconomum vel vicarium, ab Ordinario approbandum.

IV. Ordines Religiosos vi laicae potestatis suppressos, reprobante ecclesiastica auctoritate, iure existere et privilegiis cunctis frui retinendum esse.

V Eum, qui agit ad repetenda damna, primum evincere debere uti certum, commodum et lucrum quod amisisse quaeritur; praeterea amissionem ex eius facto derivare, a quo indemnitatem-petit.

VI Damnum haud intulisse dici, qui facit aut omittit, quod facere aut omittere ius habet ; et ideo nulla querela damni adest, etsi ex hoc alteri damnum obvenerit.

VII In themate cessionem paroeciae favore piorum Operariorum plene factam et re iudicata roboratam fuisse; ita ut cura habitualis et actualis maneat apud eosdem, qui oppressi vi materiali adhuc iure vivunt, suetisque privilegiis fruuntur ; quique ad damnorum compensationem haud obstringuntur, quia nemini iniuriam irrogarunt sibi vindicando euram animarum penes tribunalia civilia.

PRIVATIONIS PAROECIAE

Die IO Septembris 488Í.

COMPENDIUM FACTI. Archiepiscopo M. suam Dioecesim primo petenti innotuit, ex publica fama, Philippum Archipresbyterum oppidi F. inhonestam ducere vitam cum famula. Ex investigatione vero secreta comperiit, Philippum, proh scandalum ! publice vocari patrem quorumdam famulae filiorum. Etsi res ita processissent, tamen officia patris adhibuit Prae-

sui, ut ad bonam frugem, suasione, reduceret Philippum. His in irritum cessis, cumque scandalum in dies cresceret, praefixit terminum ad arcendam famulam, interminata suspensionis poena ab exercitio et administratione paroeciae. Initio paruit Archipresbyter, et mulierem cum filiis dimisit; sed mense Octobris, sub vindemiae praetextu, mulier in suum praediolum rediit ; et Archipresbyter nedum eam invisit, sed in suam domum reduxit. Archiepiscopus ut rescivit, Archipresbyterum turpem consuetudinem continuare, sub die 29 Novem. 1879 comminatae suspensionis decretum tulit.

Illico ad s. C. O. Philippus appellationem interposuit, sed incassum : quandoquidem s. O. O. audita relatione et informatione Archiepiscopi, perpensisque rationum momentis a conquerente adductis, die 1 Maii 1880 censuit rescribendum: *« Decretum Archiepiscopale diei 29 Novembris 1879 esse confirmandum. Idque notificetur eidem Archiepiscopo, qui constito de perseverantia Parochi in nequitia, procedat ad ulteriora ad formam Concilii Tridentini in cap. 6 sess. 21 de Re for mat.*

Huiusmodi rescriptum ab Archiepiscopo die 4 Iunii 1880 notificatum fuit Archipresbytero, qui visus est resipiscere: famulam namque cum filiis iterum dimisit, quae suum domicilium in civitate M. fixit.

Paucis elapsis mensibus, ac praecise mense Octobri sequenti, famula rursus, sub praetextu vindemiae, simul cum natis oppidum F. contendit atque cum Archipresbytero cohabitavit. Tunc Archiepiscopo visum fuit, Philippum in turpi consuetudine perseverare: ideo iuxta praescriptum s. Congregationis processum conficiendum curavit a Vicario Foraneo. Quo formiter expleto, die 18 Februarii 1881 "hanc tulit sententiam: «Nos... potestate qua fungimur et etiam, prout in
» supra allato decreto s. C. Tridentini, tamquam Apostolicae
» sedis delegatus, sacerdotem Philippum, Archiepresbyterum
. » Curatum... nostrae dioecesis, eodem Archipresbyteratu
» curato dictae Parochiae perpetuo privamus, et quacumque

> appellatione remota (1) ad tramites sacrorum Canonum et
> sac. Concilii Tridentini praedicti privatum et. expoliatur.
» declaramus. »

Hac sententia Archipresbytero de more notificata, ipse ad s. C. C. appellationem interposuit, sententiam prouti iniustam incusans atque petens ut nullius valoris declararetur.

Disceptatio Synoptiea.

DEFENSIO PAROCHI. Duplici ex capite Parochus appellatam sententiam impetit, nempe ab extrinseco et ab intrinseco ; namque" sustinet sententiam esse nullam, tum quia solemnitates a iure praescriptae in processu minime observatae fuerunt; tum etiam quia nulla suberat causa ad iudicium adeo rigidum ferendum.

Et a primo capite exordiens ait : violatum fuisse *Cap- Accusator em Caus. 2 q. 8* in quo statuitur, ut accusator in accusatione, scripto exarata, se subscribat, eum in finem ut accusatus possit contra accusatorem excipere. In casu vero omnia clanculum facta fuisse subdit ; accusatio utique facta fuit, sed quis fuerit accusator, quaenam ipsius qualitates omuino reticitum est, ita ut ipse suas exceptiones minime afferre potuerit.

Pariter utriusque iuris dispositione testes in iudiciis produci debent, parte citata *Cap. 2 De test. Authent. De testibus § et lue. col. 7,* qui reo praesente interrogari atque examinari debent *leg. 15 Cod. de test,* quae etiam in iudicio criminali servari debere minime est ambigendum, ceu innuunt ea Tridentini verba *iuxta sacrorum canonum instituta;* quae omnia ad rectam iustitiae administrationem inducta, a Vicario foraneo spreta fuisse queritur, qui testes omnes au-

(1) Alias innuimus quomodo intelligenda sit dictio - *quacumque appellatione remota.* - Per hanc clausulam haud subtrahitur reo omnis defensionis ratio : sed conceditur eidem recursus ad s. Sedem ut emendetur gravamen, si iniustum fuerit. Sed recursus huiusmodi habet tantum effectum *devolutivum,* non *suspensivum :* ex quo fit ut executio decreti ab Episcopo lati non retardetur; quia decretum firmum manet donec ab Apostolica Sede annulletur.

di vit, quin ipse citatus esset. Quam irregularitatem minime sanatam fuisse, prosequitur, ex eo quod postea in curia testes acciti fuerint, nam tunc non fuerunt examinati, sed tantum ipsis exhibitum fuit examen subscribendum, quin cognoscerent quid in eo contentum esset.

Sed sententiam Curiae nedum ab extrinseco, sed etiam ab intrinseco infirmare nititur. Neminem profecto latere potest in iudiciis criminalibus, in quibus agitur de magno praeiudicio inferendo, ut est in themate, de privatione paroeciae, requiri probationem concludentissimám et ut loquitur *Cap. 11 de praesumption.* luce meridiana clariorem *Communis cum Bota in recent, p. 2 decis. 179 n. 3 p. 4 decis. II n. 11 Leg. ult. C. de probat,* ita ut ex praesumptionibus etiam vehementibus nemo in causis criminalibus sit damnandus.

Insuper canon est utriusque Iurisprudentiae quod iudex deferre non debeat privatae cognitioni aut extraiudicialibus informationibus, sed ipsi iudicandum iuxta acta et probata *L. Illicitas §§. Veritas De officio Praetoris et Canon si peccaverit caus. 2 n. 1* et fuse probat *Miglior ucci in suis Institut. Can. Dissertât, 1 tit. de probationibus.* Hinc nihili facienda esse edicit ea quae Archiepiscopus profert, privatis informationibus innixus, circa turpem relationem et cohabitationem ipsius cum famula mense Aprilis praeteriti anni in urbe M. ac ab eis confutandis abstinet.

Potius insistendum putat in facto cohabitationis cum famula in oppido F. mense Octobris, in quo totus versatur processus, atque substinet, assertam cohabitationem esse purum mendacium et calumniam, apprime elaboratam a suis adversariis et praesertim a Vicario foraneo. Ut vero se purget ab huiusmadi maculis in medium adducit duplex testimonium bonae famae, unum fere ab omnibus oppidanis subscriptum die 2 mensis Iulii 1880, in quo ad sidera eius pietas et religio efferuntur ; alterum primorum municipii diei 26 Octobris eiusdem anni, in quo signanter dicitur, Archipresbyterum suo functum fuisse ministerio, zelo in diem laudabiliori;

ex quo fit ut aestimatione et amore eum habitantes oppidi prosequantur.

Tandem omnino repulit calumniosam accusationem testimonio quatuor testium, qui iureiurando deposuerunt ; mense octobris 1880 reapse famulam petivisse oppidum F. vindemiae causa ; sed habitasse propriam domum, et numquam petiisse Archipresbyteri habitationem, sicuti Archipresbyter numquam adivit famulae domum, per totum vindemiae tempus. Ex testibus, in contrarium adductis, quatuor depositionem retractarunt, alii duo nullam merentur fidem ; quia alter est germanus notarii vicarii foranei, alter quia iuvenis perditissimae vitae. Ex hisce omnibus Archipresbyter, cum nemo damnari debeat nisi aut *convictus aut confessus,* concludit, sententiam Archiepiscopi contra ipsum latam, nullius valoris esse retinendam, tum ob non servatam iudiciorum formam, tum ex defectu causae, ob quam ipse damnatus fuit.

ARCHIEPISCOPI DEFENSIO. Archiepiscopus e contra in prolixa sua relatione contendit, omnia ad tramites iuris a se gesta fuisse, nec nullilatis vitio ullo pacto laborare. Praemisso quod Archipresbyter privationem paroeciae meritus esset, ob plures causas, nempe quia bona ecclesiae absque apostolico beneplacito emerit ; alia ad novennium contra canones arbitrarie locaverit ; nihil favore suae ecclesiae expenderit, ita ut neque supellectiles necessarias habeat ac muros et altaria omnino squallentia exhibeat ; atque haec magis improbanda quod ipse plures legatorum reditus exegerit ac debitor maneat, dum indecora fama volat, ipsum hasce summas investire favore filiarum famulae suae. Hisce praemissis rem propius aggreditur.

Ac primo observat post decretum s. Congregationis diei 1 Maii archipresbyterum contendisse civitatem M. in domo famulae habitasse, ceu enarrat delegatus quidam *questurae,* cui onus datum fuerat hac super re invigilandi. Hic nempe testatus est, Archipresbyterum semper domum famulae adivisse, imo et filiam secum tulisse, ut aerem mutaret. Quod

vero attinet ad suam cohabitationem cum eadem femina mense octobris 1880, id testes optimae famae deposuerunt.

Minime vero negotium facessere pergit Archiepiscopus, quod quatuor ex his testibus, in domo praesidis municipii, coram pluribus depositionem retractaverit ; nam cum retractatio sit extraiudicialis, nullo in pretio est habenda, ac uti vera retinenda est depositio, quam iurisiurandi interposita religione emiserunt. Insuper sunt pauperes, et a Syndico loci plura sperare possunt atque timere ; hinc mirum non esset, si coram hominibus archipresbytero faventibus, quod asseverant retractarunt. Demum ait, Syndicum ipsum eiusque fratrem iam fassos fuisse malos Archipresbyteri mores, nunc vero facti amici, ipsum pro viribus defendunt, quia Archipresbyter valde potens in oppido, nullum non admovit lapidem, ut ille Syndicus nominatus esset. Praeterea hic, cum Archipresbyteri consensu, quosdam fundos liberavit a canone, quem debebat Ecclesiae, quin ullam facultatem ab ecclesiastica auctoritate impetrarci.

Quoad alios duos testes primum notavit Praesul, quod Archipresbyter veluti improbos accusat eos, qui sibi non favent; neque alterius testimonium infirmari ex eo quod sit frater notarii Curiae foraneae. Testes vero in favorem archipresbyteri adductos, esse omnes suspectus atque audiri minime debere ; quandoquidem sunt omnes agris addicti et Archipresbytero aut eius famulae subiecti.

Prorsus veritati contrarium esse quod asseritur, processum nempe clanculum factum fuisse: namque absoluta inquisitione a Vicario foraneo, atque actis ad Curiam archiepiscopalem transmissis, omnia patefacta fuerunt defensori, eique facta facultas eadem communicandi archipresbytero; tum scripto tum viva voce defensio permissa fuit, omniaque alia peracta sunt quae sacri canones pro integritate iudiciorum exquirunt.

Nec testimonium oppidanorum et primorum municipii aliquid probare contendit favore Archipresbyteri, nam quomodo Syndicus eius amicus factus fuerit iam dictum est. Insuper nihil probat cum nihil contineat de famula eiusque filiis, ne-

que neget cohabitationem habitam mense Octobris. Quo vero ad testimonium oppidanorum, observandum, illud datum fuisse die Iulii secunda, nempe quando famula ab oppido discesserat, et antequam cohabitationem, quae sequenti Octobri locum habuit, cum Archipresbytero instauraret. Atque probe notandum, nullum ex eis qui huic testimonio subscripserunt, Curiam adivisse, ut in favorem Archipresbyteri attestationem faceret, forsan quia nemo coram Iudice negare potuisset, quod publicum atque notorium erat.

Hisce utrinque praenotatis, propositum fuit dirimendum

X> ubi um

An sententia Curiae archiepiscopalis M. diei 18 Februarii 1881 sit confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congreg. Concilii, re cognita, sub die **10** Septembris **1881** censuit esse respondendum :

Sententiam esse confirmandam et amplius.

Ex **QUIBUS COLLIGES:**

I Poenam privationis beneficii infligi non posse, nisi causa sit *gravis, notoria et servato iuris ordine :* ceu colligitur ex canone *Inventum 38 caus. 16 quaest. 7;* quo edicitur, quoad presbyterum, qui adeptus sit aliquam ecclesiam - *quam si iuste adeptus fuerit, hanc nonnisi gravi culpa sua, et coram Episcopo, canonica severitate, amittat* (1).

II Hinc ante privationis sententiam constare debet de delicto per probationem plenam, seu concedentem : quia ad ordinariam poenam procedi non potest, nisi contra legitime confessum vel convictum iuxta Card. De Luca *de Benef, disc. 75 n. 4.*

(1) Auctores solent distinguere con. •ttbinatum in *occultum* , *notorium* et *pene occultum* iuxta *cap. Vestra 7 eo-habit, eleric. et mulier.* Nulla quaestio de **occulto concubinatu, qui relinquitur imdicio Dei. *Notorius* esse potest notolistate iuris et facti. Pene occultus est quando non constat plene de fornicationis actibus, sed ex validis indiciis ii actus merito praesumuntur. Concubinatus pene occultus est fere solus casrçs practicus : quia raro plene probantur fornicationis actus et comprehenditur sub decreto Trid. Sess. 25 cap. 14.**

III Caveri ex *Trid. Sess. 25 cap.* **14,** clericos concubinarios prius esse monendos, inde suspendendos, et tandem si non resipiscant, a suis beneficiis perpetuo removendus. **(1)**

IV Hasce praescriptiones in themate adamussim servatas fuisse ex dictis patere : nam presbyter, cum suspicio de concubinatu nata est, monitus; quum turpem sequeretur consuetudinem suspensus ; cumque monitus et suspensus in nequitia perseveraret, beneficio parochiali expoliatus fuit.

(3) Quod etiam clarius exurgit ex *Cap. öonquerente 7. tit. 13. Hh. i.* « Conquerente nobis Eenaldo Clerico, *i)* accepimus quod ipsum Ecclesia de We» fort sine iudicio spoliasti. Quia vero » non decet honestatem tuam clericos » tuae iurisdictionis , sine manifesta » causa et rationabili , suis beneficiis » spoliare . . . . mandamus quatenus, *n* si ita est, praedicto clerico praefatam » ecclesiam cum reditibus , inde perce» ptis, restituas. »

DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE

Per Summaria Precum

Die ÍO Septembris i88i

COMPENDIUM FACTI. Franciscus B. in decimo octavo aeta~ tis anno constitutus, ecclesiasticae militiae nomen dare cupiens, tamquam alumnus in Dioecesano Seminario versatur. Cum tamen huic voto satisfacere haud valeat, ob defectum primae phalangis indicis laevae manus, quo irregularis fit, hinc sub die **16** Maii labentis anni, supplicem libellum Sacratissimo Principi obtulit, humiliter expostulans, ut dispensationis ope voti compos benigniter fieret. Ordinarius de more rogatus, auditis prius duobus caeremoniarum magistris, retulit : oratorem sufficienter explere posse, absque populi admiratione, omnes Missae actiones, bonisque praeditum esse moribus.

DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE

Disceptatio synoptiea

DISPENSATIO DENEGANDA VIDETUR. Neminem latet irregularitatem ex defectu corporis duplici de causa a ss. Canonibus inductam fuisse ; ob irreverentiam scilicet erga divina, si contingit ut sacra munera expleri rite nequeant; et ob populi admirationem, quae ex sacris caeremoniis minus rite absolutis, oriri potest, ad tradita per *text. in cap. 1, 2 et 6 de corp. vit. et Cap. Ex parte 5 de cleric.* Concinit Gonzalez in *Comment, ad tit. de corp. vitiat, cap. 2 num 7.* Cum igitur in themate argui posse videatur, quod orator singula sacra munera rite et absolute perficere nequit, quandoquidem caeremoniarum magistri ab Episcopo deputati referunt, dumtaxat illam valere praedictas actiones explere *sufficienter.* Hinc sponte sua fluere videtur, dispensationis veniam ab oratore imploratam, indulgendam haud esse. Eamque eo vel magis in casu denegari posse, cum non de promoto, sed de promovendo agatur, cui ex regula, a s. Congregatione recepta, valde difficilius dispensatio concedi solet, ceu videre est in *Pampilonen. 22 Novembris 1856, et in Patavina 27 Aprilis 1861 per Summaria precum* propositis.

DISPENSATIO CONCEDENDA VIDERETUR. Verumtamen ex alia parte, favore oratoris animadvertendum occurrit digiti defectum, quo ipse laborat, adeo gravem haud esse, ut ss. Canonum decreta, contra corpore vitiatos allata, in themate quoque aptari posse dicendum sit. Sane citata superius ss. Canonum decreta de iis corporis vitiis loquuntur, quae adeo gravia sunt, ut sacris peragendis impedimentum praebeant, et admirationem in populo suscitent. In themate vero ex magistrorum caeremoniarum testimonio neutrum contingere posse videtur.

Nec desunt exempla dispensationis in similibus, imo in durioribus casibus a s. C. C elargitae, uti prae aliis patet ex *Cameracen. 20 Ianuarii 1821,* in qua dispensatio concessa fuit clerico, qui anteriori parte pollicis sinistrae manus orbatus, dispensationem rogabat, ut ad ss. ordines pro-

moveri posset, et missam *cum digitali aureo vel argenteo* celebrare valeret ; item ex *Comen. 21 Febr. 1824,* ubi agebatur de eo, qui prima phalange indicis laevae manus carebat ; nec non *ex Ianuen. 6 Augusti 1825, et Apuana 27 Septembris 1860,* in quarum prima clericus integro sinistrae manus indice orbatus erat, et in altera orator ob digitorum medii, anularis et minimi adustionem, difficillime plures sacrificii caeremonias perficere valebat.

Hisce omnibus accedunt boni oratoris mores et utilitas ex ipsius ad ordines promotione Ecclesiae obventura, ex Ordinarii testimonio.

Rebus sic stantibus EE. PP. iudicio remissum fuit decernere, num implorata dispensationis gratia oratori concedenda esset.

RESOLUTIO. S. Congreg. Concilii die **10** Septembris **1881** respondit :

Pro gratia, arbitrio et conscientiae Episcopi, facto verbo eum SSmo.

RENUNTIATIONIS PAROECIAE

Die IO Septembris 1881.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Infirma valetudo, defectus earum rerum, quae ad vitam honeste ducendam requiruntur, nec non studiorum perficiendorum desiderium, causam Parocho praebuerunt Aemigdio nuncium mittendi parochiae suae. Addidit etiam se paratum esse nuncium mittere expensis omnibus, quas tum pro reaedificanda Parochiali domo, tum pro Ecclesia instauranda impenderat, quaeque summam libellarum **2000** adaequant. Cum autem Episcopus eius renuntiationem acceptare noluisset, recursum habuit ad s. Sedem. Prodatarius Apostolicus de informatione et voto Episcopum rogavit : qui

prius praemisit, se gravi affici dolore, quod Parochus adhuc aetate florens, concreditas sibi oves deserat nunc, cum vinea Domini operariis maxime indiget.

Deinde adiecit : Aemigdium promisisse suo praedecessore a quo facta fuerat facultas Romam adeundi, studiorum causa, se numquam paroeciam relicturum in posterum. Ideo sese opponere, prosequitur Praesul, huic paroeciae resignationi, utpote quae levibus sit innixa rationibus. Qua habita informatione, et voto Episcopi, Cardinalis Prodatarius eidem significavit : Sanctitatem Suam haud censuisse renuntiationem excipere. Paucis vero elapsis mensibus iterum Aemigdius petiit ut renuntiatio a s. Sede acceptaretur. Tunc SSmus Pater causam commisit diiudicandam s. C. Congregationi.

Disceptatio sywoptica.

EA QUAE ORATORI FAVENT. Certum in iure est, nedum causam requiri, eamque iustam et canonicam esse oportere, ut quis beneficium resignare valeat ; sed etiam eam renuntiationem fieri non posse, nisi in manibus Ordinarii, idest ipsius auctoritate, ut constat *ex Can. Non oportet 10, C. Siquis vero 29, C. Siquis 24 caus. 6 q. i,* et *C. Admonet 4 de beneficiis, quae renuntiari possunt, vel non.* Quod autem valet pro ceteris, beneficium aliquod habentibus, potiori iure applicari debet Parochis : resignatio enim Parochiae non permittitur, nisi gravissimis de causis, quibus Episcopatus, teste Parisio *lib. 5 q. 1 n. 2.* « In resignationibus > requiri caussam, est communis omnium Doctorum opinio». Haec vero causa oportet, ut adsit tam ex parte resignantis, quam ex parte acceptantis et non tantum ex parte resignantis, vel ex parte solius acceptantis. Causae autem, ex quibus aliquis renuntiare potest beneficio, etiam Parochiali, sex numerantur. Verum ceteris missis, quae ad rem nostram haud faciunt, quoad corporis debilitatem, in *Decretal, lib. 1 tit. de Renuntiat, art. 2* haec habentur : « Debilitas corporis, » quae vel ex infirmitate, vel ex senectute procedit, nec ta-

» men omnis, sed illa solummodo, per quam impotens red-
> ditur ad exsequendum officium pastorale : nam si pro quali-
» bet corporali debilitate susceptae servitutis officium posset
» deseri, frustra fateretur Apostolus in suis infirmitatibus
> gloriari etc. > Cui iuris dispositioni omnes Doctores adhaerentes, uno ore fatentur, corporis debilitatem causam constituere vere canonicam, ex qua ius tribuitur beneficiatis omnibus suscepto oneri renuntiandi.

Hisce in iure positis, cum in facto consistat ex medici attestatione parochum Aemigdium infirma corporis valetudine et quadam naturali ad phthisim dispositione laborare, renuntiatio ab ipso emissa a S. C. C. benigne excipienda et approbanda esse videretur.

Qua de re medicus concludit quod Parochus iste tenetur actuali paroeciae nuncium mittere, quia in eo loco omnia deficiunt quae ad valetudinem curandam necessaria sunt. Hisce addendum est desiderium, quo flagrai, explendi ac sese magis perficiendi in studiis, praesertim canonicis, quorum cognitio nisi praxis accedat, parum proficua, ne dicam fere inutilis evadit. Insuper Orator, ceu dictum fuit, omnibus renuntiat expensis pro extruenda domo parochiali, et pro restauranda Ecclesia peractis, quaeque circa bismille tangunt libellas.

EA QUAE ORATORI ADVERSANTUR. Verum ex altera parte Episcopus plura exhibet, ex quibus erui posse videtur, causas, ab oratore pro gratia impetranda S. **C. C.** adductas, haud veritati niti. Sane relate ad infirmam valetudinem, quae inter allatas causas potissima est, Episcopus in suis uteris informatoriis haec habet : E. Vestram certiorem reddere mei esse censui, Parochum haud infirma frui corporis constitutione, quae ad phthisim vergat, parentum defectu. Quinimo eius genitores prospera adhuc utuntur senectute; firmaque gaudent valetudine fratres et sorores eius, qui fortiter labori incumbunt. Nunc autem orator, fero devicto morbo, per quem maxima perculsorum pars correpta fuit, florida laetatur sanitate. Ex quibus adiunctis fit etiam, ait Episcopus, ut evanescat altera causa de impotentia ad obeunda onera paro-

chialia, ex defectu sumpta rerum quae ad honestam vivendi rationem requiruntur. Ipse enim Parochus ortus patre, agris addicto, tum penes eumdem tum in dioecesano Seminario receptus, simplici institutus fuit ratione, quae omnem respuit mollitiem. Reditus paroecialis beneficii ad vitam honeste degendam satis sunt: aer pene idem est ac ille in quo natus fuit : nam paroecia a domo paterna parum distat. Eius familia divitiis afïïuens et paroecianis proxima efficit, ut augeatur erga Parochum populi religiosi et frugi observantia.

Animadvertit etiam Ordinarius iam oratorem donatum fuisse laurea in s. theologia et in utroque iure et desiderium adhuc sese iii" studiis perficiendi haud legitimam constituere causam, qua liceat Paroeciam dimittere. Neque tandem consona esse veritati omnia quae parochus retulit quoad peractas expensas, beneficio ecclesiae reliquendas.

Hisce utrinque praenotatis, remissum fuit EE. PP. iudicio decernere, utrum expediret oratoris votis satisfieri.

RESOLUTIO. Sacra C. Congr. re cognita, sub die **10** Septembris **1881** censuit respondere : *Lectum.* **(1)**

(1) Etsi adsint iustae renuntiationis beneficii causae, quae reducuntur ad utilitatem Ecclesiae et salutem propriam, *cap. Quidem 12 de Besignat.* resignatio non perficitur nisi accedat auctoritas legitimi superioris. Qui perpendit an adducta causa sit idonea, quo casu solvit vinculum, quo renuntians cum sua Ecclesia coniungebatur. S. Pius V assignat causas, ob quas renunciatio recipi queat in *Constit, Quanta Ecclesiae.* §. 3 his verbis : « Posthac Epi» scopi et alii facultatem habentes eo» rum dumtaxat rennnciationis recipere » et admittere possint, qui aut senio » confecti, aut valetudinarii, aut cor» pore impediti vel vitiati, aut crimini j» obnoxii, censurisque ecclesiasticis ir» retiti, aut nequeant aut non debeant » Ecclesiae, vel beneficio inservire, seu » qui unum aliud, vel plura beneficia » obtinuerint, vel quos ad aliud conti» gerit promoveri. Eeligionem quoque » ingressuri vel matrimonium contra» cturi, si statim postea id reipsa exe» quantur...... qui etiam ob capitales » inimicitias nequeunt vel non audent » in loco beneficii residere securi......»

Nulla ex his assignatis causis reperta fuisse videtur in themate : quoniam EE. PP. recursum reiecerunt per formulam « *lectum* ». Iuxta s. C. Concilii formulae *lectum, reponatur, non expedire* subiectam habent conditionem in praesenti rerum statu. Saepe enim accidit ut, mutato rerum statu et iteratis precibus accedant documenta, et ordinarii informatio; quae omnia faciant ut iterum res proponi debeat et resolvi.

EX S. CONG. S. R. Ü. INQUISII

DECRETUM GENERALE (1)

qnoad benedictionem nuptialem

Feria IV die 31 Augusti 1881.

In Congregatione generali S. R. et Universalis Inquisitionis habita coram Emis ac Rmis DD. S. R. E. Cardinalibus in rebus fidei inquisitoribus generalibus, praehabito voto DD. Consultorum iidem Emi ac Rmi DD. decreverunt:

Benedictionem nuptialem, quam exhibet missale romanum in ***Missa pro sponso et sponsa,*** semper impertiendam esse in matrimoniis catholicorum, infra tamen Missae celebrationem, iuxta rubricas, et extra tempus feriatum, omnibus illis coniugibus, qui eam in contrahendo matrimonio, quacumque ex causa non obtinuerint; etiamsi petant post quam diu iam in matrimonio vixerint, dummodo mulier, si vidua, benedictionem ipsam in aliis nuptiis non acceperit.

Insuper hortandos esse eosdem coniuges catholicos, qui benedictionem sui matrimonii non obtinuerunt, ut eam primo quoque tempore petant. Significandum vero illis, maxime si neophyti sint, vel ante conversionem ab haeresi valide contraxerint; benedictionem ipsam ad ritum et solemnitatem, non vero ad substantiam et validitatem pertinere coniugii.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

gg **FR**. VINCENTIUS LEO SALLUA

ARCHIEPISCOPUS CHALCEDONENSIS

s. R. ET UNIVERSALIS INQUISITIONIS COMMISSARIUS GENERALIS

IUVENALIS PELAMI

«S. Romanae et Universalis Inquisitionis Notarius.

(1) De mandato R. P. D. Commissarii generalis, ceu alias, edimns decretum hoc.

EX SACRA RITUUM CONGREGATIONE

SULMONEN.
IURIS EXTOLLENDI CRUCEM

Diebus 15 Martii 1881 et 14 Martii 1882.

COMPENDIUM FACTI. Sulmonenses cives, a saeculo decimo-tertio, ornatum picturis et marmoreis decorationibus aedificarunt templum in honorem Mariae ab Angelo salutatae. Et ita suos thesauros et omnem operam cives diligentes decorem domus Genitricis Dei impenclerunt, ut iam ab eodem saeculo decimo tertio Cardinalis Legatus idoneos deputaverit administratores, ob redituum abundantiam, propter pia legata et eleemosynarum subsidia, elargita a fidelibus, qui ad ipsam confluebant et confluunt. Episcopi pluries in anno consueverunt sacras peragere functiones in hoc Templo, in quo Adventus et Quadragesimae sermones habentur ; quodque aptum est magno Christifidelium numero illius civitatis. Et ideo templum istud, si non de iure, saltem de facto Cathedralis ecclesia dici potest. Et sicut perantiqua huius templi origo, sic pervetusta est existentia Collegii ecclesiastici quod nunc constituitur a decem et octo Cappellanis, qui, honoris gratia, canonici dicuntur. Isti proprium habent rectorem, quem uti Collegiatae caput agnoscunt, et peculiaribus reguntur statutis. Ecclesia haec officiatur ceu Collegiata ecclesia; dum capitulares quotidie interesse debeant choro pro integro officio et pro Missa solemni. Quapropter clerus hic, ut ab alio civitatis clero distingueretur iam ab anno 1790 insignibus et ornamentis cohonestatus fuit. Quae porro exteriora decoris indumenta Archiepiscopus Reginus concedebat, ex Apostolico beneplacito. Docuit ergo ut Colle-

giata haec, suae antiquitatis gratia, constanter praecedentia perfrueretur prae alia Collegiata, quae ibi existit.

Princeps autem huius Ecclesiae praerogativa in hoc posita esse videtur, ut eius Clerus in omnibus processionibus et ipsis cadaverum associationibus ius habeat gestandi, extollendique propriam crucem, ex immemorabili consuetudine. Quae consuetudo usque ab anno 1722 fuit confirmata per decretum Auditoris camerae Apostolicae, a Pontifice delegati, per haec verba « . . . . definitive sententiamus, Ecclesiam « sanctissimae Annuntiationis Sulmonis fuisse et esse in quieta « et pacifica possessione erigendi crucem in quibuscumque « processionibus de praecepto et solemnioribus , ac de con- « suetudine loci, atque etiam in associatione cadaverum, « omnesque clericos , atque presbyteros cappellanos inser- « vientes dictae Ecclesiae per se tantummodo sub dicta cruce « procedere, exclusis quibuscumque aliis extraneis . . . . » Quae sententia tamen praecipit ut de consensu Rectoris et Gubernatorum s. Domus clerici externi invitari possint, servando gradum et ordinem Ecclesiae Annuntiationis, *sub cuius cruce procedunt.*

Paucis ab hac sententia dilapsis annis, quidam pervicaces, nullo ducti iure, conati sunt huiusmodi ordinem intervertere, aliasque innovationes adversus antiquissimam consuetudinem introducere. Ast Clerus recurrens ad ipsum Auditorem Apostolicae Camerae, hic novatorum attentata poenis gravissimis coercuit, et prohibuit ne aliquid pararetur contra rem iudicatam. Ab hoc tempore usque ad nos, seu per centum et quadraginta annos , iugi constantique observantia, Collegiata ss. Annuntiationis in funerum associationibus gesta vit extulitque crucem. De qua consuetudine testimonium perhibent Canonici Cathedralis , Parochi civitatis aliique religione, nobilitate, publicisque muneribus viri commendabiles: qui omnes in aetate supra annum 54 constituti, se idem semper vidisse et ita accepisse a maioribus testantur.

Verumtamen contra huiusmodi factum, immemorabili

consuetudine suffultum, exurrexit Parochus Ecclesiae ss. Petri Apostoli et Silvestri Papae in civitate Sulmonis. Qui, suffragante Episcopo, et reticendo immemorabilem consuetudinem, decretumque Auditoris apostolici, a S. C. Rituum, sub die 16 Ianuarii 1880 favorabile obtinuit rescriptum; quo Clero ss. Annuntiationis denegatum fuit ius deferendi in cadaverum associatione crucem, a parochiali distinctam. Episcopus his, quae adduxit Parochus ad favorabile obtinendum decretum, adiecit Delegatum apostolicum non fuisse competentem in diiudicanda quaestione ss. Rituum.

Clerus ss. Annuntiationis , hoc inopinato perculsus decreto, reclamavit coram s. R. Congregatione, ne sibi auferentur iura et privilegia a s. Sede confirmata.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO CLERI ECCLESIAE SS. ANNUNTIATIONIS. Quum nonnulla praemiserit orator quoad controversiae statum, duo sibi esse revincenda proposuit: videlicet clerum ss. Annuntiationis iustum habere titulum, ex immemorabili consuetudine, deferendi crucem in funerum associationibus; et hoc ius maxime observari, ductis exemplis in casibus liturgicis et coeremonialibus.

Maximae efficaciae esse etiam simplicem consuetudinem nemo ambigit, cum ipso in textu R. Pontifex Honorius III in *cap. 9 de consuetud,* non esse immutandas consuetudines iusserit, *cum consuetudinis ususque longaevi non sit levis auctoritas.* Consuetudo autem immemorabilis omnibus titulis ita abundat, nt favore eiusdem omne privilegium, Apostolicum beneplacitum, et omne ius ex omni privilegiato titulo constituatur ; Smalzgrueber *Ius eccles, univ. par. 1. tit. 4* n. 31 *quaest. 5.* « Quae sit vis et effectus « consuetudinis immemorialis? Veteres iurisconsulti cum € *Innoc, in cap. 13 de iudic. num.* 5, pro regula tra« dunt, consuetudine immemorabili acquiri posse omnia illa, « quae privilegio et indulto principis acquiri possunt. Ra-

« tionem dant, quia consuetudo, cuius initii non extat me-
« moria, aequiparatur privilegio, habeturque loco tituli, le-
« gitime constituti et probati; ita ut concesso vel probato
« temporis immemorialis lapsu, melior titulus allegari ne-
« queat; hinc clausula prohibente, vel irritante consuetu-
« dinem contrariam, ipsa non comprehenditur; ut pluribus aliis
« citat, advertit Layman *leg. ltr. 4 n. 7.* » Non absimiliter Reiffenstuel *lib. 2 Decret, tit. 4 de consuetud.* § *8. n. Î89.*

Iam vero ista immemorabilis consuetudo extollendi crucem favore cleri ss. Annuntiationis non modo adhuc perdurat, sed etiam Auditor Camerae Apostolicae, iam ferme duobus praeterlapsis saeculis, decidendi rationem constituebat in praeexistenti consuetudine, cuius initium cognitum non erat, aiens : *in antiqua semperque servata consuetudine.* Et observare idem Auditor iussit sub severis censuris praecitatum decretum, *ac dictam antiquissimam consuetudinem* in omnibus et per omnia. Hinc iudex ille immemorabili consuetudini, cui etiam suffragatur spatium 158 annorum, quot nempe decurrunt ab anno 1722, innixus est ; non vero alicui Bullae, pacto aut conventioni, quae restrictiva aut contorta interpretatione intelligi posset. Quod omnino in themate ponderandum est, cum antiquissima observantia omnes effrenatiores titulos, quicumque specialissimi excogitari valent, ex omnium iurisconsultorum suffragio et Tribunalium praxi, sibi potissimum vindicet, omnibusque exceptionibus triumphet.

Et sane practici doctores et tribunalia theoreticas doctrinas ita in hisce et similibus casibus applicant; Card. De Luca *de Benef. disc. 32 n. 2.* Quae principia applicavit s. Rota *decis. 962 cor. Motines, decis. 230 cor. Marco n. 7* « ibi » *Profecto sola immemorabilis observantia quemcumque meliorem titulum, et principis quoque supremi beneplacitum secumfert.* S. C. Concilii agnovit efficaciam consuetudinis immemorialis in una *Sancti Severini vocis in capitulo, 14* Augusti 1824; in *Regien. Beneficii^* Ianuarii 1861, Riganti in *Reg. Cancel.* ***1.****1. ad reg. 2%. 3 n. 139.*

Requisitae a forensibus qualitates et conditiones, ad effectum completae probationis, ex testimonio testium et publicae notorietatis, in themate adsunt. Testes adducti necessariam habent aetatem quinquaginta quatuor annorum, autumant audivisse a maioribus , et concludunt quod numquam aliud in contrarium gestum, visum, vel auditum fuerit. Pondus his testimoniis adiungit depositio sex parochorum Sulmonis, qui interesse haberent ut propria iura defenderent : hi enim sub vinculo praestandi iuramenti'contestan tur Clerum ss. Annuntiationis, semper extulisse propriam crucem.

Cumulum probationum perficit res iudicata Auditoris Camerae; qui, nullam mentionem faciens de initio, posuit rationem decidendi in antiquissima consuetudine, sicut in antiquis documentis. Si ergo illa cum sequiori immemorabili coniungatur, praesto est *res iudicata* in ipso titulo, quae pro veritate est cognoscenda, paritque exceptionem *litis finitae;* Pitonius *disc, eccles. 41 p. 4 n. 3.* « Ea consue-
« tudo quae canonizata reperitur per rem iudicatam, facit
« statum et habet vim legis in futurum; ita ut vanitas
« videatur, post tot saecula, convertere validitatem constitu-
« tionum capitularium. » In themate nedum vanitas , sed summa iniuria confirmaretur, si clerus ss. Annuntiationis, suffultus immemorabili consuetudine, despoliaretur pacifica possessione extollendi propriam crucem.

Animadvertit tandem orator quod apud Liturgistas regula de unica adhibenda cruce patitur exceptiones, quae confirmantur decisionibus et exemplis. Et ideo auctores versati circa praxim liturgicam, et ss. caeremoniarum innituntur principiis iuris communis in adstruenda et vindicanda consuetudine immemorabili; praesertim in casu ubi Rituale, in titulo de exe* quiarum ordine, nec unicam statuerit *taxative* Crucem, nec ullam positivam prohibitionem adiecerit. Hinc servandi sunt ritus generatim praescripti, sed insuper immemorabiles consuetudines sunt custodiendae : *salva semper,* ait Baruffaldus ad *Mit. rom. tit. 36 n. 1 aliquorum locorum consuetudo, quae in materia funerum multum operatur;* De Herdt *s. Li-*

turgide praxis, De consuetudine contra rubricas n. ***2*** pro adstruenda in materia rubricarum legitima consuetudine, praenotat decreta s. Kit. Cong. exigere *consuetudinem immemorabilem;* simulque exigere ut consuetudo non aperte repugnet rubricis Missalis , coeremonialis Episcoporum, Ritualis Romani , vel etiam decretis generalibus appositis in Missali et Breviario Romano; et ideo s. R. C. laudabiles non substulit Ecclesiarum consuetudines.

Hinc auctores de his quaestionibus pertractantes retinent, statuta particularia Ecclesiarum, habentium proprios ritus, cessare facere legem generalem et dispositionem coeremonialis; *Piton, disc. 45 n.* i. Et Scarfant. *Lucub. canon, tom. 1. tit. 4.* cum praemiserit in rebus Ritualis et coeremonialis Romani totum pendere ab observantia, recolit n. 15 « Quod si consuetudo adversaretur dispositis per coe-« remoniale romanum . . . .attamen si adesset immemorabilis « seu centenaria, illa attendenda foret, cum per idem coe-« remoniale virtus immemorabilis seu centenariae sublata « non intelligatur, sed tantummodo consuetudines minoris « temporis praesidio vallatae. » *Pignatel. Consult. 18 n. 12 et 13.*

Quando adest observantia immemorabilis, exemplis constat, plures extolli cruces in associandis cadaveribus ; Ferrari v. *Crux n. 17.* Pignatell. t. 6 consult. 58 n. 15 habet: « Quod licet Capitulum cathedrale habeat pro se regulam, « quod, quando funeri intervenit, debeant omnes incedere « sub unica eiusdem cruce ; id tamen non procedit in iis « locis, in quibus adest consuetudo in contrarium, quae sit « in viridi observantia.... » Unde in duplicitate Crucis non rumpitur nervus ecclesiasticae disciplinae, nec huiusmodi mos veluti corruptela est habendus. Sacra Cong. Concilii duplicitatem crucis admisit in *Papien. Praecedentiae et iuris deferendi crucem* 14 Augusti 1880 (1). Fastigium

(1) Habes huiusmodi quaestionsm Vol. XIV pag. 136; recole etiam quae diximus in nota pag. 142 eiusdem causae, Adeas, adprecor, Vol. I. pag. 582 ub' est relata *Isclana Iurium et privilegiorum* 25 Iunii 1864.

ponit hisce omnibus s. Rota in *decis. 545, Troiana delationis Crucis, super bono iure.* Canonici Collegiatae praetendebant impedire- Regularibus dicti loci ne occasione funerum, quoties Capitulum in illis interveniret, propriam crucem extollerent. Re ad iudicium delata, in decisione s. Rotae dictum fuit. « Quamvis enim ex decretis ss. Con-
« gregatiònum, in processionibus funerum omnes procedere
« debeant sub unica tantum cruce illius Ecclesiae, ad quam
« cadaver tumulandum defertur; et interveniente Capitulo
« vel Cathedralis, vel Collegiatae, etiamsi cadaver alibi
« deferatur, dum Crux capituli dumtaxat elevari possit, sub
<< qua omnes incedere debeant, *nihilominus praedicta locum*
« non habent, quoties adsit consuetudo immemorabilis in
*« contrarium*______» Immemorabilis consuetudo per decrßta s. Rituum Congregationis nom-tollitur : « cum enim similia
€ decreta immemoràbili non derogent, quoties de illa expressa
« mentio facta non fuit. Quapropter concludebat orator; cum<• factum consuetudinis, a saeculis confirmatum, *reiudicatâ* sancitum, et innumeris testibus contestatum sit, vigere debet immemorabilis observantiae dispositio.

Inter corruptelas amandandam esse observantiam huiusmodi, neque Canonistae sinunt, neque ipse Apostolicae Camerae Auditor, qui nomine Papae decrevit, Clerum ss. Annuntiationis manutenendum esse *in pacifica possessione erigendi propriam Crucem in omnibus processionibus de consuetudine loci, ac etiam in associatione cadaverum.*

DEFENSIO PAROCHI. Indolem describens orator Cleri ss. Annuntiationis ait : laicos administratores ab initio exercuisse etiam ius nominandi Ecclesiae Rectorem, salvo iure Episcopi hunc instituendi in officio. Dein, anno nempe 1689 inita fuit concordia, qua Episcopis pro tempore reservatum fuit ius approbandi, et confirmandi Cappellanos et canonice instituendi rectorem. Anno vero 1752 omnem reiecerunt episcopalem,iurisdictionem ; ita ut presbyteri huius Ecclesiae omnino ab Episcopi iurisdictione fuerint subtracti. Et omnes cappellani amovibiles sunt ad nutum administratorum, absque

ulla auctoritatis ecclesiasticae interventione. In praesentiarum vero in actu possessionis quisquis horum cappellanorum, iureiurando adpromittit fidem et obedientiam Italiae regi, nec non observare statutum et leges status, respiciendo uti finem unicum, regis et patriae italicae bonum. Praeterea eius statuta a clero concinnata, ab auctoritate regia tantum approbata fuerunt.

Quis sanus diceret, ait defensor, hunc clerum constituere collegium, aut ecclesiasticam communitatem ? Numquam ab ipsa Ecclesiae erectione ipsi sacerdotes Ecclesiam collegialem, receptitiam, aut quamlibet ecclesiasticam communitatem constituerunt ; ita ut dici tantum possint simplices presbyteri mercenarii Hospitio et Ecclesiae ss. Annuntiationis inservientes. Tales ergo sunt, qui sibi omnino nequeant arrogare ecclesiastica iura aut privilegia.

Neminem contra latet, Parochum, privative quoad omnes, circa sacramentorum administrationem, exactionem oblationum, funeralium et omnium actuum et iurium parochialium exercitium, fundatam habere intentionem in iure, non tantum in Ecclesia parochiali, verum etiam inter totius paroeciae fines ; *cap. Dilectus filius de Capel. Monach, cap. 2 ut dominicis de Parochis.* Opinio autem communis doctorum est, quod parochus in funebri processione praecedere semper omnibus debeat; et ab eo privative exercendi sunt omnes actus iurisdictionales , qui ob eamdem occasionem explentur, sive in domo defuncti, sive per viam, sive intra ecclesiam paroecialem ; ceu resolvit s. C. Rituum in *Aversana 15 Sept. 1640,* et ceu refert Amortazo *de causis piis lib. 6. cap. 2 n. 23,* et Card. De Luca *Lib. de praem. disc. 21 n. 5,* Monacelli *tit. 13 formula 1. n. 70.* Qua de re ad parochum spectat stolam deferre in funebri processione, in signum parochialis officii et iurisdictionis, ceu habet Rota- in *Nullius, seu montis Cassinen. manutentionis, super delatione stolae 22 iunii 1714. § merito cor-Ansaldo ; Trident. Sess. 24 cap. 13 de ref. qui eas cognoscere valeat et a quo solo licite sacramenta susci-*

piani etc. Quamobrem, cum officium funeris et administratio sacramentorum sint ad invicem connexa et, ex pastorali officio, debeantur morituro atque defuncto ; hinc sub parochi dumtaxat iurisdictione est, atque ad ipsum spectat ius peragendi funeris officium. Ast quid iuris, quoad delationem crucis in funebribus processionibus ? Plures ne cruces extolli possunt? minime sane: in funeribus unica crux deferenda est illius Ecclesiae, ad quam defertur cadaver; post quam debent incedere immediate personae Ecclesiae illius. . . . . s, C. R, *30 7bris 1614, 22* Novem. 1631 ; Ferraris *v. Cruce,* Pignatell. *tom. 8 consult. 83 n. 175.* Et ideo etiamsi Capitulum Ecclesiae cathedralis, accersitum sit ad funus conficiendum in aliqua parochia, parochus, iuxta Doctores magnae notae, debet illi praecedere; quia cum facit actum ad proprium suum officium pertinentem, nihil relevat quod alter sit maior, Gratianus *tom, 1 discept. 106 n. £.*

Quod autem unica crux deferenda sit in associationibus funeribus ipsum Rituale romanum praescribit : « Parochus « induto superpelliceo et stola nigra, vel etiam pluviali eius- « dem coloris , clerico praeferente Crucem . . . .» G-ardellini n. 4468 in *Alatrina* adnotat, innumera esse in collectione decreta, quae iubent in funeribus unicam crucem esse elevandam tumulantis Ecclesiae.

Quod autem nullum competat ius clero ss. Annuntiationis extollendi crucem in associationibus funebribus, erui potest ex indole ipsius. Nam nullam efformat ille collegiatam, ecclesiam receptitiam, aut ecclesiasticam communitatem: sed, uti dictum est, sunt sacerdotes mercenarii, ad nutum et sine causa amovibiles, a laicis administratoribus omnino dependentes. Quum hi presbyteri haud efforment corpus collegiale, deest qualitas actoris, cui iudicium innititur, et eius instantia reiicienda est.

At admisso quod presbyteri illi assurgere possint contra decretum a s. C. R. 16 Ianuarii 1880, favore Parochi latum ex quatuor tantum fontibus sua possunt trahere argumenta, nempe a *praescriptione,* a *consuetudine,* a *privilegio* vel a

declaratoria Protonotarii. Atqui nullum ius competere potest praetenso clero ex enunciatis fontibus. Non a *praescriptione;* quia iura parochialia praescribi nequeunt. Praeter *caput i quaest. 1 casus 23 alterius nullus parochiae terminos aut ius invadat,* fortius id tenendum est post Constit. Urbani VIII *Romanus Pontifex,* qua cautum fuit omnia quaecumque et qualiacumque *iurisdictioni, immunitati,* ac *libertati ecclesiasticae., quomodolibetpraeiudicialia* non modo *nulla et invalida* declarari, sed et nullum praeiudicium eisdem inferre posse ex quocumque *temporis cursu;* ita ut in posterum illa neque in iudicio, neque extra iudicium allegari possint. Hinc ex ipsa iuris resistentia impedita remanet praescriptio.

Non a *consuetudine:* quia haec non inducitur nisi a communitate ; dum in themate agitur de personis privatis, quae contra parochorum iura, contra communem legem, ab omnibus observatam, insurgunt; hinc nulla datur consuetudo in themate. Ast fìat absurda hypothesis quod hic habeatur consuetudo : est ne attendenda ? minime sane : Reiffenstuel *lib. i tit. 4 n. 59.* « Consuetudo quae obviât sacris institutis > a patribus decretis et abusum introducit contra disci- » plinam Ecclesiae , non sustinetur. » Quae consuetudo si adesset nullius valoris declaranda foret, utpote contraria etiam Tridentini decretis.

Neque adversarii possunt effugium habere in consuetudine immemorabili ; quia difficilis est probationis consuetudo haec, cui resistit ius commune : et quia nulla admittitur consuetudo immemorabilis contra Ritualis Romani praescriptiones. Id eruitur etiam ex Concilio Romano coadunato anno 1725; titulo 15 ait Pontifex^ «Quamobrem districte prae- » cipimus, ut contraria omnia, quae in Ecclesiis.... contra » praescriptum pontificalis romani et caeremonialis Episco- » porum, vel rubricas missalis, breviarii et rituali irrepsisse » compererint, detestabiles tamquam abusus et corruptelas » prohibeant, et omnino studeant removere, quavis non obstan- > te interposita appellatione, vel *immemorabili* allegata cow-

» *suetudine.* » Insuper nuperrimum decretum s. C. Rituum *Abellinen,* n. 5352 optime interpretatur et -demonstrat legem Benedictinam superallatam. In themate nullam dari immemorialem consuetudinem, ex adversariorum confessione colligitur; quia consuetudo extollendi crucem orta esset ex privilegio concesso anno 1722; et ideo non est immemorialis.

Neque ex *privilegio :* nam privilegium cum sit odiosum, ostendendum et exhibendum est ; et adversarii asserunt hoc habere privilegium, sed reapse non habent. Nulla enim adest Apostolica littera , sive sub plumbo, sive in forma Brevis lata , quae concedat presbyteris ss. Annuntiationis facultatem extollendi crucem in funebribus associationibus. Et eius data deberet esse posterior lege generali, sancita in concilio romano anno 1725, quae expresse declaravit detestabiles abusus et corruptelas actus illos , qui irrepsissent contra praescriptiones ritualis.

Neque *ex declaratoria* Protonotarii competere potest adversariis ius extollendi crucem. Lis enim agitata est inter capitulum Ecclesiae cathedralis et presbyteros adversarios super praeeminentia, seu iure praecedendi in processionibus, tam solemnioribus « quam minus solemnibus, seu particula-
» ribus, aut ex consuetudine locali solitis et consuetis... » Et super his declaravit Protonotarius, Ecclesiam ss. Annuntiationis « esse in quieta et pacifica possessione erigendi cru-
» cem in quibuscumque processionibus de praecepto, et so-
» lemnioribus, ac de consuetudine loci, ac etiam in associa-
» tione cadaverum.... » Imprimis animadvertimus non agi de sententia s. Rotae, aut aliarum ss. Congregationum, nomine Pontificis edita, sed de Protonotarii declaratoria, de cuius authenticitate dubitari potest, quia nullo loco reperta fuit. Editam fuisse animadvertimus in controversia inter capitulum et presbyteros adversarios ; nunc autem quaestionem esse cum parochis, qui adsistentiam iuris habent, et proinde exigunt ut iura, sibi concessa a lege, sarta tectaque serventur.

Praeterea Protonotarius suam emisit declarationem in

possessorio; quae declaratio possessoria, iuri subordinata intelligi debet; dum Protonotarius ignorare nequivit praescriptiones ritualis romani, quas Paulus V.inviolate observari mandavit, nec non s. Rituum Cong. resolutiones. Hinc istius declaratoria possessionis eo sensu accipienda est, quatenus nempe illi sacerdotes eûbrmarent ecclesiasticam congregationem, quae soleret extollere crucem cum a propria Ecclesia sese duceret in Cathedralem aut in Parochiam, associandi causa defunctorum corpora, vel post associationem ad propriam ecclesiam redirent. Sed non declaravit esse in possessione extollendi crucem, quatenus ipsa ecclesia ss. Annuntiationis esset tumulans. Ideo in declaratoria Protonotarii subintelligitur clausula, esse *in quieta possessione* pro iis casibus, in quibus rubrica, rituale, verbo, lex non obstaret.

Hisce hinc inde praemissis, propositum fuit enodandum sequens

Dubium

An clero Ecclesiae sanctissimae Annuntiationis in civitate Sulmonensi^ competat ius extollendi Crucem in associationibus funebribus in casu.

RESOLUTIO. Sacra Rituum. Congr. sub die **15** Martii **1881,** omnibus accurato examine perpensis, sic decernere rata est : *Affirmative et ad mentem.*

CAUSAE PROSECUTIO. Parochus Ecclesiae ss. Petri Apostoli et Silvestri Papae se gravatum reputans **a** decreto s. C. Rituum, apud eamdem Congregationem , interposuit appellationem , expetens ut prolatum iudicium, visis noviter adductis, reformaret. Iterum ergo causa haec discussa fuit sub dubitandi formula - *An sit standum vel recedendum **a** decisis.*

Attamen expensis rationibus, hinc inde allatis, sub die **14** Martii **1882,** eadem s. C. Rituum respondere censuit: *In decisis et amplius.*

Ex **QUIBUS COLLIGES :**

I Ex iure certum esse in funeribus unicam crucem esse elevandam tumulantis Ecclesiae, seu tantum esse deferendam crucem illius Ecclesiae, ad quam funus deducitur.

II Innumeras proinde esse resolutiones s. Rituum Congregationis, quae unicam praescribunt esse deferendam Crucem in funeribus ducendis ; ast quamplurimae, ex istis resolutionibus, praecipiunt consuetudines immemorabiles esse servandas. (1).

III Saepe enim in re liturgica sacrisque caeremoniis , non ex iure communi quaestiones definiuntur, sed ex limitationibus, pactis et observantia ; eoquod Decretum Urbis et Orbis 1703, quo triginta tria dubia resolvuntur, adiecerit: *salvis consuetudinibus immemorabilibus , vel saltem centenariis.*

IV Ecclesiam ss. Annuntiationis pollere requisitis, quibus, interveniente beneplacito Apostolico, fieri posset veri nominis Collegiata : eius enim clerus collegium efformat, seu ecclesiasticam congregationem , cuius caput seu rector et reliqui sacerdotes approbatione confirmantur, et ideo fit collegium ecclesiasticum, capax ferendi crucem.

V Quum praesens sit quaestio facti, haud erat resolvenda abstractis theoriis., sed authenticis documentis, quibus evinci posset, consuetudinem deferendi crucem, favore cleri ss. Annuntiationis, fuisse immemorabilem.

VI Immemorabilis consuetudinis eam esse vim, ut suppleat iustum titulum, quo melior allegari nequeat; quique sufficiat in iis, quae sunt contra ius, eiusque resistentiam habet ; eoquod clausula revocatoria, *non obstante quacum-*

(1) Ritualis Romanus in capite *Exequiarum ordo* ait, «Parochus indutus » superpelliceo et stola nigra, vel etiam » pluviale eiusdem coloris, clerico prae- «ferente Crucem, et alio aquam bene- » dictam, ad domum defuncti, una cum » aliis incedunt. » In hac lege a Rituali edita, nulla adhibetur effroenata clausula, quae claudit os parti, et Iudici tollit facultatem aliter iudicandi. Insuper consuetudo de qua agitur videtur praeter legem, non directe contra legem: quae neque Parocho , nec Ecclesiae tumillanti praeiudicium infert.

que consuetudine, non comprehenditur consuetudo immemorialis.

VII Immemorahilem consuetudinem esse maioris virtutis eiusdem apostolici privilegii ; cum ipsius ope quis possit allegare meliorem titulum de mundo; et quamvis habens immemorialem, allegare valeat etiam privilegium, non tamen habens privilegium, allegare valet immemorialem.

VIII Et de iure communi in funeribus unica esset deferenda Crux, nempe Ecclesiae tumulantis; tamen ius a consuetudine modificari potest ita, ut Card. De Luca ad rem dixerit : « Regula est ut omnes sub unica cruce incedant, » nisi consuetudo aliter statuat. » (1).

(1) Bened. XIV. Instit. 105 n. 28 habet: « Cum ob antiquam consuetudinem in hac civitate et Dioecesi minime » observetur, sed tot vexilla crucis ferantur , quot sodalitates , vel ordines » Regularium pompae funebri inter f uerint, quaemadmodum ab Archiep: Card. » Pallotti deprehenditur illis verbis : » expresse praecipimus ut omnes et singuli, statis horis simul convenire debeant sub suis quisque vexillis et cru- » cibus, in locum ubi defunctus erit, et » sepelliri possit; quod institutum qui- » dem tenetur etiamsi Capitulum Metro- *n* politanae Ecclesiae accesserit; ideo ve- » tustatis gratia nihil nòvi statuendum » volumus , et consuetudines a praede- » cessoribus nostris iam inductas per- » mittimus. »

DECRETUM

Pictavien, beatificationis et canonizationis ven. servi Dei Andreae Huberti Pournet sacerdotis fundatoris Congregationis Filiarum Crucis, vulgo Sororum Sancti Andreae.

Instante Rmo D. Raphaele Virili, postulatore constituto Causae beatificationis et canonizationis praedicti ven. servi Dei Andreae Huberti Fournet ; Emus et Rmus Dnus Cardinalis Thomas Maria. Martinelli, loco et vice Emi et Rmi Dñi Cardinalis Aloisii Bilio huius Causae ponentis, in ordinariis sacrorum Rituum Comitiis hodierna die in Vaticanum habitis, sequens proposuit dubium *u* ***An Sententia Iudicum Delegatorum ab Emo et Rmo Dno Cardinali Episcopo Pictaviensi super cultu non exhibito praefato ven. servo***

Dei, seu super paritione decretis sa. me. Urbani Papae VIII, sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur 1 r> Eminentissimi porro ac reverendissimi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati, sanctae Fidei promotore, rescribendum censuerunt: ***a Affirmativ) e seu sententiam esse confirmandam.»*** Die 4 Februarii 1882.

Facta postmodum de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua rescriptum sacrae Congregationis ratum habere ac confirmare dignata est die 9 iisdem mense et anno.

D. CARD. BARTOLINIUS, **PRAEFECTUS**

Loco gg Sigilli"

Piae. Palli S. R. C. Secretarius

DECRETUM

Valentinen, sen ordinis praedicatorum confirmationis cnltns ab immemorabili tempore praestiti servo Dei Bertrando de tenca, sacerdoti professo eiusdem ordinis sancto ac beato nuncupato.

Ad instantiam Rmi Episcopi Valentinensis aliorumque sacrorum Antistitum nec non Rev. Patris Fr. Vincentii Ligiez, sacerdotis professi ac postulatoris generalis Causarum beatificationis et canonizationis Servorum Dei Ordinis Praedicatorum, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Ioannes Baptista Pitra, Episcopus Tusculanus, supradictae Causae ponens, in ordinario sacrorum Rituum Congregationis coetu, hodierna die ad Vaticanum coadunato, sequens dubium proposuit: « ***An sententia Iudicis delegati a Rmo Episcopo n Valentinensi super cultu ab immemorabili tempore praestito n praefato servo Dei, seu super casu excepto a Decretis sa. me. . » Urbani Papae VIII, sit confirmanda in casu et ad effectum » de quo agitur'? n*** Emi porro et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati sanctae Fidei promotore, rescribendum censuerunt: ***Affirmative, seu Sententiam esse confirmandam.*** Die 12 Iulii 1881.

Quibus per Rmum Dnum Augustinum Caprara, sacrorum Rituum Congregationis assessorem, Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIIÏ fideliter relatis, Sanctitas Sua rescriptum sacrae Congregationis ratum habere ac confirmare dignata est, die 14; iisdem mense et anno.

D. **CARDINALIS BARTOLINIUS** S. R. **C. PRAEFECTUS**

Loco **9$** Sigilli

Placidus Ralli S. R. C. Secr.

LITTERAE APOSTOLICAE

De Missae Sacrificio in singulos dies festos pro populo ab omnibus Catholici Orbis Episcopis celebrando

LEO PP. XIII

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam

In suprema rei christianae procuratione, beato Petro Apostolorum principi eiusque successoribus divinitus data, illud Romanos Pontifices summa vigilantia providere necesse est, ut omnes sacrorum ministri curam animarum gerentes sui muneris officia, ex quibus commune Ecclesiae bonum magnopere pendet, studiose et accurate exerceant. — In iis autem eminet sacrosanctum Missae sacrificium, pro salute populi cui quisque praeest, nominatim faciendum: cuius vim officii Patres Tridentini ex praecepto divino proficisci tradiderunt (1). Quapropter ne quis in ea re delinqueret, Benedictus XIV Decessor Noster, editis Apostolicis Litteris *u* ***Cum semper oblatas n*** die XIX Augusti an. MDCCXLIV , edixit omnes et singulos, qui in aliqua Parochiali Ecclesia quocumque titulo animarum curam gerentes in singulis Dominicis aliisque diebus festis *u* non modo sacrificium Missae celebrare, sed etiam illius fru- » ctum medium pro populo sibi commisso applicare debere : nec *n* illud pro aliis applicare, aut pro huiusmodi applicatione eleemo- » synam percipere posse. » — Quibus quidem in litteris aperta Episcoporum mentio nulla est: nihilominus dubitari non potest, quin Pontifex sapientissimus quod de Parochis tam graviter praecipiebat, idem de maioribus animarum pastoribus intelligi tacite saltem et oblique voluerit. Idque multo veri similius apparet ex eo , quod proximus eius successor Clemens XIII in hoc eodem genere expo-

(1) Sess. XXIV, cap. 1 *de Reform.*

suit et declaravit. Is enim in Litteris Encyclicis *u A quo die »* post. Id. Septemb, an. MDCCLVIII datis, cum multa de episcopalium munerum perfunctione dixisset, illud etiam adiecit , sacrum pro populo peragere *crebro* Episcopos oportere, de se deque Venerabilibus Fratribus suis in nane sententiam locutus: ***a*** Cum non ***n*** nostras tantummodo curare debeamus infirmitates, sed etiam pu- » tare aliorum mala ad nos pertinere et ea aeque habere ac nostra, ***n*** vehementius diutiusque intendenda nobis ad Dominum nostra est » oratio, qua, tamquam Ecclesiae fidelium interpretes, omnium fi- » dem, spem et caritatem ante oculos Domini statuentes, quod » omnibus in universum quodque cuique fidelium opus est, a Do- » mino impetremus. Dei autem exorandi viam nobis muniet , et » quidvis adipiscendi etiam aperiet augustissimum Eucharistiae sa- » crificium. Idcirco vel maximis nostri muneris occupationibus etiam ***n*** implicati, sacrosanctum Iesu Christi Corpus et Sanguinem non » recusabimus quominus frequenter Deo offeramus, nullumque ma- » ius putemus nobis datum esse negotium, quam crebro placationis » hostiam pro nostris populique peccatis Deo Patri immolare. »

Haec Decessor ille Noster non minus sapienter quam pie. — Verum quibus Episcopi, diebus perlitare pro populo debeant, nihil ille constituit: ex quo factum est, ut inter doctores catholicos atque etiam inter ipsos Episcopos de officio conveniret, de diebus discreparet. Cumque hanc opinionum varietatem Romanae Congregationes Nostrae ad hanc diem minus sustulerint, non eadem ubique extitit disciplina, sed varia in locis variis consuetudo. Nunc vero Episcopi plures, omnem haesitationis caussam sibi penitus eximi cupientes, significarunt avere se et orare, ut de ipsis diebus Sedis Apostolicae auctoritate decernatur, lata lege, cui omnes in reliquum tempus obtempèrent. — Igitur cum nihil Nobis tam curae sit, quam publica christianorum utilitas et rerum sacrarum aequabilis in omnibus locis disciplina, simulque velimus Venerabilibus Fratribus Nostris Episcopis, praesertim tam aequa postulantibus, satis facere, nihil differendum ducimus, quin de ea re pro potestate Nostra statuamus ac iudicemus.

Generatim vero et universe officium istud episcopale , de quo loquimur, non est difficile cognoscere quam sit sacris litteris consentaneum, et praeteritorum temporum memoria testatum. Quae enim loca caussas rationesque suppeditant, cur generatim quotquot sunt animarum pastores fundere preces sacrumque facere debeant pro populo quem regunt, ex iisdem locis efficitur, idem plane esse

officium Episcoporum: sunt enim Episcopi in munere pastorali principes. Sic a primo Ecclesiae ortu rerum externarum administrationem deponere Apostoli properaverunt, quo sibi commodius ***orationi et ministerio verbi*** insistere liceret (1). Et Paulus ad Colossenses de se ipse ***Non cessamus,*** inquit, ***pro vobis orantes et postulantes ut impleamini agnitione voluntatis eius in omni sapientia et intellectu spiritali*** (2). Et ad Philippenses; ***Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens*** (3). Et ad hanc deprecationem, in qua Paulus cum gaudio et gratias agens Deo semper haerebat, non est dubium, quin sacrificium Eucharisticum adhiberet, quod est praestantissimum precationis genus , et cuius ille potissimum caussa pontifices christianos testabatur esse constitutos. ***Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis*** (4).

Quemadmodum vero ex his locis perspicuum est, omnino Episcopos debere rem divinam pro salute populi saepe facere, ita facile intelligitur quam deceat, immo quam oporteat in diebus festis singulis facere. — Etenim festi dies singulari quadam ratione religioni addicti et consecrati sunt: per eosque , assueti intermissione laboris, christianis praecipitur plus operae iis rebus tribuere, quae ad excolendum expiandumque animum pertinent; maxime vero augustissimo sacrificio interesse, quo creatori et gubernatori rerum omnium Deo debitum latriae cultum adhibeant. Quamobrem ipsa videtur dierum festorum sanctitas postulare, ut Episcopi, Ecclesiae sibi commissae custodes et principes, sanctissimum Missae sacrificium pro populo offerant Deo: ***u*** quo tamquam Ecclesiae fidelium » interpretes, omnium fidem, spem et caritatem ante oculos Domini » statuentes, quod omnibus in universum, quodque cuique fidelium ***v*** opus est a Domino impetrent ».

Huius disciplinae probe opportunitatem utilitatemque viderant Episcopi veteres, qui summa cum religione sacrificandi munus per dies festos semper usurpaverunt. Quod sane complura christianarum antiquitatum monumenta confirmant: et in iis commemorandum videtur s. Iustini M. testimonium ex Apologia I ad Antoninum Pium (5): in qua posteaquam nitide declarasset, consecratum in Eu-

(1) Act. VI, 4 et seq.
(2) Ad Coloss. I, 9.
(3) Ad Philip. I, 3-4.
(4) Ad Heb. V, 1.
(5) la edit. Maurin. pag. 83 n. 61.

charistico Sacrificio panem et vinum u non ut communem cibum » et potum sumi » a christianis, sed ut a incarnati Iesu carnem n et sanguinem », quemadmodum « Apostoli in commentariis suis, » quae vocantur Evangelia, tradiderunt», mox graphice describit rationem totam unde ab initio Ecclesia catholica , per oblationem huius Eucharistici Sacrificii, solemnem cultum Deo optimo maximo exhibere consuevit Dominico quoque die, quem gentiles ***diem solis*** appellabant, ethnicum Imperatorem his verbis allocutus: a Ac solis, n ut dicitur, die omnium sive urbes sive agros iacolentium in eum- » dem locum fit conventus, et commentaria Apostolorum aut scripta » Prophetarum leguntur, quoad licet per tempus. Deinde ubi lector » desiit, is qui praeest admonitionem verbis et adhortationem ad » res tam praeclaras imitandas suscipit. Postea omnes simul con- 7> surgimus et preces emittimus: atque, ut iam diximus, ubi desii- » mus precari, panis affertur et vinum et aqua : et qui praeest » preces et gratiarum actiones totis viribus emittit, et populus ac- » clamat, ***Amen,*** et eorum, in quibus gratiae actae sunt, distribu- » tio fit et communicatio unicuique praesentium, et absentibus per » Diaconos mittitur ». Quod vero s. Iustinus per ea verba ***qui praeest*** non semel prolata designet hoc loco praesertim Episcopos, in ambiguo esse non sinunt tot illae quae supersunt sanctorum Ec- lesiae Patrum orationes seu Homiliae, quas ***inter Missarum solemnia*** constat esse pro concione recitatas. Sic s. Gregorius M. (1) u quia, inquit, Missarum solemnia ter hodie celebraturi sumus, » loqui diu de evangelica lectione non possumus ». Immo in hac re tam constans disciplina tenuerat, ut si forte diebus festis a christianorum conventu abfuisset Episcopus, item si concionem habere aut divinam hostiam litare praetermisisset, novitatem et insolentiam rei haud secus mirarentur omnes (2), quam si diebus iuri dicundo statutis vacuum tribunal, vacua iudicum subsellia ceriierentur. Sacris autem in dies festos operante Episcopo, ***communis sacrificii*** oblatio fieri dicebatur (3); cuius appellationis ea profecto vis est, ut satis significet, praesente populo et pro populo Sacrificium fieri consuevisse—'Huc aliud etiam spectat, quod erat in more positum Pontificum Romanorum: ii quippe Dominicis diebus, peracto Sacrificio, quidpiam ***consecratorum munerum*** mittere ad singulos Urbis Titulos, seu curialia templa solebant, quibus in locis

(1) Horn. VIII in Evang.

(2) S. Io. Chrysostomus Horn, I *de incomprehensibili Dei natura.*

(3) Concil. I Prov. Mechlinien. Tit. *de Epis,*

una cum inferioribus animarum pastoribus multitudo adesset, quae adesse Pontifici maximo sacrificanti non potuisset. Quae quidem consecratorum munerum pars communi sermone ***fermentum*** appellata ob banc caussam censetur, quod sicut modicum fermentum totam, cui iniicitur, farinae massam conglutinat atque attollit; ita mystico illo quasi fermento populus Urbanus universus in unum veluti corpus coalesceret, ut singuli se cum Pontifice maximo fide et caritate coniunctos, et sacrificii, quod ille faceret, participes esse sentirent (1).

Quod si mutata hodie consuetudine, nequaquam singulis diebus festis coram multitudine Episcopi sacrum faciunt, facere tamen pro populo necesse est. Revera Patres Tridentini, qui hoc ofiicium ex praecepto divino repetunt (2), cum deinceps (3) iubent Episcopos curare ut omnes Presbyteri' *u* saltem diebus Dominicis et festis so-
» lemnibus, si autem curam habuerint animarum , tam frequenter
» ut suo muneri satisfaciant Missas celebrent », eos profecto tacite monuerunt, ne officio iusto ac debito, quod ab inferioribus animarum pastoribus exigèrent, ipsi deessent. Quapropter in Concilio Provinciali Mediolanensi I, cui maxime proposita erat decretorum Tridentinorum promulgatio, praesentibus et suffragia ferentibus iis ipsis Episcopis, qui paulo ante ad sedes suas Tridento re verterant (4), constitutum est: *u* Cum Pontifices, ut inquit Apostolus,
» ex hominibus assumpti pro hominibus constituantur in iis quae
» sunt ad Deum, ut offerant dona et sacrificia pro peccatis , Epi-
7> scopus Dominicis et aliis festis diebus, nisi iure impediatur, Missam
» celebret (5) ».

Qunpropter mirum videri non debet, si Theologiae moralis et iuris pontificii doctorum una fere sententia est, officium celebrandi Missam pro populo maiore ratione ad Episcopos, quam ad Parochos pertinere. Omnium loco sit s. Alphonsi De Ligorio, Ecclesiae Doctoris, auctoritas: « Si autem Parochi, et omnes quibus cura ani-
» marum commissa est, tenentur in Dominicis et festis de praece-
» pto Missam celebrare et applicare pro populo, tanto magis ad id
» tenentur Episcopi tamquam principaliores animarum pastores (6) ».

(1) Cfr. B. Ios. M. Thomasii Card. Opuse. VI in edit. Rom. Omnium Opp. Tom. VII pag. 51 seqq. Cfr. etiam Augustini Orsi Card.Hist. Eccl.Lib. XXXI, n. 58.

(2) Sess. XXIII, *De Beform.* c. 1.

(3) Ead. Sess. c. 14.

(4) Cfr. Orationem a S. Carolo Borromeo habitam.

(b) Tit. *de frequenti divini Sacrificii oblatione.*

(6) Theol. Moral. Lib. VI. num. 326.

Cuius doctrinae ratio in eo maxime consistit, quod cum Parochi auctoritate eclesiástica instituti sint, eorum officium..ex iure divino, quod ***mediatum*** et ***hypotheticum*** vocant, proficiscitur. Contra vero ad Episcopos pastorale munus ***immediate*** pertinet, quippe quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei: pertinet etiam ***principaliter,*** quia inest in eis perfecta et plena cura pastoralis, cuius partem .dumtaxat Parochi exercent, Ecclesiae auctoritate sibi demandatam. Quod sane praeclare s. Thomas his verbis complectitur: *u* Episcopi principaliter habent curam ovium suae dioecesis: *n* presbyteri autem curati habent aliquas subministrationes sub » Episcopis *n* , id est *u* secundum quod eis ab Episcopo committitur (1) ».

His itaque-omnibus diu multumque consideratis, auditisque Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum sententiis, decernimus et declaramus, omnes et singulos Episcopos , quacumque dignitate , etiam Cardinalitia, auctos, item Abbates iurisdictionem quasi episcopalem in Clerum et populum cum territorio separato habentes, in Dominicis aliisque festis diebus, qui ex praecepto adhuc servantur, et qui ex dierum, de praecepto festorum numero sublati sunt, omni exiguitatis redituum excusatione aut alia quavis exceptione remota, ad Missam pro populo sibi commisso celebrandam et applicandam teneri.

Et ne cui dubitationi aditus pateat, declaramus, eosdem Episcopos et Abbates huic officio satis esse facturos per celebrationem et applicationem unius Missae pro universo populo sibi commisso, etiamsi duas vel plures Dioeceses et Abbatias aeque principaliter unitas regant. — Novimus quidem Romanas Congregationes Nostras aliud decrevisse de Parochis duas vel plures parochiales Ecclesias aeque principaliter unitas gerentibus: in quibus singulis singulae per dies festos Missae celebrentur et pro populo applicentur necesse est. Sed alia est Parochorum, alia Episcoporum ratio. Etenim cum cuique Parocho specialis in unaquaque Paroecia ac definita populi cura commissa sit, festis diebus Parochus non modo celebrare pro populo debet, sed etiam in parochiale templum populum admittere, ut sacrosancto Missae sacrificio intersit, et audiat verbum Dei, et sacramenta pro opportunitate recipiat, et iis omnibus officiis excolatur, quae diebus praesertim Dominicis aliisque festis praestanda sunt. At non haec valere possunt pro Episcopis, qui dissimili in conditione et caussa versantur , cum nulla

(2) 2. 2. q. 184, art. 6 ad 2 et 3. Vide etiam opuse. XIX cap. *i.*

lege hodie iubeantur omnibus diebus festis sanctum Sacrificium in Cathedrali templo peragere.

Quamquam vero minime necessarium, opportunum tamen ducimus declarare, ea quae supra constituta sunt, ad Episcopos non spectare, qui ***Titulares*** dicuntur, quique ad dignitatem episcopalem promoti, ideo a Romano Pontifice titulo decorantur Ecclesiarum Cathedralium, quae olim florentes, nunc Clero populoque catholico destituuntur, ne scilicet antiqua earum dignitas et memoria penitus deleatur. Cum enim ipsi sedium suarum possessionem non capiant, qua dumtaxat suscepta munus, de quo diximus, Episcopi implere tenentur (1), cumque nullus neque Clerus neque populus eorum regimini tradatur, satis constat, eos uti carent usu atque exercitio potestatis ex episcopali consecratione acceptae, ita etiam haud esse officiis atque oneribus curae episcopalis obnoxios. Sed tamen si aequitatis caritatisque episcopalis ratio habeatur , non potest non consentaneum videri, eos etiam interdum sacrificium offerre, ut respiciat Deus miseram Ecclesiarum illarum conditionem, quarum titulo et nomine ipsi honestantur. Huic rèi optime congruunt quae a Pio VI Decessore Nostro in consecratione Episcopi Cyrenensis die IV Octobris an. MDCCLXXVIII in Basilica Ostiensi dicta sunt: cum scilicet enumerans caussas ob quas Apostolica Sedes •ecclesias etiam ab infidelibus occupatas conferre solet , « oportere, » inquit, aliquem, existere cui singulariter incumbat, si non regere » captivam illam miseri gregis portionem, preces saltem ac lacry- » mas pro eadem ad misericordiarum Patrem assidue effundere ».

Volumus autem praesentes Litteras, omniaque et singula in iis contenta inviolabiliter observari, et de subreptionis, aut cuiuscumque invaliditatis vitio intentionisque Nostrae et quocumque alio defectu a quoquam notari, impugnari, vel in controversiam vocari nullo unquam tempore posse; sublata cuilibet aliter de his iudicandi et definiendi potestate: et quidquid secus super his contigerit attentari, irritum et inane decernimus. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, etiam in generalibus Conciliis editis, nec non Cancellariae Apostolicae regulis, statutis quoque etiam, iuratis , consuetudinibus etiam immemorabilibus, atque indultis etiam Apostolicis quomodolibet hactenus concessis, ceterisque contrariis quibuscumque. Atque hae Litterae Romae publicatae perinde habeantur ac si unicuique eorum, quos concernunt, personaliter intimatae et notificatae fuissent.

(1) S. C. Rit. in *Mar sor.* 12 Novemb. 1831.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrarum Ordinationum et Constitutionum infringere, seu eidem ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo octuagesimo secundo, IV Id. Iunii, Pontificatus Nostri Anno **V.**

C. CARD. SACCONI **PRO DATARIUS** — TH. CARD. MERTEL

VISA

DE CURIA I. **DE AQUILA E VICECOMITIBUS**

Loco gg ***Plumbi***

Reg. in Secret. Brevium

I. CUGNONIUS

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

ROMANA

DUBIA SUPER APPLICATIONE MISSAE PRO POPULO.

Die* 9 *Iulii 1881.

Per summaria precum

COMPENDIUM FACTI. Sub die **28** Februarii **1871** revmus Secretarius s. Congregationis de Propaganda Fide, s. C. Congregationi duo proposuit infrascripta dubia dirimenda circa applicationem Missae pro populo. Aiebat enim: haud raro s. Congregationi de Propaganda Fide dubia proponun-

tur quoad onus litandi Missam pro populo, quod illis ex iustitia incumbit qui curam animarum gerunt. Ut autem uniformitas adsit in responsis datis a Sede apostolica, ministerio diversarum ss. Congregationum, ideo dubia huiusmodi proponuntur s. C. Congregationi, quae creditur aliquo modo iam suum emisisse iudicium in subiecta materia. Reapse die supra dicta inter supplices libellos huiusmodi quaestio plenis comitiis proposita fuit. Ast, attenta rei gravitate, BE. PP. differre placuit rescribendo : *Dilata et exquiratur votum trium Consultorum, reassumptis ex Secretariis Congregationum s. Rituum et de Propaganda omnibus ad rem facientibus.*

Iuxta s. Congregationis mandatum tria redacta fuere vota, quorum damus synopsim.

Disceptatio Synoptiea

VOTUM PRIMI CONSULTORIS. Quoad primum dubium, ait consultor: etsi vera haud agnoscatur lex, quae Episcopis onus imponat litandi Missam *pro populo* diebus in quaesito notatis; id quod eruitur etiam ex s. C. Concilii 18 Aprilis 1864 « *Episcopos Missae pro populo perlitandae onere teneri, nulla tamen, circa certas pro celebratione dies, lege praestituta;* » attamen certum fit, ex recitato quoque responso, 1. Episcopis onus, uti proprium, huius applicationis incumbere: *2.* adiici etiam potest, sufficiens adesse fundamentum ad declarandum, huiusmodi obligationis mensuram, quoad dies, minorem illa haud esse posse quae parochis incumbit.

Qua de re, ait consultor, secundo quaesito erit respondendum: quum Episcoporum obligatio minor haud sit obligatione parochorum, declarari potest, Episcopos teneri ad Missam litandam *pro populo, ad minus* pro illis diebus, quibus Parochi hoc gravantur onere.

Obvia autem videtur ratio, qua Episcoporum onus haud aestimari possit levius onere parochorum. Siquidem enorme

esset absurdum, quatenus oneris mensura minor reputaretur pro illa parte, pro qua maiora militant oneris eiusdem argumenta. Ast argumenta oneris Missam, litandi pro populo magis pro Episcopis quam pro parochis militant. Ad hoc evincendum sufficit ut consideretur qualis sit oneris istius ratio fundamentalis.

Et in primis praetereunda est quaestio, alias agitata; an frequentia maior vel minor litandi missam pro populo derivari debeat ex redituum quantitate. Huiusmodi enim resolvit quaestionem Benedictus XIV in *Constit. Cum semper oblatas* §. *6.* declarando satis esse, si gerentes animarum curam, missam pro populo applicent *in dominicis, aliisque diebus festis de praecepto.* Luculentius autem argumentum, quo probatur onus applicationis missae pro populo non subiici, minori vel maiori reddituum quantitate, vel ex eo colligitur quod eiusmodi onus incumbat etiam illis Parochis, qui neque redditibus fruuntur propriae alimoniae sufficientibus; *Bened. XIV cit. Constit.* §. *8.*

Quamobrem si onus litandi Missam pro populo erui nequeat ex redditibus, cuilibet animarum pastori assignatis, ex quanam ratione igitur deduci poterit ? Ratio haec, post communem doctrinam, traditur a Ferraris *v. Missa art. 3. n. 8* « Ratio autem horum decretorum est, quia Parochus « non ratione sustentationis, sed ratione officii tenetur sa- « crifìcium pro populo applicare. Nam sicuti qui duxit uxorem « pauperem, sine ulla vel parva dote, se excusare non pot- « est, nec se subtrahere ab oneribus matrimonii, uti docent « communiter doctores ; ita qui acceptat parochiam exilis « reditus, tenetur onera parocho iniuncta adimplere. » Igitur ratio vera huius orieris in hoc posita est, quod debitum applicandi missam pro populo suapte natura nectitur officio curae animarum, atque ex eius natura intrinseca originem ducit> eodem modo, quo prolis educandae obligatio nascitur a genitoris conditione, et obligationes coniugum ad invicem ex natura status matrimonialis exurgunt. Id perspicue eruitur ex *Trid. Sess. 23 cap. 1 de ref.* « Cum.

« praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum « cura commissa est oves suas cognoscere, pro his sacrificium « offerre. . . . . .>

In hisce Tridentini verbis vident doctores nedum *praeceptum divinum positivum,* sed etiam praeceptum legis naturalis, quod certe dici potest *divinum,* ceu generaliter sunt onera cuilibet statui vel officio connaturalia. Idipsum vident doctores in verbis Apóstoli *Hebr. V 1-3* « Omnis Pontifex « ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis « quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro pec« eatis.... Et propterea debet quemadmodum pro populo, ita « etiam et pro semetipso offerre pro peccato. » Nempe haud vident in his verbis doctores Apostoli praeceptum, sed expositionem rei, quae sua natura tali officio nectitur. Hinc s. Thomas opportune scribit Lect. 1. in Hebr. V, quod s. Paulus « describit Pontificale officium ».

Hac re praestituta, quod nempe potissima ratio oneris litandi Missam *pro populo* resideat in officio proprio curae animarum, praestat nunc videndum, an ratio haec magis pro Episcopis militet, quam pro parochis. Divus Thomas *opuse. 19 contr. impugn. Relig. cap. 4* perspicue ostendit, dictam rationem militare magis pro Episcopis, quam pro parochis: « Episcopi, qui sunt in superiori potestate constituti, magis « habent curam de subditis, quam etiam ipsi sacerdotes pa« rochiales. » Id s. Doctor repetit his verbis : « Dicendum « quod sacerdos proprius non solum est parochialis, sed etiam « Episcopus vel Papa, ad quos etiam magis pertinet cura « eius, quam ad Sacerdotem. » Neque dici potest, prosequitur Angelicus *ibid.* Episcopum solvi ab onere curae quando confidit Parochis animarum curam. «.Ad illud quod obiici« tur, quod Episcopus quando committit curam Parochiae, « ipse se exonérât, dicendum quod falsum est; quia adhuc « pertinet ad eum habere curam totius plebis sibi commis-ae sae. . . . Unde et Apostolus de se dicebat *2* Corinth. 11 : « praeter illa, quae extrinsecus sunt instantia, mea sollici-te tudo omnium ecclesiarum. » Hinc idem Angelicus adiicit,

« Parochos agere ceu adiutores Episcopi in tali cura, » ibid. « Non tamen fit onus ei (Episcopo) importabile quia habet « alios inferioris ordinis adiutores. » Nam ceu idem s. Doctor animadvertit ***ibid.*** « Pastores gregem Domini pascere « possunt non solum per se, sed per alios, quibus ipsi cornac mittunt: quia ille intelligitur aliquid facere, cuius auctore ritate fit. »

Sed in hoc Episcopi partes principalis operantis agunt, dum parochi adiutorum secundariorum partem implent, sicut idem Angelicus animadvertit *ibid.:* « Sed ille cui da« tur aliquis adiutor, non ex hoc amittit potestatem ope« randi, cum sibi vacaverit; immo ipse est principalis ope« rans, et adiutor est agens secundarius. » Quam sententiam his verbis expressit Caietanus in *2. 2. q. 184 art. 5.* « Epi« scopi assumunt curam animarum ut agentia principalia; « curati vero assumunt curam animarum ut officiales princi« palium agentium. »

Ex inde repetenda ratio, qua idem s. Thomas loquendo de Parochis relate ad Episcopos, illis tribuit curam animarum non propriam, sed per quandam participationem *3. 2. q. 184 art. 6 ad 2.* « Dicendum quod Episcopi principali« ter habent curam ovium suae Dioecesis; presbyteri autem « et archidiaconi habent aliquas subministrationes sub Epi« scopis— Ex quo patet, quod ita se (parochi) habent ad « Episcopum, sicut balivi vel praepositi ad regem. Et pro« pter hoc_____in Ecclesia cura Episcopalis cum solemnitate « consecrationis committitur; cura autem archidiaconatus vel « plebanatus cum simplici iniunctione. » Et iterum *ibid.* ad 3: « Dicendum quod sicut plebani et archidiaconi non habent « principaliter curam sed administrationem quamdam, se« cundum quod ei ab Episcopo committitur; ita ad eos non « pertinet principaliter pastorale officium.... sed in quantum « participant de cura. »

Ita se habet divus Thomas, qui certo particularem haud exponit sententiam, sed communem doctrinam, extra controversiam positam. Et ideo, ut discursus perstringatur, si

onus litandi Missam *pro populo* nascitur ex natura et officio curae animarum, clarum est, hoc onus magis incumbere debere iis ad quos officium curae animarum, uti proprium pertinet, vi consecrationis episcopalis, atque eorumdem dignitatem et gradum constituit, quam illis qui secundo et per quamdam commissionem locum habentium principem, gerunt curam animarum, ut auxilium ferant pastori in pascendo grege. Ideoque absonum est rationique contrarium, onus litandi missam, pro populo esse minus in Episcopis quam in parochis.

Et quum Apostolus loquitur de hoc officio *Hebr. V. 1-3* supra cit. haud verba facit, aiunt Doctores, de quolibet Sacerdote, sed de eo qui inter eos Sacerdotes primatum obtinet. Hinc rationi consonum est, aliis omissis, quod s. Alphonsus *lib. 6 n. 327* scripsit : « Si autem parochi, et « omnes, quibus cura animarum commissa est, tenentur in « Dominicis et festis missam celebrare et applicare pro po- « pulo, tanto magis ad id tenentur Episcopi, tamquam prin- « cipaliores animarum pastores. »

VOTUM SECUNDI CONSULTORIS. Censuit iste perdifficilem esse dubiorum solutionem propter rationum momenta, quae hinc inde proferuntur: attamen sese in eam ire sententiam, Episcopos non teneri, sicuti tenentur parochi, *vi obligationis legis,* ad applicationem missae *pro populo.*

Canones et decreta de ecclesiastica disciplina eamdem exerunt vim obligandi quam ab initio habuerunt. Ideo videndum est, an Episcopis onus hoc impositum fuerit usque ab origine, et qualis fuerit traditionalis consuetudo, optima legum interpres. Cum Tridentinum *Sess. 23 cap. 1 de ref.* imponit « Omnibus, quibus cura animarum commissa est « oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre... » verbis utitur ita generalibus, ut sub hac lege comprehendantur pastores ovium cuiuscumque gradus; quod decretum, per longum tempus generaliter, non autem statutis diebus obligavit. Decursu tamen temporis dies determinati fuerunt pro hac obligatione litandi missam pro populo; ast Episcopos

non comprehendi sub hac determinatione colligitur ex vi resolutionum posteriorum, quae mentem s. Concilii explicarunt.

Cum Tridentinum haud nominet singillatim Episcopos, loqui videtur de pastoribus inferioribus seu de parochis: nam quoties voluit subiicere legi aliquam personam, quae ex eminenti dignitate non comprehendi videretur, de eadem specialem fecit mentionem. Hinc quum Tridentinum praeceptum facit Episcopis de residentia, adiicit « *etiamsi s. R. Ecclesiae Cardinales sint,* » ne quis eorum sese exoneratum censeret. Sic in Bullis expresse declarantur poenis subiici *etiam Episcopi)* et quoties Concilium comprehendere voluit Episcopos in aliquo decreto, eosdem particulariter appellavit. Cum s. Concilium generaliter' loquatur, neque dies applicationis determinet, istos arbitrio eorum relinquit, *cui animarum cura commissa est.* Ideo usque ad saeculum XVII Missa applicabatur *iuxta arbitrium boni viri;* ceu ex diversis eruitur auctoribus, qui de diebus determinatis nullam faciunt mentionem.

Apud s. Concilii Congregationem, saeculo XVII ad exitum properante, agitari coepit quaestio eiusmodi; ast s. haec Congregatio, interpres et vindex Tridentini, per quamplurimas resolutiones parochis solummodo decretum applicuit; neque censuit, Episcopos comprehendi. Attamen obiici potest: generalis est tridentina lex, obligatque omnes curam animarum gerentes ; *ubi lex non distinguit neque nos distinguere debemus;* ergo etiam Episcopi veluti parochi obligantur. Sed respondetur *primo:* omnem legem generalem proprias habere exceptiones ; cumque in casu praesenti lex applicata fuerit solis parochis clarum est pro Episcopis exceptionem factam fuisse. Praeterea si lex stricto capienda *est sensu, extendi deberet superioribus Regularibus, et Monialium confessoribus, qui sunt veri animarum curatores. Ast quaestio haec pluries proposita, insoluta mansit.

Argumentum adversariorum : si sacrificii Missae praedictis diebus perlitandi lege adiguntur parochi, multo magis

obstringi parochus superior dicendus esse videtur; vim non habet in omnibus et singulis casibus; nam multa incumbunt subalternis, quibus non obligantur superiores. « Oportet, ait « divus Thomas 1. 2. q. 95, 1 quod lex ad multa respiciat « et secundum personas et secundum negotia et secundum « tempora. » Decreti finis hic est, ut populo aliquis sit, qui pro eo sacrificium offerat, ad quod sacrum ius habet, ceu sacrum est debitum illius qui spiritualiter populum gubernat. Ast, quum decreta ss. Congregationum solummodo obligent parochos, Episcopi videntur exempti: nam *inclusio unius est exclusio alterius.*

Notandum insuper est, praefatum Tridentini decretum, nedum praecipere parochis missae celebrationem pro populo, sed etiam praedicationem et sacramentorum administrationem. Sicuti ad haec Episcopi non creduntur obligati, quoniam sciunt id fieri a parochis, eadem ratione dici potest eos non obstringi ad missae applicationem, quam a parochis litari pernoscunt. Nosque magis confirmat in sententia nostra silentium Benedicti XIV in *Constit. Cum semper oblatas,* in qua ne verbum quidem de Episcopis fecit, dum in clariorem poneret lucem hoc onus pro gerentibus animarum curam. Idem dici potest de Encyclica Pii IX, quem latere nequibant nec quaestiones, neque dubia quoad hoc punctum; attamen silentium servavit. Ex quibus omnibus arguit consultor colligi posse, Episcopos non teneri, ceu parochi, ad applicationem missae pro populo, neque ex generali decreto, neque ex Pontificum Constitutionibus, neque ex resolutionibus ss. Congregationum .

Verumtamen Episcopi dici ne poterunt soluti ab omni onere, ait ille? Minime sane; quia praeceptum divinum per Apostolum publicatum *Omnis pontifex*_______a Tridentino confirmatum et a litteris Apostolicis declaratum, praecipue obstringit etiam Episcopos; qui a culpa lethali eximi nequirent si non litarent missam pro populo. Et non tenentur uti parochi ; sed ex lege generali tenentur ut curatores animarum; quo sensu comprehenduntur in Tridentino; sicuti resolvit s. C.

Concilii quoad Abbatem s. Martini 18 Aprilis 1864 *teneri, nulla tamen circa certos pro celebratione dies lege constituta.* Et ideo Episcopi pernoscentes suas obligationes, ab Apostolo significatas, se gerere debent ceu ante Concilium, quia nulla ratio suppetit, qua fiat innovatio.

Sed si quaestio terminanda est, inducenda uniformitas in hoc puncto disciplinari, et aditus praecludendus quaestionibus ulterioribus, censerem, ait Consultor, ut declararetur, Episcopos obligari, *ex iustitia et vi obligationis legis,* ad litandam missam pro populo in maioribus Ecclesiae solemnitatibus, ceu praescribit *Trid. Sess. 23 cap. 14 de ref.* quoad sacerdotes!" Ex qua declaratione fieret, ut Episcopi pro illis diebus ^ubiicerentur eisdem conditionibus ac parochi, et per alios litare deberent, quatenus impediti. Quod si Episcopus haberet paroeciam, ceu usuvenit in Hibernia, tunc nisi litaret Missam per Vicarium, deberet per seipsum, neque satisfaceret cum sacrificio, quod applicaret pro tota Dioecesi, sicuti declaratum fuit pro Episcopo Dumorensi anno 1863.

Tandem, ait Consultor, ex quo lex clara non obligat Episcopos, ceu parochos ; hinc quoad duo proposita dubia conclusit cum Benedicto XIV Notif. XIII. « *Non debent imponi ligamina, si non est lex clara quae illa imponat.* »

VOTUM TERTII CONSULTORIS. In propositis dubiis, ait iste, quaeritur an obligatio, cui obnoxii sunt Parochi, aeque premat Episcopos *extensive* et *intensive : extensive,* dicitur enim *omnibus diebus dominicis et festis de praecepto etiam suppressis: intensive* agitur de obligatione iustitiae, ut patet ex ditione *teneantur,* sed in primis ex dubio secundo.

Animadvertit etiam quaestionem non esse de iure divino, seu melius naturali ab Apostolo proclamato « *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus...* » Pro certo enim habemus Episcopos iure divino teneri sacrificium offerendum pro plebe sibi commissa aliquoties in anno. Hinc quaestio praesens est de iure positivo ecclesiastico, et dividi potest in duas quaestiones, quarum prima quaerit *utrum sit,* idest utrum adsit haec obligatio: in casu affirmativo surgit altera *quomodo sit,*

seu a quo talis obligatio inducta sit, puta a lege conciliari vel pontificia, aut a consuetudine. Affirmantem sententiam aggressus est evincere Consultor tribus argumentis ductis ex decretis ss. Congregationum, ex iurisperitorum atque theologorum auctoritate, ac tandem ex analogia obligationis parochorum.

Decreta a consultore adducta, quibusque innititur ad suam evincendam sententiam, sumpta fuere ex ss. Congregationibus Concilii, de Propaganda Fide et sacrorum Rituum. Nonnulla ex his decretis habes Acta s. Sedis Vol. HI p. 365, 368, Vol. I p. 407 et 408; cetera referemus in appendice post hanc disceptationem ponenda.

Transit consultor ad expendendum argumentum desumptum ex auctoritate iurisperitorum et theologorum; quorum nomina et auctoritates ample refert. Hi omnes claris verbis docent iisdem diebus, quibus Parochus, teneri Episcopum quoque Missam pro populo applicare. Ligorius, inter alios, ait in opere Homo Apostolicus *Tract. 7 n. 65 p. 158* « Omitto « denique sermonem facere de aliis Episcopi muneribus, ut « de Missa quam ipse, etiam plusquam Parochus, tenetur « pro suis ovibus applicare. »

Gradum autem faciens ad tertium argumentum ex analogia legis desumptum, qua obligantur Parochi ad litandam missam pro populo, eruit consultor, etiam Episcopos ad id obligari. Et primo, ait ille, hoc innuunt *verba* quae adhibet lex ad designandos Parochos: *Pastores... omnes et singuli;* quae verba indicant potissimum Episcopos.

Secundo *ratio* legis qua tenentur animarum pastores ad missam pro populo litandam, nempe *non ratione beneficii, sed officii, non ratione bonorum seu redituum, sed muneris:* idest propter *officium pastorale* quod in Episcopis, prae parochis, est plenum et integrum, principaliter atque divinitus collatum. Et ideo non intelligitur quomodo Episcopi ab hac obligatione liberari possint. Tertio *ius naturale divinum,* ex quo obligatio haec derivatur, in Episcopis est absolutum, immediatum proprieque dictum, secus autem in,

parochis. Tandem *severitas* disciplinae in parochis, quae se prodit in omnibus et singulis legis partibus. Hinc cum Ecclesiae doctore s. Alphonso concludendum videtur, a fortiori ab Episcopis eius observantiam esse exigendam.

Huiusmodi oneri applicationis Missae pro populo favet consuetudo. Neminem latet ad inducendam consuetudinem sufficere, actum frequentari a maiori communitatis parte. Extare consuetudinem qua fit, ut Episcopi Missam applicent pro populo eruitur ex responsis ss. Congregationum, quae pluribus dubiis huius generis satisfaciunt, et quae ideo consuetudinem supponunt. Nam ss. Congregationes, nisi suivissent hoc officium saltem a plerisque Episcopis servari, haud declaravissent hac obligatione teneri etiam Vicarii Apostolici, qui praesunt tamquam legitimi pastores in locis ubi Sedes Episcopalis est canonice erecta. (1) Probatur etiam ex testimonio Doctorum, quorum magna pars habet hanc obligationem certam atque indubiam.

An autem ex lege certa haec obligatio originem ducat, vel ex consuetudine certant nonnulli auctores. Consultori autem videtur inducta fuisse a consuetudine obligatio haec, quae postea obtinuit a iure scripto confirmationem, dilatationem et perfectionem. Ab exclusione probat sententiam, aiens : obligatio certe adest; iam vero haec non descendit proprie a iure divino, neque ab ulla lege Conciliorum : ss. Congregationes eam supponunt non imponunt: Doctores illam testari, non tamen inducere possunt: analogiae obligationis parochorum vis quidem inest demonstrandi *utrum sit,* non tamen illa gignendi ; restat ergo ut repetatur a consuetudine.

Tandem conclusit consultor: licet nulla extet lex scripta, quae hoc onus expresse imponat Episcopis, arbitror tamen ex praedictis satis abundeque constare, rem eo esse loco ut tuto talis lex ferri queat. Etenim quum agatur de re admodum gravi, nimirum de imponenda obligatione, et qui-

(1) Confer. Vol. I p. 407 et 408 liar, ephem.

dem Episcopis, valde opportunum esset id praestare per aliquam legem generalem.

Hisce praemissis en duo proposita dubia:

L *An Episcopi teneantur ad litandam Missam pro populo omnibus diebus dominicis et festis de praecepto, etiam suppressis.*

II. *Quatenus negative, quale sit et quomodo exprimi possit onus, quod Episcopis incumbit, Missam applicandi pro populo.*

RESOLUTIO. Sacra **O.** Congregatio, re mature perpensa, sub die 9 Iulii 1881 censuit respondere :

Ad I. *Episcopos teneri ad applicationem Missae pro populo; et consulendum SSmo, ut decernere dignetur, eosdem Missam pro populo applicare debere omnibus dominicis aliisque festis diebus, tum de praecepto, tum suppressis.*

Ad II. *Provisum in primo.*

Ex **QUIBUS COLLIGES**. I. Etsi nondum neque divino neque humano iure definitum esset quoties vel quibus diebus Episcopi missam litare pro populo deberent, hoc onus tamen semper habitum est non postremum inter Episcoporum officia.

II. Etenim quum onus litandi missam pro populo ex ipsa natura officii curae animarum enascatur; hinc rite exurgere, hanc obligationem in Episcopis esse maiorem, quia cura animarum, vi consecrationis episcopalis, ad eosdem proprie pertinet , eorumdemque conditionem, dignitatem et gradum constituit.

III. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pr'o peccatis... Et propterea debet quemadmodum ¡oro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis.*

IV. Neque Episcopum sese exonerare, iuxta divum Thomam, quando presbyteris curam parochiae committit: *quia adhuc pertinet ad eum* habere curam totius plebis sibi commissae; unde et Apostolus de se dicebat *2 Corinth. 11: praeter illa, quae extrinsecus sunt instantia, mea quotidiana sollicitudo omnium ecclesiarum.*

V. Ut quaestionibus dubiisque aditus praecluderetur, et disciplinae uniformitas haberetur Apostolicam Sedem constituisse, Episcopos omnes Ecclesiae orientalis et occidentalis, etiam ceu Parochi, .teneri ad applicationem missae pro populo, omnibus dominicis, aliisque festis diebus tum de praecepto, tum suppressis.

VI. Verum ex nuperrimis litteris apostolicis animarum pastores *huic officio satis esse facturos per celebrationem et applicationem unius missae pro universo pjopulo sibi commisso, etiamsi duas vel plures Dioeceses et Abbatias aeque principaliter tinitas regant.* (1)

VII. Colliges etiam, Episcopos litantes missam praedictis diebus pro fidelibus suae Dioecesis, haud satisfacere oneri litandi missam pro populo suae paroeciae, si paroeciam habeant. (2)

VIII. Hoc onere litandi missam teneri Vicarios quoque Apostolicos, degentes in locis in quibus Sedes episcopales canonice erectae iam sunt, et ad ea loca missi fuerint ut legitimorum pastorum vices gerant. (3)

(1) **Dioeceses uniri possunt aequo principaliter seu per unionem *plenariam et exlinciivam ;* et per unionem *accessorium.* Per unionem primai iam ct extinctivam seu aeque principaliter duae vefplurcs Dioeceses ita coalescunt, ut una tantum fiat. Per unionem vero accessoriam duae vel pluies Dioeceses inter se distinctae manent, ut identificari nequeant. Et ideo in primo casu per unum sacrificium Episcopus satisfacit oneri litandi missam: quia per dictam unionem unus populus factus est; in secundo veio casu plura debet sacrificia offene, eoquod plures habeat populos. Et iniustum esset , ut fideles ex una Dioecesi privarentur missa ad quam ius habent.**

(2) Sic definitum fuit in Visen, ct in dubio proposito s. C. de Propaganda anr.o 1LGJ, ceu relatum est in sequenti appendice.

¡3) Cunfer. Vol. I pag. 407 liar, ephcmcrid.

APPENDIX V.

De onere applicandi Missam Episcopis nuper imposito, deque variis ss. Congregationum resolutionibus, huiusmodi onus respicientibus.

Etsi una haud esset apud Doctores sententia, quoad dies, quibus Episcopi onere tenentur Missam applicandi pro populo; communis tamen omnibus opinio inerat, Episcopos apprime hac gravari obligatione. Apud omnes enim receptum fuerat, veluti ex divino praecepto descendens; « sa» crosanctum missae sacrificium ».a pastoribus animarum appliy> cari debere pro populo ipsorum n curae commisso ». Id quod Tridentina Synodus ***Sess. 23 cap. 1 de ref.*** per haec notabilia verba innuit: u Cum praecepto divino f> mandatum sit omnibus, quibus » animarum cura commissa est, n oves anas agnoscere, pro his n sacrificium offerre. »

Quamobrem ne diutius res incerta maneret, neve ***per inanes et frivolas interpretationes*** huiusmodi obligatio, a sancta Synodo memorata, vel de medio tolleretur, vel saltem extenuaretur, lege scripta opas erat, quae cunctis animarum pastoribus praecise onus imponeret, atque huius oneris dies determinaret. Neque satis esset innuere, obligationem consuetudine pacifice obtinuisse: nam homines generatim onerum impatientes, facile augent ac dilatant dubium, forte enatum, quoad aliquam obligationem, u ***Non, inquam, nos latent multiplicis generis effugia, per quae nonnulli praedictae obligationis*** (parochos gravantis) ***implementum declinare satagunt, ait*** Bened. XIV ***Constit. Cum semper oblatas. »***

Huiusmodi necessitatem apprime perpendentes Emi Patres Tridentini interpretes et vindices, censuerunt haud satis esse respondere affirmative proposito dubio; u An Episcopi teneantur » ad litandam Missam pro popun lo , omnibus diebus dominicis n et festis de praecepto , etiam n suppressis n. Sed responderunt: u Episcopos teneri ad applicatio» nem Missae pro populo: et conn sulendum SSmo ut decernere 77 dignetur, eosdem Missam pro 77 populo applicare debere omni77 bus dominicis aliisque festis 77 diebus, tum de praecepto, tum n suppressis ». Quod ex praxi s. C. Congregationis indicium est, Romanum Pontificem legem fer-

re debere, quae huiusmodi onus abscisse imponat atque dies obligationis determinet.

Haud certe latebat immortales Pontifices Benedictum XIV et Pium IX, pluries a ss. Congregationibus, et praecipue a s. C. C. discussam definitamque fuisse quaestionem de parochorum obligatione; nonnullaque ex decretis illis etiam pontificia sanctione muniri. Attamen edere quisque constitutionem ^ seu scriptam ferre legem bonum esse censuit; ut severitas disciplinae nullo effugio imminui possit. Hinc doctissimus PontifexBenedict.XIV, suprema apostolica auctoritate fultus, edidit Constitutionem ***Cum semper oblatas,*** praecipiens ut Episcoporum quilibet amplecteretur, et promptam executionem in sua quisque dioecesi procuraret huius oneris; ex quo, ut ipse ait, clara sint Tridentini verba, et s. C. C. constanter resol verit: ***u*** eos quibus animarum » cura demandata est, non modo 77 sacrificium Missae celebrare, 7? sed etiam fructum medium pro » populo sibi commisso applicare » debere ».

Immortalis autem memoriae Pius IX iterum declarare necessanum esse putavit , parochos, ceterosque animarum curam actu gerentes, applicare debere sacrum pro populo omnibus diebus festis, etiam reductis. Cui necessitati consuluit per Constitutionem ***Amantissimi Redemptoris*** die 3 Maii 1858.

Qua de re fieri nequi vit, ut onus applicandi Missam pro populo cum dierum determinatione, excelso Episcoporum coetui imponeretur, absque lege scripta, opportune lata, et a suprema B,. Pontificis auctoritate immediate promananti.

Hinc Leo Papa XIII, quo sospite laetamur, rogatus ab EE. PP. s. C. Congregationem componentibus, preces excipiens eiusdemque Congregationis resolutionem ratam habens, Litteras Apostolicas, ***In suprema,*** dedit, per quas omni haesitationi finis imponeretur. Hae Litterae quoad obligationem saepedictam ita sese habent: « His itaque omnibus diu ?? multumque consideratis, audi» iisque venerabilium Fratrum ***n*** Nostrorum S. R. E. Cardina» lium Concilii Tridentini inter?7 pretum sententiis , decernimus 7? et declaramus, omnes et sin77 gulos Episcopos, quacumque di77 gnitate, etiam cardinalitia, au7? ctos, item Abbates iurisdictio77 nem quasi episcopalem in cle77 rum et populum cum territorio 77 separato habentes, in Dominicis 77 aliisque festis diebus , qui ex 7? praecepto adhuc servantur, et 77 qui ex dierum de praecepto fe?7 storum numero sublati sunt, 77 omni exiguitatis redituum ex77 cusatione, aut alia quavis ex77 ceptione remota, ad Missam pro

» populo sibi commisso celebrandi dam et applicandam teneri.

» Et ne cui dubitatio ni aditus » pateat, declaramus, eosdem Epi» copos et Abbates buie officio » satis esse facturos per celebra» tionem et applicationem unius » Missae pro universo populo sibi n commisso, etiamsi duas vel plu» res Dioeceses et Abbatias, ae» que principaliter unitas ren gant. »

Quoniam vero omnibus in adiunctis, cordi nobis est prae oculis ponere lectorum nostrorum quidquid aliquam eisdem afferre queat utilitatem; bine non abs re esse credidimus nonnullas hic referre ss. Congregationum resolutiones, quae ad hanc pertinent materiam. Perspeximus enim in hisce resolutionibus iam enucleata fuisse dubia quamplurima, quae enasci possent ex nova lege lata quoad onus applicationis Missae, nuper Episcopis impositum. De his dubiis nullum fit verbum in Litteris Apostolicis, forsan quia innotuerat ea iam explanata fuisse ministerio .Romanarum Congregationum.

Episcopus Visen, in relatione status Ecclesiae exposuit s. Congregationi Concilii: *u* quod quidem in praedecessorum suorum mentem non venit , nullam unquam Missam pro populo a Cathedralis parochis celebratam fuisse. Ut primum defectum hunc perspectum habuit, illico iussit singulis Dominicis festisque diebus alternatim ab ipsis parochis, unicum pro populo, expensis quoque oratoris, sacrificium offerre. Unicum inquam, licet enim paroeciae Cathedralis quatuor dicantur— attamen Missa pro populo unica esse videtur, quia unica Ecclesia, unicumque tabernaculum. Insuper curati ipsi non proprii titulares, sed revera coadiutores sunt. Adimplent enim parochialia munia nomine Episcopi, cui parochianorum cura immediata incumbit. Ideo ipsemet Episcopus orator approbationem et confirmationem enunciatae providentiae implorat. »

Hinc proposito dubio: ***An unica Missa pro populo, et a quo sit applicanda in casu*** etc. Sacra C. Concilii die 17 decembris anni 1.803 respondit: ***Affirmative, sumptibus parochi et ad mentem*** (1).

Anno 1864 Canonici Cathe-

(1) Animadvertendum est quod quaestio haec amplectitur primo dubium — utrum, praeter Missam quam Episcopus, qua talis, pro Dioecesi celebrat, ut parochus, teneretur etiam lege parochis imposita.— De hoc duplici onere non dubitat s. Congregatio : nam ipse Episcopus, ceu in folio Congregationis exponitur, nedum pro universo grege, sed etiam pro ovibus paroeciae duo distincta sacrificia offerre debet. Hinc s. C. respondit tantum quod unica sit applicanda Missa sumptibus parochi, nempe Episcopi. Qui cum sit legitime impeditus, ne applicationem pro parochianis praestare possit, dnm id pro universo grege facere tenetur, po-

dralis Ecclesiae s. Hippolyti, sede vacante, inter alia statuerunt: *u* In festis Episcopi , quae assignantur in coeremoniali Episcoporum, quoniam Episcopus applicat pro populo, et sacrum solemne hora nona cantat, Canonicus ille qui est simul parochus, liberum se putans ab onere applicandi pro populo, mane hora septima, post concionem, applicat pro benefactoribus ad modum Missae conventualis, quin canonici in choro eidem Missae adsint, *rr*

Re deinceps ab Episcopo ad s. C. Congregationem delata , et proposito dubio: *u* An et quomodo 7? consulendum sit SSmo favore ?» canonici parochi*, super omis- ?? sionibus celebrationis Missae ?? pro populo in casu ??. Sacra C C . die 24 Augusti 1.867 respondit: ***a Affirmative, celebratis missis decem pro populo, infra daos menses; et Episcopus moneat parochum, eum teneri per se ad applicationem Missae pro populo, his etiam diebus, in quibus Episcopus pontificaliter celebrat in Cathedrali, per alium vero his festis in quibus uti canonicus canere et applicare debet Missam conventualem pro benefactoribus*** (1).

Sacrae C. de Propaganda Fide proposita fuere dubia sequentia:

I. *u* An Vicarii Apostolici et ?? Missionarii, qui quovis modo » suscipiunt animarum curam in ?? aliquo determinato loco, tenean- ?? tur indiscriminatim,ex iustitia, ?> applicare Missam pro populo ?? diebus festis. ??

Et quatenus negative

II. In quosnam vicarios apo- ?? stolicos et missionarios eiusmodi ?? onus incumbat ??.

Sacra eadem Cong. de Propaganda Fide die 23 Martii 1863 respondit:

Ad I ***Negative , dummodo non agatur de locis in quibus sedes episcopalis, ac paroeciae canonice erectae iam sint, atque ad ea vicarius apostolicus et missionarii missi sint, ut legitimorum pastorum vices gerant n.***

Ad II Provisum in primo (2).

stnlat tit suo sumptu missa alternatim a parochis applicetur. Quod disertis verbis confirmatur in causa *Nullius Sublacen. Iurium* parochialium 18 Septembris 1824.

(1) Animadvertas velim, tum in dubii propositione, tum in solutione haberi tamquam incontroversum, idem esse onus Episcopi ac Parochi. Ita ut Episcopo onus sit pro sua Dioecesi, parocho autem pro sua paroecia missam applicandi. Confer Acta s. Sedis Vol. III, 365.

(2) Animadverte, s. Congregationem generaliter respondisse missionarios oneri missae applicandae non teneri; ex generali regula tamen excepit Vicarios apostolicos et missionarios, qui re ac nomine episcopali vel parochiali funguntur officio, quos designat uno eodemque *pastorum nomine:* quique ex mente s. Congregationis

Eidem s. Congregationi propositum fuit sequens dubium quoad Episcopum, qui officium Parochi exercet.

VI. *u.* An Episcopus qui officium parochi exercet, applica- » tione Missae pro suis dioece- » sanis , satisfaciat quoque obli- » gationi qua tenetur ad paro- *n* chiale officium. »

VII. *u* Si idem Episcopus non » satisfaciat obligationi, parochi *n* propriae, quoad applicationem » pro populo, quid dicendum su- » per praeteritis omissionibus ? »

Sacra Cong. die 23 Martii 1863 respondit :

Ad VI ***Iuxta exposita negative et ad mentem*** (1).

Ad VII ***Ad d. Secretariam cum SSmo*** (2).

Episcopus Antibaren, in Albania, ceu parochiae administrator dubium proposuit: *u* Teneor *n* ne obligatione applicandi Mis- *n* sae sacrificium pro paroecianis, » diebus festis in paroecia illa, *n* in qua casus accidit, ut parochi *n* munere fungi deberem, vel satis » mihi erit applicatio sacrificii » missae generaliter pro meis » dioecesanis? Propter hoc offi- » cium habeo ex paroecianis de- » cimarum, et provisionum uti-

eodem premuntur onere. Recole Acta s. Sedis Vol. 1,407, ubi quaestio per integrum relata est. Animadvertendum quoque est, hoc decretum declarare responsionem, ab eadem s. Congregatione, initio huius saeculi datam Vicario Apostolico Tunchini occidentalis. Cum iste anceps esset, utrum Vicarius quoque obstringeretur onere applicandi Missam pro populo, s. eadem Cong. de Propaganda Tide ita eidem respondit: « Quaestionibus quas A. T. de Missarum applicatione proposuit s. C. re- » spondit, iuxta ea quae iam alias decreta fuerunt, neque Vicarium generalem, » neque coadiutorem Vicarii apostolici, uti nec ipsum Vicarium apostolicum, ulla **» teneri obligatione, ex iustitia, applicandi missam diebus festis pro populo, cui » praedictis titulis praesunt ; sed ex charitate tantum id decere, ex quo nulla » absolutione opus esse pro omissa sacrorum applicatione per se patet. » In quo responso loquitur s. C. de vicariis Apostolicis, sedem episcopalem non habentibus: de aliis non egit, quia hoc in casu noluit tradere doctrinam absolutam de omnibus ordinibus praelatorum qui dicuntur Vicarii Apostolici.**

(1) Mens est ut Episcopus, si in civitate Newry non habeat Vicarium pro administranda illa paroecia, eumdem constituere debeat; et per illum debeat quoque facere satis obligationi missae pro populo; animadvertens tamen, iuxta §. 9. Constitutionis Benedicti XIV *Cum semper oblatas,* ut consideret huiusmodi onus dum eidem congruam statuit.

(2) Per clausulam *facto verbo cum SSmo,* ceu alias diximus, EE. Patres s. Congregationem constituentes, ministerio Secretarii exposcunt a SSmo Patre gratiae concessionem, aut confirmationem, quam concedere non erat in eorum potestate. Per clausulam vero *dominum ad Secretarium cum SSmo,* iidem Emi. Patres mentem propriam confidunt Secretario, qui coram SSmo eam pandit quoad aliquam quaestionem, vel negotium resolvendum, vel responsum dandum.

v litatem etc. dici ergo posset, » qui ***sentit commodum , debet? » et incommodum sentire;*** nihilo- » minus me decisioni et oraculo n s. Congregationis subiicio r>.

Cui dubio s. Congregatio die 25 Septembris responsum dedit:.. u ***non ita de obligatione, de qua dubitasi an scilicet quum vices parochi in aliqua vacanti cura imples, onus tibi insit Missam applicandi pro paroecialis illis, nam hoc in ca&u satis erit, te diebus statutis Missam applicavisse pro tuis dioecesanis, inter quos paroecia comprehenditur, quam per accidens administras »*** (1).

Sequentes quaestiones enodandae propositae fuerunt eidem s. Congregationi.

I u An obligatio applicandi p) Missam pro populo, quae se- » cundum ius ecclesiae occiden- » talibus imponitur Episcopis et n parochis, locum pariter habeat n in iisdem personis ritus orien- » talis v.

Quatenus affirmative

II « An, quoad dierum deter- » minationem, servari debeant le- » ges et consuetudines rationa- li biles, quae vigere reperiantur n in aliquibus dioecesibus eius- » dem ritus, v

III u An in defectu talium le- n gum et consuetudinum, eiusmo- » di dierum determinatio fieri de- » beat iuxta normam et integram r> extensionem legum occidenta- li lium ».

IV u An ob graves rationes » et circumstantias , locus fieri » possit alicui redactioni dierum, n qui determinati sunt a legibus n occidentalibus et deveniri etiam n ad totalem dispensationem, ob- V ligatione tamen iniuncta orandi » pro populo in iisdem missis, » quae applicari pro eodem de- » berent. »

Sacra eadem Congregatio sub die 23 Martii 1.863 respondere censuit:

Ad I ***Affirmative.***

Ad II ***Affirmative.***

Ad III ***Negative.***

Ad IV ***Provisum in tertio et ad mentem.*** « Mens est ut, data occasione, certiores fiant Episcopi Ecclesiae orientalis de onere quod etiam in ipsa incumbit pastoribus animarum applicandi aliquando Missam pro po-

(1) Emus Tarquini in suo voto ad hoc ait: huius dissensionis ratio est, quod agitur de casu quo per accidens vacua facta aliqua paroecia, Archiepiscopus idonea carehat persona, ut eidem paroeciae consuleret. Et ideo quum praesul vi proprii officii episcopalis, per quod omnes dioecesanos curare debet, paroeciam administrare^ haud fiebat Vicarius paroecialis, neque novum assuinebat titulum. Quamobrem s. C. merito ab onere Missae paroecialis eumdem liberavit, reputans decimas aliosque proventus minime uti argumentum novi tituli assumpti, sed uti meram operis, tunc suscepti, mercedem.

pulo; et quoad dierum determinationem patefiat eisdem disciplina Ecclesiae occidentalis, eo consilio ut ab eis cognita, perpendere queant qua mensura aptari posset eorum dioecesibus, et ut quocumque casu proponerent s. Sedi illa temperamenta quae necessaria reputarent ».

Quoad tempus quo incipit Episcoporum obligatio s. Rituum Congregationi propositum fuit dubium:

u Episcopi tenentur ne ad ap-
» plicationem Missae pro ovibus
» post adeptam possessionem, an
» statim ac electi sunt in consi-
» storio ? »

Sacra Cong. in una ***Marsorum*** diei 12 Novembris 1821 respondit: ***Post adeptam possessionem.*** (1)

Episcopus Marsorum aliam proposuit eidem s. Cong, Rituum quaestionem quoad dies festos, quibus Episcopus celebrat pontificaliter, bis verbis: ***u*** Quum Epi-
» scopus diebus festis applicare
» debeat pro ovibus suis, an Epi-
» scopo hisce diebus pontificaliter
» celebrante, canonici debeant
» Missam conventualem pro be-
» nef actoribus cantare et quan-
» do ».

Sacra eadem Congr. sub die 12 novembsis 1831 respondit: ***u Hebdomadarius , vel is, cui onus inest Missae conventualis, illam celebret lectam vel ante, vel post Missam pontificalem*** ». (2)

Quoad Vicarios capitulares eidem s. Rituum Congregationi propositum fuit dubium ***u Vicacarii capitulares tenentur ne ad hanc Missae applicationem, Sede vacante ? »***

Sacra Cong. respondit: ***Negative.***

Quoad illos qui generatim hanc legem servare tenentur, sequens eidem Congregationi propositum fuit dubium ***u*** Num non solum parochi et qui parochi vice fungentes, curam primariam exercent, sicut hic habetur consuetudo, sed etiam omnes cura subsidiaria ***fungentes ad applicandum pro populo diebus festis obligentur. »***

Sacra eadem Cong. Rituum in una Monasterien. 14 Iunii 1845 censuit respondere: ***u Solum teneri qui animarum curam primariam exercent ».***

Et iuxta hanc doctrinam in Litteris ***In suprema,'*** nuper datis, quoad onus applicandi missam adiecit R. Pontifex: « Quam-
» quam vero minime necessarium,

(1) Gardellini n. 4520.

(2) Gardellini n. 4520. Emes etiam ex hac resolutione quod Episcopus subiicitur eidem obligationi, parochis impositae; qua fit ut diebus festis applicare debeat pro ovibus suis. Hinc Missa haec solemniter pontificata, locum tenere nequit Missae conventualis, ad quam obligantur canonici.

» opportunum, tamen ducimus de-
V clarare, ea quae supra consti-
yy tuta sunt, ad Episcopos non
» spectare, qui ***Titulares*** dicun-
V tur, quique ad dignitatem epi-
» scopa lem promoti, ideo a Ro-
tt mano Pontifice titulo decoran-
» tur Ecclesiarum Cathedralium,
TÍ quae olim florentes, nunc Clero
n populoque catholico destituun-
» tur, ne scilicet antiqua eorum
.» dignitas et memoria penitus
y> deleatur. Cum,, enim ipsi se-
77 dium suarum possessionem non
77 capiant, qua dumtaxat susce-
77 pta munus, de quo diximus ,
77 Episcopi implere tenentur, cum-
77 que nullus neque Clerus, neque
77 populus eorum regimini trada-
77 tur, satis constat, eos uti ca-
77 rent usu atque exercitio pote-
77 statis, ex episcopali consecra-
ri tione acceptae, ita etiam haud
n esse officiis atque oneribus cu-
77 rae episcopalis obnoxios. »

DIVISIONIS REDITUUM PAROCHIALIUM

Die 6 Augusti 1881.

COMPENDIUM FACTI. Die prima Decembris **1879** Sacerdos Diomedes nuncium dedit Paroeciae archipresbyterali, quam regebat in collegiata A. et illico sacerdoti Dominico animarum cura commissa fuit. Qui pro suscepto labore toto ferme tempore vacationis, a die scilicet prima mensis Decembris anni **1879,** ad diem usque secundam Aprilis anni **1880,** nullum emolumentum quod ex redditibus Paroeciae assignari eidem oportebat, congruae titulo, nedum percepit, sed neque sibi tributum iri ab auctoritate civili sperare ei licebat. Quandoquidem nonnisi in memorato mense Aprilis *regium* ut vocant *placitum* assequi potuit, cuius virtute tamquam oeconomus curatus approbatus extitit, ac coepit frui iure ad stipendium, quod ei fuit attributum in summa dumtaxat viginti libellarum.

Hoc interea temporis idem Dominicus nominationem impetra verat a Principe patrono, atque ab 'Episcopo Paroeciae institutionem obtinuerat; quin imo, licet iam novem sint

elapsi menses a die vigesima eiusdem mensis Maii, quo canonice Paroeciae possessionem nactus est, nihil ex fructibus eiusdem percipere potuit, deficiente alia forma ex parte laicae potestatis, quae in bonorum possessionem immittit.

Rebus ita perstantibus praedecessor archipresbyter Diomedes petiit ab Oeconomo curato, ut fructus Paroeciae divideretur iuxta Constitutiones Ecclesiae collegiatae, quarum efficacia annus beneficiarius a prima die Septembris ad finem usque mensis Augusti decurrit. Cum igitur resignaverit Paroeciam sub die prima Decembris, quidquid novus Archipresbyter a Gubernio sit recepturus, cum eodem praedecessore, pro rata temporis trium mensium esse dividendum, proiuetur.

Obstitit Archipresbyter quia Fiscus sibi addixit partem reddituum pro vacationis tempore, et quia, nihil rependit oeconomo curato, donec iste obtinuerit regium *exequatur.*

lì «sceltati© syiioptica

IURA SACERDOTIS DIOMEDIS. Divisionem fructuum pro rata temporis trium mensium faciendam esse tuetur iste, eo quod tralatitium in iure est, fructus beneficii deberi pro servitio personali, et pro congruis alimentis personae servientis, atque ad hunc finem esse constitutos, ad textum expressum in *Cap. Videntes 12 quaest. 1,* ceu eleganter'declaravit Albericus in *leg. Divortio ff. solut. matrim, sub numer. 12;* recte arguendo a fructibus dotalibus bonorum ad fructus beneficiorum ; nam et illi deserviunt pro alimentis uxoris *ad L. pro oneribus L. de Iur. Dot. et L. Assiduis C. qui patronos etc.* In eamdem sententiam abiit Cardinalis De Luca *de benef. disc. 84 n. 6* - ibi - « *Fructus dicuntur potius compensatio, seu merx laboris, ac propterea ex identitate rationis mirare debeant ea, quae habentur in vero participante de fructibus, quamvis inexactis pro rata temporis, ut recompensativis onerum matrimonialium.* »

Affabre autem Septimius Vecchiotti ratiocinatur in opere

cui titulus : *sul metodo di partire le rendite e i pesi beneficiali fra Vantecessore e il successore, §. 78:* Divisio pro rata temporis praebetur ab ipsa natura beneficii, in suo vero aspectu iuridico et canonico perpensi. Quid est enim beneficium ? omnes canonistae conveniunt illud esse « *ius perpe-*
» *tuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae, ratione spi-*
» *ritualis officii, auctoritate Ecclesiastica constitutum, seu*
» *ius obeundi officii spiritualis, auctoritate Ecclesiastica*
» *constitutum, cui ius percipiendi fructus perpetuo adne-*
» *xum est.* » Natura ergo beneficii constituitur in onere et iure ; ita ut hoc ab illo scateat, cum iuxta onera impleta, determinandum 'sit ius dependens. Quapropter si beneficiatus pro anno gravanti oneri satisfaciat, iustum quoque erit, ut pro anno praedicto iure fruatur. Ast onus consistit in servitio Ecclesiae et annexis obligationibus, dum ius respicit redituum beneficialium fruitionem. Ergo hi reditus dividendi sunt, habita ad illud proportione,- id est pro rata temporis. Ergo concludam cum Guttierez ***I.*** *c. n. 33. « Nostra hac de*
» *re sententia et decisio, nempe quod divisio fructuum in-*
it *distincte fiat inter haeredem beneficiari praedefuncti et*
» *successorem in beneficio pro rata temporis est longe ve-*
» *Hor, verissima, et tenenda in praxi* ». Cum itaque Diomedes servitium Paroeciae per tres menses praestiterit, fructus huiusmodi tempori respondentes, eiusdem favore cedere necessario consequitur.

Tandem succurrit Diomedi consuetudo, quam in materia Beneficiorum magno in pretio habendam esse neminem latet. Ita scribit *Maschat Insti t. iur. can. tit. 7 de transi. Episcoporum tit. 6 num. 9* - ibi - « In dividendis fructibus
» inter antecessorem, et successorem maxime spectandam esse
» consuetudinem locorum, quae plerumque aequitate nititur,
» ut neutri fiat iniuria ». Atqui in Ecclesia Collegiata A. viget consuetudo dividendi fructus parochiales pro rata servitii ; ergo fructus pro tribus mensibus Diomedi cedere in aprico est.

Nec obest, ait ille, quod Fiscus, tempore vacationis pa-

roeciae, omnes fructus coeperit : eius enim actio furis actionem aequat, qui partem pecuniae subtrahit de crumena, quae aeque ad duos spectat dominos. Quod in ea relinquitur, absque dubio inter duos dominos esset aequis partibus dividendum. Praeterea ex Oeconomi socordia accidit, quod Demanium pensionem non persolvent eidem, munia curati obeunti. Iamvero alienam socordiam nemini obesse posse tralati ti um in iure est *Rota decis. 228 §.. 2, in Romana seu lmolen. Pecuniaria 20 Ianuarii 1319 cor. Odescalchi.* Itaque ex his quae hactenus enucleata sunt compertum fit, Biomedi ius esse ad percipiendos fructus pro rata temporis, quo Paroeciae inservivit.

IURA OECONOMI CURATI. Altera autem ex. parte videtur Diomedes actione carere adversus Archipresbyterum pro repetendis fructibus. Cuique enim patet, creditorem actionem habere adversus debitorem, ut iste ad solutionem damnetur. Atqui Diomedis debitor est regius Fiscus, qui Paroeciae bona occupavit quique admittere nolit illius Collegiatae consuetudinem : sed pro divisione fructuum sequitur normam civilis anni ; nempe a prima die ianuarii, usque ad ultimam decembris. Oeconomus curatus pro bono pacis concordiam proposuit, qua, deductis mensibus, pro quibus nihil a Fisco recepit, damnum divideretur inter eosdem. Ast Diomedes assensum denegavit concordiae huic, putans se nullum debere pati damnum, ex distinctione inter annum ecclesiasticum et annum civilem, quae nunc a gubernio introducta, subeunda est.

Neque oggerere valet Diomedes, sibi satisfaciendum esse ante parochum, iuxta adagium: prior in tempore potior in iure. Nam extra dubitationis aleam positum est, Diomedem atque Archipresbyterum ex una eademque actione agere, ceu manifeste liquet ex rationibus iam expositis. Profecto quando plures creditores agunt ex una eademque actione, nemo dicitur anterior altero, sed uterque concurrere debet pro rata, Rota *decis. 344. num. 1 per totam part. 17 Recent.*

Hisce itaque animadversis propositum fuit enucleandum

An et quomodo fructus parochiales dividendi sint in casu.

RESOLUTIO. Sacra Cong. Concilii, re cognita, sub die **6** Augusti **1881** censuit respondere :

Negative in omnibus et amplius **(1).**

(1) Quum in themate ex vi pars fructuum abrepta fffèrit a regio Fisco, divisio fructuum fieri nequivit inter antecessorem et successorem in beneficio paroeciali iuxta tempus quo quisque Ecclesiae onera tulit. Ita ut neque consuetudo illius Collegiatae, neque annus ecclesiasticus incipiens a prima die mensis Iulii ad ultimam diem mensis Iunii locum habere poterant. In sequenti quaestione *Divisionis et restitutionis fructuum* conspicere est quamnam sententiam sequuta fuerit s. C. C. quoad fructuum divisionem.

DIVISIONIS ET RESTITUTIONIS FRUCTUUM

Die 28 Ianuarii Í882.

COMPENDIUM FACTI. Per renunciationem ab oeconomo parocho Hieronymo Ordinis s. Augustini die **12** Ianuarii **1880** emissam et ab Episcopo acceptatam, vacavit ruralis paroecia sub titulo ss. Apóstol. Petri et Pauli in oppido existens, ad quam regendam uti Curatus pariter Oeconomus sacerdos Pa^ ciliciis ab Episcopo suffectus fuit.

Hic tamen administrationem paroeciae recipere noluit, donec de honesta sustentatione provideretur, ex eo quod parochus Hieronymus fructus prope omnes, anno proxime elapso maturatos perceperit. Id aegre ferens Episcopus, haud parum adlaboravit, ut res antecessorem inter et successorem amica transactione tandem componeretur. At cum eius ten-

tamina nihil proicerent, totum negocium ad se avocavit, et eiformato reddituum schemate iuxta computum anni ecclesiastici, a die nempe prima Iulii 1879 ad diem 30 Iunii 1880, in duas aequales portiones eos divisit, quarum unam a resignante Parocho rependendam Oeconomo assignavit.

Huiusmodi sed vero Episcopi agendi ratio antecessori haud placuit, qui suas querelas Episcopo exhibuit, efflagitant, ut ratio haberetur etiam sex mensium et duodecim dierum quibus ad regendam paroeciam incubuerat. Hisce acceptis, ad inducias animarum bono perniciosas removendas, Episcopus data litera 7 Maii 1880 Hieronymum certiorem fecit, ut vel mandatis obtemperaret, vel curae animarum exercitium usque ad mensem Iunium denuo susciperet. Quod si infra quatuor dierum spatium, unum vel alterum executioni demandare renueret, suspensionem a divinis *ipso facto* incurreret.

Talibus minis Hieronymus perculsus novo Oeconomo summam libellarum centum septuaginta quatuor, iuxta Episcopi computum, persolvit, Episcopum praemonens, quod s. Sedi recursum exhiberet.

Disceptatio Syitoptlca.

DEFENSIO PAROCHI. Parochus Regularis totus in eo est, ut ostendat sibi deberi tam. integros fructus totius anni 1879, quam fructus respondentes duodecim diebus, quibus, incipiente anno 1880, operam suam in Parochi qualitate praestitit : ac proinde Episcopi decisionem, esse respuendam, vel sin minus reformandam, ex eo quod ipsa tum praxi, tum iuri hac de re vigenti refragetur.

Ad praxim quod spectat animadvertit ; a gubernio italico, post politicam occupationem, constitutum fuisse, redditus et onera beneficii dividi debere pro rata temporis, absque ulla distinctione inter antecessorem et successorem iuxta annum civilem. Praxis huiusmodi, ait Parochus, quamvis vi et illegitime introducta, viget in tota Italia: eamque universaliter sequuta est nostra Dioecesis, excepto casu de quo agitur.

Hinc episcopalis decisio omnino adversatur constanti observantiae, ab Apostolica sede, saltem toleratae.

Hisce quoad praxim perpensis, quaestionem examinandam suscepit relate ad leges canonicas, iisque Episcopi decisionem non minus contrariam esse, hisce verbis contendit. Ex iure canonico certum est, quod, vacante paroecia, Episcopus nominat Oeconomum, cui retributio constituitur, eidem rependenda pro rata temporis, quo servitium praestitit. Orator etiam oeconomus nominatus fuit ; sed attenta beneficii tenuitate , omnes paroeciae redditus, omniaque onera implenda Praesul eidem tradidit. Qua de re, quum orator, servitium praestiterit et onera impleverit per undecim annos, omnes redditus consequi debuisset pro annis undecim, minime vero pro annis decem cum dimidio.

Attamen quidquid sit de praxi generali, ius vigens in nostra Dioecesi est illud a R. Camera spoliorum sequutum ; iuxta quod annus beneficialis incipit die prima Iulii, desinitele ad diem trigesimum Iunii. Quum vero Episcopi decisio tum praxi quae in dioecesi M. constanter observata fuit, tum iuri ecclesiastico adversetur, orator orationem suam concludit expostulans, ut eadem decisio vel quavis firmitate destituatur, vel sin minus aequitatis gratia reformetur.

DEFENSIO EPISCOPI. EX altera sed vero parte Episcopus **M.** facta ab oratore, haud recte enarrata, ut ipse ait, corrigens, et obiecta circa praxim et leges ecclesiasticas in Dioecesi, hac de re vigentes, ex adverso prolata refutans, fructuum distributionis schema, ad evitanda iurgia et scandala partibus contendentibus indictum, utpote consuetudini et iuri ecclesiastico in sua Dioecesi adhuc vigenti consonum confirmandum esse sustinuit. Haec omnia large demonstratur ab Episcopo, ut decisio, tecta sartaque maneat. Ostendit etiam, sese suspensionem interminasse utrique contendenti ad scandala Unienda, minime vero soli parocho, ut ipse retulit. Quae suspensio incurrenda non erat *ipso facto,* sed postquam Vicarius generalis retulisset, partes contendentes concordiam respuisse intra perentorium tempus, ne parochia diutius pastore

viduata maneret. Hinc fit clarum quod Parochus, novae legi innixus, qua pro redditibus diribendis pro norma sequitur annum civilem, nihil rependere Oeconomo in deliciis haberet.

Hoc praemonito Episcopus ad demonstrandum pergit, praxim distribuendi fructus, incipiendo a prima die mensis Iulii ad ultiman diem mensis Iunii anni sequentis, nunc etiam in viridi observantia esse, donec difficiles temporum circumstantiae aliter fieri suadeant. Verumtamen cum praesens quaestio perdifficilis et implexa esse videatur, perspicuitatis gratia, aliquid in iure ex officio delibare operae pretium est. Ac praeprimis animadvertendum occurrit fructus omnes quadruplici modo a scriptoribus, tum civilis, tum canonici iuris considerari. Alii scilicet *civiles,* alii *naturales,* alii *indu-' striales,* alii autem *mixti* dicuntur.

Quoad *civiles,* si beneficii vacatio contigerit ob mortem beneficiati, eorum divisionem dietim faciendam esse tradunt De Rosa *Cap. 7 num. 51 de recta distr ib. reddituum ecclesiast.,* Card. De. Luca *disc. 84 num. 4 de ben.* Quod si vacatio contigerit ob resignationem, et haec fuit *simplex* et *voluntaria,* resignanti, nisi reservatio praecesserit, nihil deberi videtur, quia ipse condonasse praesumitur. Si vero fuit *necessaria,* contraria obtinet regula. Sed mox citata admittenda esse videntur, tum cum agitur de simplici beneficiario tantum lucrativam causam habente. At si de beneficii curati possessore sermo sit, qui et administrationem et servitium praestare tenetur, aliter sentiendum esse docet laudatus Card. De Luca *in cit. disc. 84 num. 5 et seq.*

Relate vero ad fructus *naturales simpliciter et industriales seu mixtos,* distinctione opus esse videtur. Isti enim vel sunt iam a solo separati, licet nondum exacti, seu in horreum congregati vel pendentes. Circa fructus a solo separatos, sed non adhuc exactos, in diversam sententiam abeunt Doctores. Alii enim ad beneficiati haeredes, alii autem ad successorem in beneficio pertinere tenent ; ceu innuit Thomas de Rosa *Cap. 7 de recta distrib. reddituum eccle~ siasi.*

Fructus vero pendentes vel in utilitatem Ecclesiae expendi debere, vel in beneficio successori reservari, patet ex *Cap. Cum vero 4 de Offic. Ordinarii, ex Cap. Praesenti 9 eod. in 6° leg. si usufructuar ius ff. quibus modis usufructus omitt. et §. Is vero Instit. de rerum divisione,* ubi haec leguntur : « *Is vero ad quem usufructus fundi pertinet, non aliter dominus fructuum efficitur, quam si ipse eos perceperit. Et ideo si maturis fructibus, nondum tamen perceptis, decesserit, ad haeredes eius non pertinent, sed domino proprietatis acquiruntur.* » Consonat Constitutio Iulii III *Cum sicut* confirmata ab Urbano VIII in sua Constitutione « *Aeternus rerum Conditor* » in qua laudatus Pontifex statuit, quod fructus tempore mortis Beneficiati nondum percepti, successoribus in beneficio acquiruntur, ubi non debent Rev. Camerae Apostolicae persolvi. Videsis S. C. C. in *Veliterna Capellaniarum 26 Maii 1722 §. Iuxta.*

Verumtamen non desunt, haud intimae notae, auctores, qui sublata qualibet fructuum distinctione, eos inter antecessorem in beneficio indistincte dividendos esse tenent pro rata temporis et servitii quod quisque praestitit. Quae sententia, praeterquamquod aequitati magis consona esse videtur, facilius et efficacius necessitatibus et congruae sustentationi illius prospicit, qui in illo anno ad beneficium regendum praeficitur. Audi sane quid ad rem docet Pellegrini *Consil. 85 Vot. 4* - ibi - « Beneficium ecclesiasticum in effectu nihil aliud » est, nisi militia quaedam coelestis in servitio Dei ad mi- » nisterium : qua ratione, quia qui altari servit de altare » vivere debet, et ad hoc destinati sunt fructus beneficiorum » ad t§xtum expressum in *Cap. Videntes 12 q. 1.* conclu- » dunt Doctores, quod fructus beneficii, etiamsi in totum col- » lecti fuissent a Rectore mortuo puta in mense Octobris, » debeant pro rata dividi cum beneficiario, ut et ipse ex fru- » ctibus illis commode vivere possit, inspectis reditibus be- » neficii usque ad novum recollectum *v* quoniam, ut dixi, » *fructus beneficii debentur pro servitio personali et pro* » *congruis alimentis personae servientis et in id sunt depu-*

» *tati...* ***Tui*** est aequissima distinctio, imo necessaria: secun-
» dum quam manifeste liquet, beneficiarium mortuum *non*
» *facere fructus illius anni suos omnes ad commodum*
» *suorum haeredum, sed tantum pro rata temporis, quo*
» *inservit post novos fructus* ».

Imo hanc sententiam nedum aequitati consonam, sed in ss. Canonum dispositionibus fundamentum habere docet Clericatus *Tom. 1 Discord. Forens. disc. 37 num. 6* citans *C. Videntes 12 q. 1 Cap. Etc his ead. caus. 12 q. 1 Cap. ult. §. Porro de Off. Ordin. Extrav. suscepti regiminis 2 de Elect. et Gier, potest.* Barbato *De divis. fruct. part. 2 cap. 8 num. 8*- ibi - «fructus sunt pro rata temporis di-
» videndi inter haeredes beneficiati defuncti et successores ;
» et hoc sive *de pendentibus fructibus agatur ac extanti-*
» *bus, sive etiam de perceptis ad instar fructuum rei do-*
» *talis...* Adde ecclesiasticos fructus fuisse destinatos ad hoc,
» ut ex illis sustineantur onera per annum integrum donec
» novi habeantur : rationabile proinde sit, *ut pro rata tem-*
» *poris servitii dividantur, attenta aequitate* ».

Quae cum ita sint, mirum non est si eam amplexa sit S. C. C. in *Signina Constitutionum Capitularium 24 Ian. 1829* §. *Verum.* Interpellata siquidem utrum confirmanda esset Constitutio capitularis Ecclesiae collegiatae Montisfortini, quae statuerat divisionem fructuum pro rata servitii faciendam esse, re mature discussa, respondit *«Affirmative, facto verbo cum SSmo ».*

Verum haec sententia, licet iustitiae et aequitati quammaxime conformis sit, tamen magni ponderis difficultatibus obnoxia est. Sane admissa hac regula ius novum in hoc puncto destituitur a fel. mem. Pio II et V, Iulio II et III, Paulo IV et Clemente VII inductum et Rev. Camerae Spoliorum, cui facta est dictorum fructuum applicatio iure spolii, haud leve praeiudicium irrogatur. Huic sed vero difficultati occurri posse videtur, animadvertendo huiusmodi novam regulam non privatorum placitis, sed suprema Principis auctoritate inducendam esse qua accedente nec iuri communi nec R. C. Spo-

Horum vulnus infligitur. Quin imo relate ad R. C. Spoliorum ipsius iura sarta tecta servari posse videntur per appositionem clausulae *«salvo in omnibus iure R. C. Spoliorum.*

Hisce praeiactis, enucleandum propositum fuit

D u b i u m

An fructuum divisio ab Episcopo M. peracta» sit confirmanda vel infirmanda, vel reformanda in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. **re** discussa sub die 28 Ianuarii 1882, censuit respondere :

Fructuum divisionem ab Episcopo peractam, esse confirmandam et amplius.

Ex quibus colliges:

I Beneficium Ecclesiasticum, iuxta Canonistas, esse ius obeundi officii spiritualis, auctoritate ecclesiastica constitutum, cui ius percipiendi fructus perpetuo annexum est.

II Ergo onera et iura constituere beneficiorum indolem; ita ut haec ab illis scateant, iuxtaqus onera impleta determinanda sint iura.

III Hinc attenta aequitate, rationi consonum fit, ut pro rata temporis servitii dividantur fructus ecclesiastici, destinati ad hoc ut **ex** illis sustineantur onera per annum integrum, donec novi habeantur.

IV Huiusmodi sententiam inniti quoque ss. canonibus erui **ex** *cap. Videntes 12 quaest. 1* et *cap. Ex his ead. caus. 12* ***q.*** i; in quibus dicitur bona a fidelibus esse tradita Ecclesiis, ut earum ministri ex sumptibus eorumdem bonorum possint vivere : nam lex Dei praecipit, ut qui altari deserviunt, pascantur de ipso.

V Qua de re, iuxta hanc opinionem, omnes fructus dividi debere cum beneficiario successore ; etiamsi a demortuo rectore fuerint collecti, puta mense octobris ; ut et ipse **ex** fructibus illis commode vivere possit: quoniam fructus bene-

ficu debentur pro servitio personali, et pro congruis alimentis personae servientis.

VI Proinde nedum aequitati, sed etiam iustitiae consonum esse, ut, quo tempore beneficii quisque sui onera tulit, per id ipse debeat eiusdem beneficii commoda sentire.

VII In themate s. C. Congregationem sequutam esse hanc dividendi fructus normam (quae a DD. quamplurimis, aequior et iure verior reputatur) quum declaraverit confirmandam esse Episcopi sententiam, qui fructus paroeciae diviserai, iuxta tempus praestiti servitii. (1)

(1) Confer Vol, VIII pag. 193. In quaestione ibi relata s. C. Concilii respuendo consuetudinem contrariam declaravit fructus omnes beneficii, detra* ctis oneribus, dividendos esse pro rata temporis, quo quia beneficium possedit.

EX SACRA RITUUM CONGREGATIONE

CALAUGURITAN. ET CALCEATEN.

DECRETUM quoad festum s. Ioseph occurrens a Dominica Palmaram...

RMUS DMUS EPISCOPUS CALAGURITANUS ET CALCEATENSIS sacrae RITUUM CONGREGATIONI SEQUENS DUBIUM RESOLVENDAM HUMILLIME PROPOSUIT, NIMIRUM:

FESTUM SANCTI IOSEPH B. M. V. SPONSI ET CATHOLICAE ECCLESIAE PATRONI, QUOD AD RITUM DUPLICIS PRIMAE CLASSIS A SA. ME. PIO PAPA IX ELEVATUM FUIT, OCCURRENS A DOMINICA PALMARUM USQUE AD FERIAM V IN COENA DOMINI, ITA UT FESTUM ANNUNTIATIONIS DEIPARAE ABSQUE PRAECEPTO SACRUM AUDIENDI ET A SERVILIBUS ABSTINENDI TRANSFERATUR, EST NE TRANSFERENDUM IUXTA RUBRICAS BREVIARII , VEL PRAEPONENDAM FESTO ANNUNTIATIONIS?

SACRA VERO RITUUM CONGREGATIO, REFERENTE SECRETARIO, AUDITA SENTENTIA ALTERIUS EX APOSTOLICARUM CAEREMONIARUM MAGISTRIS, RESCRIBERE CENSAIT: ***Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam partem.*** ATQUE ITA RESCRIPSIT **et** SERVARI MANDAVIT. DIE 8 MARTII 1879.

EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA

Declarationes quoad eos qui a lege ieiunii dispensantur ratione aetatis, laboris et affectae valetudinis.

Die 24 Februarii 1819 sacro Tribunali s. Poenitentiariae Apostolicae propositum fuit enodandum sequens

Dubium

u An fideles, qui ratione aetatis vel laboris ieiunare non tenentur, » licite possint in quadragesima, cum indultum concessum est, omni» bus diebus indulto comprehensis, vesci carnibus et lacticiniis, per » idem indultum permissis, quoties per diem edunt ! »

Sacra eadem Poenitentiaria sub die 24 Februarii 1819, re pon» derata, censuit respondere: ***u Posse ».***

Episcopus Salfordien. prae oculis habens praelatam resolutionem, eidem s. Tribunali s. Poenitentiariae sequens proposuit

Dubium

a An ii qui ratione affectae valetudinis a lege ieiunii dispen» sati sunt, possint iis diebus, quibus per indultum esus carnium » concessus est, saepius per diem carnibus vesci?

Sacra eadem Poenitentiaria, mature ac diligenter perpenso proposito dubio, sub die 16 Martii 1882 respondendum censuit: ***u Fideles, qui ratione affectae valetudinis a lege ieiunii seu unicae comestionis eximuntur, licite posse, Us quadragesimae diebus, quibus esus carnium, per indultum permissus est, toties carnibus vesci, quoties per diem edunt. »***

Datum Romae in s. Poenitentiaria die 16 Martii 1882 (1)

(1) Has duas declarationes hausimus ex Archivio ipso eiusdem Tribunalis s. Poenitentiariae.

SUMMA ACTORUM

QUAE IN HOC VOLUMINE XIV CONTINENTUR

LITTERAE ET RESPONSUM ROMANI PONTIFICIS

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

EX S. CONGR. CONCILII

EX S. CONG. EPISC. ET REGUL.

EX S. CONGR. RITUUM

EX S. CONGR. S. R. U. INQUISIT.

EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA

EX S. CONGR. INDICIS

EX AEDIBUS VICARIATUS

APPENDICES

INDEX GENERALIS

Eae autem conclusiones sub sequentibus verbis comprehenduntur:

Aetas quoad Seminarium ingrediendum.

Ex Tridentino *Sess. 23 cap. 18 de ref.* declaratur incapax ingrediendi Seminarium, qui infra duodecimum aetatis suae annum constitutus fuerit, si tamen expensis Seminarii alendus sit. *pag.* 384.

Ex recenti declaratione s. G. Congregationis declaratum fuit sufficere, ut annus duodecimus inchoatus sit, pro illis, qui in Seminario gratis aluntur, *reliquos vero non comprehendi in lege Tridentina, ibid.*

Appellatio

Quod per maiorem et saniorem Capituli partem decernitur, intelligi debet a toto Capitulo peractum fuisse, neque appellationem admittere, et praevalere, appellatione remota, *pag.* 371.

Canonicus infirmitate domi detentus potest, in omnibus gravioribus Capituli negotiis, suum dare votum per procuratorem; quinimo, iuxta nonnullos doctores, etiam non impeditus legitima causa, potest in omnibus constituere procuratorem, excepto electionis negotio, *ibid.*

Beneficium quoad institutionem.

Testatorum voluntates omnino servandas esse, omnia iura clamant, quando disertis verbis admittunt aut excludunt aliquas personas a successione in iurepatronatus. *pag.* 426.

Qui iure passivo fruuntur, eoquod nominati censeantur ab ipso fundatore, iure proprio obsistere

Beneplacitum Apostolicum.

Capitulum quoad convocationem.

fuerit vocatus neque interfuerit, actus capitulares infirmari queunt, si ille reclamet et se despectum seu non invitatum probet, *ibid.*

Confraternitates

Post decretum *Urbis* et *Orbis* anno 1703 editum, ut iuges dirimerentur quaestiones inter parochos et confraternitates, haud denegari potest eisdem confraternitatibus facultas eligendi proprios cappellanos, qui-peragant in earumdem Cappellis omnes functiones non paroeciales, independenter a parocho, ***pag.*** 477.

Praeter ea iura et privilegia quae quodlibet Sodalitium, canonice erectum, obtinet per Decretum citatum *Urbis* et *Orbis*, et ea consequitur, per communicationem, quae concessa fuere Archisodalitio, cui aggregetur. *ibid.*

Iuribus, quae potiuntur sodales, et illud adiicitur administrandi bona propria, et de illis disponendi, ceu resolvit cit. *Decret,* sub dubio 31. *pag.* 478.

Adversus iura haec et privilegia sodalitiis a iure communi impertita, nullum ponere possunt obstaculum neque Ordinariorum statuta, neque constitutiones Synodorum particularium ; utpote quae praeiudicium inferrent supremae Apostolicae Sedis auctoritati, et iuri communi, *ibid.*

Cruces quoad elevationem

Ex iure certum est in funeribus unicam crucem esse elevandam tumulantis Ecclesiae, seu tantum esse deferendam crucem illius Ecclesiae, ad quam funus deducitur. ***paQ.*** 526.

Innumerae proinde sunt resolutiones s. Rituum Congregationis, quae unicam praescribunt esse deferendam Crucem in funeribus ducendis; ast quamplurimae, ex istis resolutionibus, praecipiunt consuetudines immemorabiles esse servandas. *Ibid.*

Saepe enim in re liturgica sacrisque caeremoniis, non ex iure communi quaestiones definiuntur, sed ex limitationibus, pactis et observantia; eoquod Decretum Urbis et Orbis 1703, qno triginta tria dubia resolvuntur, adiecerit: *salvis consuetudinibus immemorabilibus, vel saltem centenariis. Ibid.*

Immemorabilis consuetudinis ea est vis, ut suppleat iustum titulum , quo melior allegari nequeat : quique sufficiat in iis, quae sunt contra ius, eiusque resistentiam habet; eoquod clausula revocatoria, *non obstante quacumque consuetudine,* non comprehenditur consuetudo immemorialis. *Ibid.*

Immemorabilis consuetudo est maioris virtutis eiusdem apostolici privilegii ; cum ipsius ope quis possit allegare meliorem titulum de mundo; et quamvis habens immemorialem, allegare valeat etiam privilegium, non tamen habens privilegium allegare valet immemorialem, ***pag.*** 527.

Et de iure communi in funeribus unica esset deferenda Crux, nempe Ecclesiae lumulantis; tamen ius a consuetudine modificari potest ita, ut Card. De Luca ad rem dixerit: « Regula est, ut omnes sub » unica cruce incedant, nisi con» suetudo aliter statuat. » *Ibid.*

Damna quoad repetitionem

Is, qui agit ad repetenda damna , primum evincere debet uti certum, commodum et lucrum quod amisisse queritur; praeterea amissionem ex eius facto derivare, a quo indemnitatem petit. pa</. 500.

Damnum haud intulisse dicitur, qui facit aut omittit, quod facere aut omittere ius habet; et ideo nulla querela damni adest, etsi ex hoc alteri damnum obvenerit *Ibid.*.

Distributiones chorales.

Nulla est eicusatio vani timoris; sed solummodo metus cadens in virum constantem excusare potest canonicum ab onere residendi. *pag*. 172.

Ad constituendum metum legaliter iustum, et cadentem in virum constantem, nedum requiritur quod malum sit in se magnum et grave, sed etiam quod metuens non possit facile illud depellere, *ibid.*

Impotens ad resistendum censetur, qui huic metui occurrere nequeat: etenim verificatur impotentia, quando absentia non est voluntaria, seu quando noa stet per beneficiatum, quominus resideat. *Ib.*

Episcopus quoad confessiones

Sacerdotes tam saeculares, quam regulares, in his quae curam et sacramentorum administrationem concernunt, omnimodae inrisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi dioecesani, nullo suffragante privilegio, subiiciuntur, *pag*. 410.

Ideoque in facultate Episcopi positum est concedere, negare et limitare facultatem audiendi sacramentales confessiones; et amovere confessarios, etiam regulares, iam approbatos, quos viderit haud se gerere integre et cum aedificatione, ceu sanctitas ministerii, eisdem commissi et animarum salus deposcunt, *ibid.*

Etenim neminem latet, talem esse debere confessarium, quem vitae integritas, doctrina, prudens iudicium omnibus commendet; eoquod *cuius vita despicitur, restat ut omnia spiritualia, ab eo exhibita contemnantur.* ibid.

Episcopi possunt rationabiliter praepedire ne missa aliqua celebretur ante missam parochialem, quatenus videant populos retrahi a missa parochiali et concione in ea per parochum haberi solita, *ibid*,

Episcopus quoad missam pro populo

Etsi nondum neque divino neque humano iure definitum esset quoties vel quibus diebus Episcopi missam litare pro populo deberent, hoc onus tamen semper habitum est non postremum inter Episcoporum officia, *pag.* 547.

Etenim quum onus litandi missam pro populo et" ipsa natura officii curae animarum enascatur; hinc rite exurgit, hanc obligationem in Episcopis esse maiorem, quia cura animarum, vi consecrationis episcopalis, ad eosdem proprie pertinet, eorumdemque conditionem, dignitatem et gradum constituit, *ibid.*

Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis... Et propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis, ibid.

Neque Episcopus sese exonérât, iuxta divum Thomam, quando presbyteris curam parochiae committit: *quia adhuc pertinet ad eum* habere curam totius plebis sibi commissae, unde et Apostolus de se dicebat *2 Corinth. 11: praeter illa quae extrinsecus sunt instantia, mea quotidiana sollicitudo omnium ecclesiarum, pag.* 548.

Ut quaestionibus dubiisque aditus praecluderetur, et disciplinae uniformitas haberetur Apostolica Sedes constituit, Episcopos omnes Ecclesiae orientalis et occidentalis, etiam ceu Parochi, teneri ad applicationem missae pro populo, omnibus dominicis, aliisque festis diebus tum de praecepto, tum suppressis, *ibid.*

Verum ex nuperrimis litteris apostolicis animarum pastores *huic officio satis esse facturos per celebrationem et applicationem unius missae pro universo populo sibi commuso, etiamsi duas vel plures Dioeceses et Abbatias aeque principaliter unitas regant, ibid.*

Colliges etiam, Hpiscopos litantes missam praedictis diebus pro fidelibus suae Dioecesis, haud satisfacere oneri litandi missam pro populo suae poroeciae, si paroeciam habeant, *ibid.*

Hoc onere litandi missam tenentur Vicarii quoque Apostolici, degentes in locis in quibus Sedes episcopales canonice erectae iam sunt, et ad ea loca missi fuerint ut legitimorum pastorum vices gerant, *ibid.*

Fructus toeneñciales quoad divisionem

Beneficium Ecclesiasticum, iuxta Canonistas, est ius obeundi officii spiritualis, auctoritate ecclesiastica constitum, cui ius percipiendi fructus perpetuo annexum est.pay.566.

Ergo onera et iura constituunt beneficiorum indolem; ita ut haec ab illis scateant, iuxtaque onera impleta determinanda sint iura. *ib.*

Hinc attenta aequitate rationi consonum fit, ut pro rata temporis servitii dividantur fructus ecclesiastici, destinati ad hoc ut ex illis sustineantur onera per annum integrum, donec novi habeantur, *ibid.*

Huiusmodi sententiam inniti quoque ss. canonibus eruitur ex *cap. Videntes 12 quaests 1* et *cap. Ex his ead. caus. 12 r. 1;* in quibus dicitur bona a fidelibus esse tradita Ecclesiis ut earum ministri ex sumptibus eorumdem bonorum possint vivere : nam lex Dei praecipit, ut qui altari deserviunt, pascantur de ipso. *ibid.*

Qua de re, iuxta hanc opinionem, omnes fructus dividi debent cum beneficiario successore; etiamsi a demortuo rectore fuerint collecti, puta mense octobris; ut et ipse ex fructibus illis commode vivere possit; quoniam fructus beneficii debenturpro servitio personali et pro congruis alimentis personae servien lis. *pag.* 567.

Proinde nedum aequitati, sed etiam iustitiae consonum est, ut quo tempore beneficii quisque sui onera tulit, per id ipse debeat eiusdem beneficii commoda sentire, *ibid.*

Iubilatio

Eruitur ex Benedicto *XIV de Syn. Dioec. 1.13 cap. 9 n. 15,* obtinentem iubilationem habere ius ad omnes praebendae fructus, dum non tenetur amplius choro interesse, neque residere in loco ubi obtinuerit chorale beneficium.*p.* 84.

indultum iubilationis tamen conceditur uti praemium quadragenarii servitii choralis, laudabiliter praestiti: quo cessante, cessat huius remunerationis causa. *ibid.*

Eiusmodi indulto donatus, immunis est ab omnibus oneribus et functionibus canonicalibus : ita ut neque per se, neque per aliam personam his satisfacere teneatur, *ib.*

Adiuncta tamen specialia aliquando efficere possunt, ut indultum non habeat plenam remunerationis rationem, et aliquas limitationes accipere" queat. *ibid.*

Iura parochialia

Ex *Cap. Is. qui 3 De Sepult.* parochus habet iuris assistentiam in funeribus decedenlium intra limites suae Paroeciae, ratione spiritualis officii, ab eodem Parocho exerciti , dum paroeciani viverent, *pag.* 215,

Parochiani enim vocantur, quoad sepulturam, illi qui intra limites paroeciae ita morantur, ut Sacramenta vivi in ipsa percipere et Parochi ipsis administrare teneantur, *pag.* 216.

Officium parochiale proprie lor quendo haud videtur affixum loco, sed fundatur in personis paroecianorum; ita ut quocumque sese conferant ius Parochorum super eisdem integrum maneat, *ibid.*

Et ideo qui ruri agit, seu ra-

Legatum pium

In quamplurimis differunt ecclesiastica beneficia a legatis piis et a capellaniis laicalibus, ***pag.*** 21.

Substantiale tamen discrimen inter beneficia ecclesiastica et alia pia relicta, in hoc praecipue consistit, quod in beneficiis et capellaniis ecclesiasticis fundandis, decretum erectionis, et in eorumdem collatione canonica institutio omnino requirantur; quae non requiruntur pro piis legatis aut laicalibus capellaniis. ***pag.*** 22.

Capellaniae laicales et legata pia parum inter se differunt; hinc illae ceu legata pia considerari solent, ***ibid.***

Beneficia et legata pia praesumuntur perpetua , nisi contrarium clare demonstretur ex voluntate testatorum, vel quia Summus Pontifex perpetuitatem abstulerit, et invexerit manualitatem. ***ibid.***

Testatorum voluntates, praecipue ad pias causas et fundationes habentur legis instar; ita ut solus R. Pontifex, iuxta interveniente causa, possit easdem voluntates et fundationes in alios usus vel causas commutare, ***pag.*** 250.

Quum pius testator neque numerum neque Missarum eleemosynam praestituerit, videtur ex praesumpta eius voluntate, tot celebrandas esse Missas in expiationem animae suae, quot possint cum reditibus fundi relicti, iuxta dioecesanam taxam. ***pag.*** 251.

Litterae testimoniales

Cum unusquisque a proprio Episcopo ordinari debeat, extraneo neque tonsuram, neque ss. ordines conferri nequeunt, nisi istius extranei probitas et mores commendentur per litteras proprii Episcopi testimoniales, ***pag.*** 397.

Optimo iure id constitutum fuisse videtur ad vitandas dissentiones inter Episcopos (inter quos mutuam venerationem et reverentiam foveri decet) atque ne indigni, a propriis Episcopis reiecti, a non propriis, promovendorum malitiam ignorantibus, ad sacros ordines promoveantur , in suarum animarum perniciem et ecclesiastici ordinis dedecus, ***ibid.***

Huiusmodi litterae testimoniales, ita disertis verbis a iure exposcuntur, ut eisdem nulla alia remedia sufifici queant: ***ubi enim lex non distinguit, nec nos distinguere debemus,*** ibid.

Matrimonium

Requiritur, praeteralia, seminum commixtio et copula apta ad generationem, ut vir et mulier per unionem carnalem fiant una caro ; et matrimonium consummatum dici queat. ***pag.*** 68.

Ideo impotentia censetur, quatenus vir vas femineum penetrare non possit, quamvis in illius introitu semen effuderit, ***ibid.***

Perpetua menstruorum carentia in femina innuit impotentiae impedimentum, *ibid.*

Per dispensationes ab Apostolica Sede indultas consulitur bono ac decori sacramenti matrimonii, saluti spirituali et quieti coniugum;" qui nomine et iure matrimonii, existente periculo impotentiae, occasionem haberent incontinentiae, et continuum confoverent peccatum, *ibid.*

Ubi Tridentinum publicatum fuit, nulla atque irrita declaranda sunt matrimonia, quae inita fuerint absque proprio Parocho, sive Sacerdote, de Parochi aut Ordinarii licentia, et absque duobus saltem testibus, *pag.* 79.

Neque proprius Parochus haberi potest, quoties deficiat domicilium, aut quasi domicilium contrahentium, *ibid.*

De legitimitate prolis enatae ex matrimonio invalido haud est dubitandum, quoties in celebratione eiusdem matrimonii bona adfuerit fides, ex parte saltem unius ex contrahentibus, *pag.* 80.

Cum matrimonium, ex natura sua, sit status firmus et irrevocabilis , *generaliter* error et dolum infirmare nequeunt eiusdem sacramenti validitatem et perpetuitatem, *pag.* 1S4.

Consensus enim, qui est causa matrimonii efikiens, respicit personam, non eius qualitates; et contrahentium voluntas absolute consentit et independenter ab aliis conditionibus, praeter eas, quae sunt de substantia eiusdem contractus, *ib.*

Potestate dissolvendi matrimonia rata Romani Pontifices utuntur ceu remedium ad gravia ab Ecclesia avertendi damna, ad rixas et caedes inter familias praevertendas, quae ex male ommatis connubiis oriri solent, *ibid.*

Ast quaelibet causa haud satis est, sed gravissima requiritur ad hoc, ut Pontifex eiusmodi adhibeat auctoritatem, qua uti solet ad regimen et bonum Ecclesiae, *p.* 155.

Quamobrem in praxi expendendum esse videtur an expetita dispensatio ab Apostolica Sede conferat ad bonum commune Ecclesiae, vel gravius valeat inferre damnum ob futura scandala, quae gignere queat. *ibid.*

Quapropter feminae dispensationem postulanti accommodatum videtur responsum Alexandri IH *Cap. Licet 3 de Sponsa duor. - Non licet mulieri, alteri nubere: et si nupserit, etiamsi carnalis copula sit se' cuta, ab eo separari debet ; et ut ad primum redeat, ecclesiastica distrùttone compelli,* ibid.

Praeter facultatem a s. Poenitentiaria Episcopis concessam , dispensandi super impedimento occulto ex copula illicita, ex Doctorum sententia competit Episcopis, ex iure extraordinario seu ex tacita Pontificis concessione, facultas dispensandi subditos super eodem impedimento, si necessitas urgeat. *pag.* 166.

Matrimonium,
quoad cognationem spiritualem

suo, sed alieno nomine munus patrini obire intendit- *ibid.*

Missa pro populo

Missae applicatio pro populo ita est personalis, ut S. C. C. saepe damnaverit ceu a iure abnormem, consuetudinem huic oneri per alium satisfaciendi, ***pag.*** 335.

Nam ex Tridentino praecipitur omnibus, quibus cura animarum commissa est, non aliis, oves suas cognoscere et pro his sacrificium offerre, nisi fuerint legitime impediti, *ibid.*

Ideo, data occasione, resolvit S. G. G. cogendus esse huiusmodi rectores animarum ad subeundum per se ipsos et non per alios omnia munia parochialia, quibus praecipue accensetur Missa pro populo, *ibid.*

Paroecia quoad privationem

Poena privationis beneficii infligi non potest, nisi causa sit *gravis, notoria et servato iuris ordine:* ceu colligitur ex canone *Inventum 38 caus. 16 quaest. 7 ;* quo edicitur, quoad presbyterum, qui adeptus sit aliquam ecclesiam - *quam si iuste adeptus fuerit, hanc nonnisi gravi culpa sua, et coram Episcopo, canonica severitate, amittat, pag.* 506.

Hinc ante privationis sententiam constare debet de delicto per probationem plenam, seu «sondudentem: quia ad ordinariam poenam procedi non potest, nisi contra legitime confessum vel convictum iuxta Card. De Luca *de Benef. disc. 75 n. 4. ibid.*

Caveri ex *Trid. Sess. 25 c. 14,* clericos concubinarius prius esse monendus, inde suspendendos, et tandem si non resipiscant, a suis beneficiis perpetuo removendus.;)- 507.

Pensio

Pensio perpetua quae in supplementum dotationis Beneficii seu Mensae conceditur, caput mobile conficit beneficii proprium, atque a vero censu non differt, ***p.*** 36.

Ad normam decreti ***Cum nuperrimis ,*** reductio proportionalis pensionum instituenda est post congruae conciliaris praelevationem. ***ib.***

Gravibus de causis, praesertim cum a personis in Ecclesiae Hyerarchia eminentibus gravamina afferuntur, quasi *per restitutionem in integrum* alicuius supremae decisionis revisio quandoque conceditur. *ibid.*

Id fit ob aequitatem illam quae in Ecclesiae iudiciis suprema lex est, ne ob accuratae indaginis defectum, cuiusque negotia, ac praesertim iustitia, detrimentum patiantur, *ibid.*

Generalis est regula iuris, desinere esse debitorem, qui nactus est exceptionem iustam, nec ab aequitate naturali abhorrentem.jp. 208.

Exceptio iniusta et ab aequitate naturali abhorrens videtur fa-

Praecedentia

Privilegium Apostolicum

Religiosi quoad Confessionem

teri peccata apud externum sacerdotem, quoties vel impossibile sit vel admodum difficile habere confessarium suae Religionis, *ibid.*

Residentia

Neminem latet , presbyteros fieri Episcoporum subditos per sacram ordinationem; et subditi, absque superioris assensu, nequeunt ab eius auctoritate sese subducere. *pag.* 121.

Ideo possunt Episcopi districte prohibere ne clericos alio secedant, eosdemque, etiam invitos, retinere, dummodo adsit iusta causa et ipsos de congrua substentatione provideant, *ibid.*

Pariter est in potestate Ordinariorum interdicere sacrorum exercitium clericis alicui ecclesiae adscriptis, ac, eo inscio, recedentibus, vi Tridentini *Sess. 23 cap. 16* aientis « *quod si locum inconsulto Episcopo, deseruerit ei sacrorum exercitium interdicatur.* » ibid.

Praxis S. G. G. in similibus casibus declaravit, sacerdotes auctoritati episcopali rebelles, censuris cogi posse, ut ad propriam dioecesim quantocius revertantur, *ibid.*

Neque dubitari potest, censuram latam per *praeceptum particulare* in personam ligare subditum, etiam commorantem in aliena Dioecesi: censura enim, hoc modo lata, sequitur personam ceu umbra cor-? pus. *ibid.*

Suspensio ex informata conscientia

Quasi unanimi consensu ss. canonum interpretes censent, vt Tridentini *sess. 14 cap. 1 de ref.* Episcopos posse nedum prohibere ascensum ad ordines, sed etiam suspensionem a susceptis ordinibus decernere *ex quacumque causa, etiam ob crimen occultum, quomodolibet extraiudicialiter, pag.* 314.

Hoc firmatum fuit constanti interpretatione *cap. 1 sess. 14* a s. G. Congregatione, declarando nempe, parem esse Episcoporum facultatem sive prohibendi ascensum ad ordines, sive a susceptis ordinibus suspendendi, *ibid.*

Etsi s. C.Concilii in *Nullius* 3 Februarii 1593 résolvent *caput 1 sess. 14 Tridentini locum habere in prohibitionibus et suspensionibus, tam temporaneis quam perpetuis,* tamen ex recentioribus resolutionibus velle videtur, ut huiusmodi suspensiones nequeant esse perpetuae, *ibid.*

Pariter in citata *Nullius 3 Februarii 1593* s. C. Congregatio declaravit: *temporalem prohibitionem et suspensionem dici eam, ubi ex delicto occulto extraiudicialiter procedit Episcopus; ad suum beneplacitum prohibendo vel suspendendo, ibid.*

Hinc facili modo deprehenditur, quamlibet exulare formae iudicialis

Testamentum

» nibus debeatur, quam ut supre-
» mae voluntatis, postquam iam aliud
» velle non possunt, sit licitum,
» quod iterum non redit, arbi-
» trium. » ***pag.*** 421.

Hinc etsi ius civile certam formam testandi et modum introduxerit, tamen factionem testamenti ex iure naturali et gentium promanare, etiam historiae tradunt; quae referunt apud varias gentes testamenta peracta fuisse ante leges civiles conditas, ***ibid.***

Verum ex iure etiam naturali, ut testamentum, ceu actus humanus valeat, requiritur ut agens non careat usu rationis; hinc mentecapti, furiosi et infantes, ipso iure naturae prohibentur testamenta condere, ***ibid.***

Et ius quoque civile, rem ratam habens, adiecit ***leg.*** 2 ***ff. qui testamentum facere.,..*** In eo qui testatur, eius temporis, quo testamentum facit, integritas mentis, non corporis sanitas exigenda : et ***/. in adversa*** 17 ff. eod. « In adversa
» corporis valetudine mentecaptus,
» eo tempore testamentum facere
» non potest. » ***ibid.***

Vicarius Apostolicus quoad electionem Generalis

Vicarii Apostolici, ordine episcopali insigniti, in congregatione Missionis haud eligi possunt in Generalem, assistentem et admonitorem Superioris generalis eiusdem ***.p.*** 431.

Huiusmodi enim munera, aliis omissis, conciliari omnino nequeant cum munere Vicariorum Apostolicorum; eoquod dum isti territorium sibi assignatum incolere debent, Generalis vero, eius assistens et admonitor Parisiis vitam degere coguntur, ***ibid.***

Iidem tamen Vicarii Apostolici , Episcopi, ius habent vocis activae in praedictis electionibus, dummodo personaliter suffragium ferant, minime vero per alios sive per procuratorem, ***ibid.***

Vicarii vero et Praefecti Apostolici , ordine episcopali carentes de • stituuntur iure vocis passivae tantum, dum in munere huiusmodi permanent ; ita ut si hoc desinat, eligi et iterum possunt ad munera Generalis , assistentis et admonitoris. ***ib.***

Vicarii Apostolici Episcopi numquam redintegrantur in iure vocis passivae quoad praedicta munera, quia Constitutiones Missionis, praecipiunt Superiorem generalem adire non posse ecclesiasticas dignitates, nisi id iusserit Pontifex Romanus in virtute sanctae obedientiae.